





CONTROVERSIA-RUM AMICARUM DE REBUS FIDEI DIVINÆ PARTES TRES

In quarum prima agitur

De ijs quæ Fidem præcedunt, aut quasi præcedunt, aut Fidei articulis sunt communia.

In Secunda:

Controversiæ de articulis Fidei proponuntur in particulari.

In Tertia:

De Locis ex quibus argumenta in Controversijs de Fide sumuntur.

Authore
R. P. ALBERTO TYLKOWSKI Societat. JESU Theologo.





Typis
MONASTERII OLIVENSIS Sac. Ord. Cisterc.
Anno Domini M. DC. XCIV.

FACULTAS

CUm Librum R. P. Alberti Tylkowski Societatis Nostræ dictum Controversiæ Amicæ, approbaverint, quibus id commissum fuit: Nos potestate nobis facta ab A. R. P. N. Joanne Paulo Oliva Præposito Generali, concedimus ut imprimatur. Vilnæ 1673. 10. Martij.

Ladislaus Rudzinski
Præpositus Provincialis per Litvaniam.

FACULTAS
Illustrissimi ac Reverendissimi
Domini Domini
Loci Ordinarij.

Imprimatur.

Nicolaus Stephanus Pac
Episcopus Vilnensis.



CONTROVERSIÆ AMICÆ.

De Rebus Fidei.

ANtequam proponam circa articulos Fidei controverſias, neceſſarium videtur, ut agam de ijs, quæ fidem præcedunt, aut quaſi præcedunt, aut rebus credendis ſunt communia, & iſta primâ parte huius opuſculi exequemur, cavendo ab ijs, quæ ſunt Philoſophica, aut merè Theologica, quæ licet imprudentiſſimè negaveris, non ideò dicaris Hæreticus. Multò magis ea præteribimus, quorum utraq; pars apud Theologos probabilis. Et hæc quidem tractabimus in parte prima. In ſecunda verò controverſos articulos amicè proponemus, abſtinendo ab ijs quæ poſſent offendere, ut quisq; agnoſcat, nos ſoli Veritati ſtudere. Proponemus autem controverſa, quæ inter omnes in Regno Poloniæ Catholicos ac Diſſidentes in fide ab illis agitãtur, cùm præcipuè hanc noſtram curam utilitati Compatriotarum noſtrorum conſecremus. In tertia parte Jndicem Bibliorum & SS. Patrum ad controverſias ordinatum proponemus.

PARS PRIMA.

De ijs quæ Fidem præcedunt, aut quasi præcedunt, aut articulis Fidei sunt communia.

AGemus in hac parte 1. De Deo, & de Animæ immortalitate. 2. De Fide & Verbo DEI. 3. De proponente fidem. 4. De Diſcurſu in fide. 5. De Eccleſia. 6. De rebus credendis, in communi. 7. De Diſputatione circa fidem. 8. De Hæreſi.

CAPUT I. De Deo & Anima.

Propoſitio 1. *Deus exiſtit.*

LIcet etiam credamus, Deum eſſe, quia id ipſe dicit, tamen cùm dictio præſupponat dicentem, Deum exiſtere, aliunde probandum eſt, quod nos in noſtra Philoſophia præſtitimus, & illis non repetitis, addimus. Concipere perfectionem realem ſine imperfectione illi annexa, non eſt concipere aliquid impoſſibile, ſicut concipere aurum ſine admixtione æris, &c. Concipere verò Ens neceſſariò exiſtens, eſt concipere perfectionem ſine imperfectione, quæ eſt, contingenter, ſiue neceſſariò quidem, ſed non pro ſemper exiſtere; itaq; concipere ens neceſſariò ſemper exiſtens, non eſt concipere quid impoſſibile. Sed hoc eſt concipere Deum. Jam verò quod neceſſariò ſemper exiſtit, de facto exiſtit, itaq; de facto eſt Deus. 2. Mundus nec potuit eſſe à ſe ipſo, nec potuit eſſe ſemper. Unum horum fluit ex aliô, quia ſi Mũdus non potuit eſſe à ſe, debuit eſſe ab alio, ſi ab alio, non ſemper fuit: quod enim eſt ab alio, ſi non ſit eius naturalis proprietas, ut eſt lux ſolis, calor ignis &c. vel non ſit idem cum ſua origine in eſſentia, ſemper ab illo tempore præceditur, itaq; non ſemper eſt. Si mundus non ſemper fuit, ab aliquo creatus eſt. Neq; etiam eſſentia mundi petit fuiſſe ſemper, quod enim eſt corruptibile,

non

non petit esse semper, si enim peteret, corrumpi non posset, sed sumamus partem mundi, Hominem. Homo si est à se, est sui causa, idq; simul est causa sui conservativa, cur se ergo non fecit robustiorem, saniorem? cur permittit se mori? certe quisq; optima sibi dat, se conservat, si potest. Et si conservare se non potest, nec se producere potest: nec major virtus ad repellendum à se corrumpentia requiritur, quàm ad contemperandum ita non viventia, ut ex illis vivens consurgat. Rursus. Ens artificiale non potest esse à se, itaq; nec homo res naturalis, quia ut illud ens non potest colligere, elaborare partes materiæ ut illis exurgat, ita neq; homo. Si dixeris, semper quidem hominem fuisse, licet ab alio factus fuerit, jam Factorem agnoscis, quem voco Deum. Casu non dices factum, quis enim te non riserit, si diceres, domum quampiam artificiosissimè extructam, casu factam? at verò omni domo artificiosior est fabrica hominis. Imò etsi hoc dixeris, non evadis. Quia vel homo factus ex aliqua materia, vel ex nihilo: si hoc secundum, tum nec semper fuit, quia illum præcessit nihilum eius: nec se facere potuit, cùm ante se nihil fuerit. Si vis, ex materia factum, materia ipsum præcessit, & ipse non semper fuit. Præterea, de ipsa materia redibit quæstio, an à seipsa, an ab alio facta. Si dixeris, hominem non esse factum, & semper successivè fuisse homines: nec ullum illorum primum aliquem: quo id tandem argumento fulcies? eodem credo, quo probas non esse Deum, id est nullo. Si fuerunt homines ante decem millia annorum, produc aliquod eius signum, aliquam urbem ab eis erectam, aliqua eorum gesta, artes inventas. Intercidisse omnia inquies: ac unde hoc ipsum constabit? si temerè licet asserere, dicet quispiam, omnia hæc in globum Lunæ ex terra sublata, & posteris solam nudam humum relictam. At ego contra cum ratione occurro. Ens quod non petit esse necessariò ex sua essentia, non petit esse ab æterno: talis verò est homo, cùm possit esse & non esse,

Repones, hominem quemvis contingenter exiſtere: ſed generationem hominum eſſe neceſſariam. At quorum? magna pars bellis, peſte, alijs cladibus ſine ſucceſſore perit, cur omnes perire non poſſint? Deinde in illa ſucceſſione, fuitne aliquis primus, an non? contra hoc quidquid dixeris, iam ſunt præmiſſa argumenta. Inſuper, ſi fuit aliquis primus, ſicut nos homines ſumus ab alio, ita & ipſe eſſe debuerat. Et iam ad Factorem deuenitur. Si nullus primus, quodnam ſignum huius rei? Certè cùm omni ſæculô ſtaturâ & viribus decreſcimus: quantò ergo oportuit eſſe eos qui ante centum, ante centena millia, ante omne tempus nati ſunt, certè ſinguli terram implevisſēt, ſinguli loco moviſſent, uno prandio conſumpſiſſent, verſùs cœlum ſtellatum excreviſſent, cadaver uniuſcuiusq; alterum terræ feciſſet parem cumulum, & poſtgenitis non reliquiſſet locum in quo degerent. Sed & mare, cùm ſemper defluis cum fluminibus oppleatur arenis, in terramq; exundet, pridem terræ orbem ſepeliviſſet. Certè non eſt probabile, in eo falli homines, quod omnibus ſimul natura ingenerat. Neq; enim ullus dixerit, ea falſa eſſe quæ omnes ſine magiſtro ut vera apprehendunt. Ac verò nulla gens fuit, nulla natio, quæ Deum non agnoverit, quamvis, quis ſit ille, non ſemper agnoverit. Hinc terrore perculſi ad cælum levant manus, per Deum iurant, &c. neq; rerum vacuam proferunt vocem dum dicunt Deum, cogitant certè aliquid eſſe quod hâc voce nominant, imò illi ipſi qui negant Deum, ſi velint fateri, voluntate ſe compellunt ad negandum quod bene eſſe intelligunt, ſicut ſe compellunt ad neganda crimina, quorum ſunt conſcij. Et certè verè utile eſt ſecundùm veritatem. At verò nulli ullo modo obfuerit Deum agnoviſſe: imò non agnoviſſe vera importat incommoda, vitæ licentiam, dolos, fraudes, perjuria, cædes. Quis enim ſervaverit juramentum quod per nihil fecerit? quis non cautè fecerit dolum, cuius neminem timeat ultorem? quis non in cædem exarſerit, ſi ſperet ſe decepturum humanos Magi-

ſtratus? An caſu & fortuitò Prophetæ, quæ poſt ſæcula evenerunt, prædixiſſe poterant, & tam clarè? ut cùm Jſai 45. 1. dixit. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram & ſubijciam ante faciem ejus Gentes &c.* Quod multò poſt evenit. Fuit ergo mens una, quæ futura vidit, & per os Prophetarum nunciavit. An ſtultos omnes dicemus, qui aliàs ſapientiſſimi, ut Cyprianus, Juſtinus & ſimiles, voluerunt potiùs omne bonum amittere quàm Deum? ſtultos Gregorios, Baſilios, Auguſtinos, &c. qui Deo omnem famulatum addixêre? Figmenta omnia miracula quæ Antonius, Thaumaturgus, &c. patravêre? atqui hæc viribus hominis patrari non poterant. Excitet enim verè mortuum, illuminet verè cæcum, in duobus ſimul conſiſtat locis, ex uno pane faciat plures, qui negat Deum, cujus ſolius manu, ut ſupremi naturæ Domini, hæc fieri poterant. Stulti Philoſophi veterum, qui primam cauſam agnoverunt, qui proceſſum in cauſis negarunt in infinitum, & tu ſolus ſapis, & reclamante conſcientiâ ſapis!

Propoſitio 2. *Deus eſt verax in cognoſcendo & dicendo.*

QUod neceſſariò exiſtit, à ſe ipſo eſt. Tale verò eſt Ens perfectiſſimum: at verò Enti perfectiſſimo competunt proprietates ſimpliciter ſimplices, tales autem ſunt, non falli in cognoſcendo, nec fallere in dicendo, nam meliùs eſt non falli quàm falli, & non mentiri quàm mentiri, igitur Deo competit non falli in cognoſcendo, & non fallere dicendo.

Propoſitio 3. *Deus eſt unus.*

Quòd Deus ſit unus, deduximus in noſtra Metaphyſica; addimus. Deus nullam admittit compoſitionem ob ſuam ſimplicitatem, quia hæc eſt perfectio ſimpliciter ſimplex competens Enti perfectiſſimo: itaq; ſi quid in Deo reperitur, eſt idem cum illo, quod cum illo eſt idem, eſt de illius eſſentia, at verò in Deo reperitur, eſſe unum, eſt enim

Ens, est individuum, idcircò per suam essentiam excludit multiplicitatem, nam individuatio negat posse dividi in plura individua. Esse verò unum, & individuum, & solum, est perfectio simpliciter simplex. Nam demus Deos duos, certè unus alterius deitatem non habebit, itaq; carebit re quæ melior ipsa quam non ipsa. Melius enim est esse Deũ, quàm non Deum. Præterea demus sanè plures Deos: velint vg. mundum creare, vel omnes necessariò idem volent, & ista est imperfectio necessitatum esse ad volendum id, cuius etiam oppositum non dedecebat velle. Vel omnes volent liberè, itaq; &oppositum poterant velle, & inter illos esse discordia, & quis eorum prævaluisset? Ex quo Aristoteles ult. Metaph. ita infert. *Non est bonum pluralitas Principatuum, unus ergo Princeps. Juxta illud vulgatum Homeri, lib. 2. Iliad. Multos imperitare malum est, Rex unicus esto.*

Propositio 4. *Deo quod asserit est credendum.*

QUia ut est propr. 2. nec falli potest in cognoscendo, nec fallere in dicendo. At verò si tali non credatur, injuria irrogatur, quia alterutra infallibilitas in dubium vocatur. Neq: suspendi assensus debet aut potest. Quia est peccare in honorem superioris, etsi illi non exhibeamus contemptum, honorem tamen non præstemus, itaq; & negatio assensûs Deo fide dignissimo, esset illius offensa.

Propositio 5. *Deus contradictoria loqui non potest.*

QUia contradictoriarum propositionum necessariò una falsa: Deus verò falsum loqui non potest, per propr. 2.

Propositio 6. *Deo cultus debet exhiberi maximus.*

ADoratio est actus, quo quis alterum honorat se ipsi tanquam excellentiori submittendo. Honor, etiam ad æqualem extenditur. Unde Rom. 12. *Honore mutuo prævenientes.* Hinc Anastasius Episcopus in VII. Synodo act. 4. dixit, *Adorationem esse emphasim honoris.* Ad adoratioẽ tres actus con-

concurrunt. 1. Fxiſtimatio de excellentia alterius per comparationem ad adorantem. 2. Affectus ſignificandi hanc alterius excellentiam, & ſubmiſſionem ſui ad illum. 3. Ipſa ſignificatio talis excellentiæ alterius, & ſubmiſſionis ſui. Ex quo Damaſc. orat. 1. de Imagin. dixit. *Adorationem eſſe ſubmiſſionis, & honoris notam.* Quæ nota certè poteſt eſſe interior & exterior. His ita poſitis. Adoratio eſt cultus maximus, hic verò debetur Enti excellentiſſimo, quale eſt Deus.

Propoſitio 7. *Modus colendi Deum ab aliquo præſcribi debet.*

QUia omnibus qui Deum agnoſcunt, natura indidit, colendum eſſe Deum, ſed multi in modo colendi errant, ex quo multæ natæ ſunt ſuperſtitiones. Igitur oportebat modum colendi ab aliquo præſcribi: ſed à nullo præſcribi poterat quàm ab ipſoqui adorandus, præſcripſit autem, ut ei aſſerenti credamus, in eo fiduciam ob bonitatis eius eminentiam collocemus, illum amemus, ſignis tam internis quàm externis venerationis proſequamur.

Propoſitio 8. *Anima noſtra eſt immortalis.*

DEduximus id in noſtra Philoſophia. Sit prætcrea. Nulla ſubſtantia ſe liberè ad agendum determinans, eſt corruptibilis, talis enim ſubſtantia eſt ſpiritualis, materia enim eſt principium paſſivum, determinabile, non determinans, unde agentia materialia, vel ab extrinſeco determinantur, id eſt, à Deo, vel ab obiecto, & non poſſunt omnibus habitis ad agendum requiſitis non eſſe indeterminata, & non agere. Spiritualis verò ſubſtantia eſt incorruptibilis, quia ab agente materiali corrumpi non poteſt, quia nec poteſt ab illo attingi: Non poteſt etiam corrumpi à ſpirituali, quia nulla ſubſtantia agit extra ſe niſi mediis accidentibus, at verò accidentia ſpiritualia non poſſunt recipi in corpore, quod eſt quaſi ſubjectum ani-

mæ, & ex quo anima per expulsionem corrumperetur. Dicere verò ita fluxam esse animam, ut velut sonus absq; adversario deficiat, nimis commentitium esset, cùm id ne in formis quidem materialibus accidat.

Propositio 9. *Deus circa nos in hac & altera vita exercet providentiam.*

SI Deus exercet circa nos providentiam, cùm sæpè in hac vita nec scelerati castigentur, nec probi præmientur, debet id post mortem exequi, cùm anima nostra per propr. 8. sit immortalis, & per 7. cultus eius à nobis exigatur. Frustra autem est lex, in cuius violatores non advertitur, nec in observatores præmia conferuntur, aut aliqua utilitas. Deus verò exercet providentiam, quia ratione suæ excellentiæ naturaliter ei omnis cultus & omne dominium neq; otiosum competit. Jtaq; quos non punit, vel non præmiat ante mortem, castigat vel coronat post mortem.

Corollarium.

IGitur curandum, ut cultu, & vero cultu Deum prosequamur, sed habito præ oculis monito S. Ambr. in Natali SS. Nazarij & Celsi. *Noverimus quia non sine magno discrimine de Religionis veritate dubitamus, quam tantorum* (Martyrum) *Sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem Fidem quasi novellam discutere præsumas, & post tam manifestos Duces, in errore permaneas, & post morientium sudores otiosâ disputatione contendas.*

CAPUT II. De Fide, & Verbo Dei.

CÙm nomen *Fidei* variè in scriptura usurpetur, ne in æquivocationem incurramus, declarandum est, de quo eius deinceps significato loquemur. Nam sumitur aliquando pro Fidelitate. Jta Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum Dei fidem evacuabit?* & in hoc sensu frequenter Deus dicitur Fidelis.

delis. Sumitur etiam nomen fidei pro promiſſione, quam aliquis erat expleturus: ita 1. Tim. 1. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Id eſt, non ſervârunt promiſſionem, ut communiter exponitur: & qui ſervat promiſſum, vocatur fidelis. Luc. 12. 1. Cor. 4. &c. Aliquando nomen fidei ſumitur pro judicio mentis & intellectûs noſtri, quia ita rem eſſe judicamus. Sic dicitur aliquis bonâ aut malâ fide agere, & hoc modo fides accipitur pro conſcientia Rom. 14. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Propriè ſumitur pro aſſenſu ſeu judicio, quod nititur verbo, ſeu teſtimonio alterius, & in hoc ſenſu de fide agemus. Aliquando tamen non pro ipſo aſſenſu, ſed pro habitu fidei accipitur. Ut 1. Cor. 13. *Nunc manent tria hæc, fides, ſpes, charitas.* Accipitur & pro ipſis rebus credendis ſeu myſterijs. Ita S. Athan. In Symbolo. *Hæc eſt fides Catholica.* Sumitur etiam pro fiducia ſeu ſpe firma, ita Jacob. 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans,* & ad hoc ſignificatum ſpectat fides miraculorum. Res quæ à Deo dicuntur, dupliciter ab illo dici & à nobis credi poſſunt. *Explicitè,* cùm in ſeipſis dicuntur aut creduntur. Quæ verò in dictis contenta ſunt, dicuntur & creduntur *implicitè.* Contineri autem in aliis poſſunt, vel ex natura rei. Sic dum credo Deum, credo omnia, quæ in Deo ſunt. Continentur verò alia ſolùm ex divina ordinatione. Sic in articulo divinæ providentiæ ſupernaturalis continetur Chriſtus mediator, mors eius, reſurrectio, Sacramenta. His poſitis, agemus de fide ſecundùm ſe.

ARTICULUS I. De Fide ſecundùm ſe.

Propoſitio 1. *Natura & Diviſio Fidei.*

Cùm fides ſit aſſenſus alicui propoſitioni quia illam aliquis ſe ita habere affirmat: Fides eſt humana, ſi homo affirmet: Divina, ſi Deus. In utraque fide & affirmatio reperitur, & res de qua affirmatur.

Propoſitio 2. *Ut credamus prudenter, ſufficit Evidentia Moralis.*

Evidentia in fide poteſt eſſe & de eo qui loquitur, quòd evidens ſit illum non falli nec fallere: & de ipſa ejus locutione, quòd evidens ſit nobis illum id affirmare. Evidentia eſt triplex. 1. Metaphyſica, quando ita ſe res habet, ut nec per miraculum aliter ſe habere poſſit, alioqui ſequeretur, contradictoria duo ſimul verificari: & hoc modo evidens eſt, Deum nec falli nec fallere. 2. Phyſica, cùm per naturæ potentiam aliter ſe res habere non poteſt, etſi per miraculum poſſit habere ſe aliter. 3. Moralis, cùm abſolutè etiam naturaliter poſſet aliter eſſe, etſi non ſit: ita cùm dicitur Cicero fuiſſe in mundo, ſolùm eſt evidens moraliter, & talis evidentia ſufficit ut prudenter alicui propoſitioni aſſentiamur, & talis evidentia eſt in fide de dictione ſeu verbo Dei, quòd ſcilicet Deus hoc vel illud affirmaverit, v. g. ſe eſſe Trinum in perſonis. Nam licet hoc reticuiſſet, neque ſequeretur contradictio, neque miraculum. Hanc evidentiam adſtruunt & conficiunt ſigna credibilitatis ut conſenſus Patrum, temporum, miracula ob id facta, ſanguis Martyrum effuſus. &c. Unde ſi de aliquo myſterio probabile tantùm eſſet extare verbum Dei ſeu revelationem, illud ſolùm probabiliter eſſet de fide: neque illud negans notaretur hæreſeos, quia hæc negat illud de quo evidens eſt moraliter extare revelationem, ſeu Dei verbum. Ex hoc etiam patet, quòd qui aſſentiretur alicui propoſitioni non propter verbum Dei, non crederet illam fide divinâ. Similiter qui aſſentiretur exiſtimando eſſe de illa verbum Dei, cùm non eſſet, non eliceret aſſenſum fidei divinæ. Qui aſſentiretur non habendo probabilitatem, quòd ſit à Deo dicta, levis eſſet in credendo.

Propoſitio 3. *Rationes & argumenta non conſtituunt Fidem.*

Quia verbum Dei ſeu revelatio eſt motivum & ratio formalis

malis fidei. Argumenta verò sunt motivum scientiæ aut opinionis: proinde in fide non possunt locum motivi occupare; atq; dum adducuntur, solùm probant de aliquo mysterio revelationem existere.

Propositio 4. *Negatio Verbi Dei non constituit Fidem.*

Quia solùm Dei verbum constituit, negatio verò est absentia Verbi. Hinc neq; si de opposito non extet verbum, oppositum est de fide, de quo etiam non extat verbum. Sic si non extaret verbum, baptisandos esse infantes: cùm tamen non extet, de non baptisandis, non est de fide, non baptisandos: sed eo casu neutrum esset de fide. Hinc falluntur, qui ex eo solo quòd de uno contrario non extet Verbum, alterum contrarium asserunt esse de Fide: cùm nihil possit esse de fide, nisi de quo extat Verbum.

Propositio 5. *Verbum Dei solùm ea constituit in ratione credendorum fide divinâ, quæ significat.*

Quia nihil credendum est fide divinâ, nisi quod Verbũ Dei attestatur: solum verò id attestatur quod significat. Unde si quid cum re connexum est revelatâ, si ipsum non est revelatum, non est de fide. Unde fallit qui ostensurus bipartitam propositionem esse de fide, pro una parte ejus affert Verbum Dei, et totam putat se ostendisse esse Fidei. Similiter, quia revelatum est, Christum esse hominem, vellet etiam esse de fide, Christum esse risibilem; quod licèt sit verissimum, non est tamen de fide, quia non est revelatum; & licèt aliquis faciliùs negaret esse hominem, quàm, si homo est, esse risibilem. Hoc non facit ad rem, quia potest quis assentiri firmiùs propositioni, quæ non est de fide, quàm illi quæ est de Fide. Similiter revelatum est, Christum esse hominem; non est revelatum, esse animal rationale; ideò res eadem sub prioribus terminis creditur fide divinâ, non sub posterioribus.

Propositio 6. *Potest quis errori firmiter adhærere.*

Quia potest proponi error tanquam probabilis, si tamen imprudenter adhæreat, pertinax est. Quid sit prudenter adhærere, dictum hîc prop. 2. ita pertinaciter adhærent Turcæ suis fabulis.

Propositio 7. *Aliud est, esse certum in fide; aliud, non posse errare.*

Quia certi de aliquo sumus, quod nobis est evidens ita esse; non posse falli, ampliùs dicit, scilicet se habere tantum lumen, ut non possit illi apparere falsum sub ratione veri. Certitudo circa mysteria in singulis invenitur credentibus: non posse falli ac errare, soli Ecclesiæ promissum.

Propositio 8. *Contradictoria non possunt esse de Fide.*

Quia Deus non potest dicere falsum, asserendo illud esse verum, etsi possit referre falsum ut falsum. Sic narrat dictas à Judæis in Christum blasphemias: *Nonnè bene dicimus, quia Samaritanus es?* &c. Ex contradictoriis autem altera necessariò vera, altera falsa. Hinc impossibile est, duas fides esse veras, quarum altera id affirmat, quod altera negat.

Propositio 9. *Potest quis fide naturali articulum aliquem credere.*

Quia si unum mysterium credat, aliud non credat, fidē tantùm naturalem habebit, quæ salutem non operatur. Ita & in cœteris virtutibus (ut patet in peccatore) possunt esse habitus & actus naturales sine supernaturalibus.

Propositio 10. *Propter testimonia Patrum non credimus fide divinâ.*

Quia testimonia Patrum non sunt verbum Dei: sed tamen dum illa affirmāt aliquid credendū, infallibile argumentum constituunt, quòd de illâ re, seu mysterio extet verbum Dei.

Pro-

Propositio 11. *Quædam credimus, etsi nihil de iis sit in Scriptura.*

S. Aug. serm. de Assumpt. B. V. probat id in hunc modum. *Nihil Scriptura de Melchisedech Sacerdotis Dei justitia loquitur, cùm ipsa præcessisse ante laudes merita cognoscatur. Nihil de Elia & Enoch, postquam rapti sunt, vitæ felicitate commendat, cunctis liquidè scientibus eos beatè vivere, quos Dominus hinc in futurum salvandos voluit rapere.*

Propositio 12. *Non ideò aliquid est de fide, quia non est contra fidem.*

Nam ut S. Aug. 1. de Genes. ad lit. cap. 9. *Sententia aliqua tam diu non est contra fidem, donec veritate certissimâ refellatur.* Hoc est, donec ab Ecclesia, quæ est columna veritatis, damnetur. Non erit etiam de fide, quia non est revelata.

Propositio 13. *Esse aliquam veram fidem.*

Quia id omnibus sæculis, omnibus hominibus visum est certissimum, quod autem sic videtur, pro vero reputat Aristoteles,

CAPUT III. De Verbo Dei.

Articulus 1. *De Verbo Dei secundùm se.*

Propositio 1. *Deus non semper immediatè nobis loquitur.*
Quia loquitur & per Prophetas, Apostolos, Evangelistas.

Propositio 2. *Verbum Dei sensus plures patitur sibi affingi.*

Quia à varijs diversè accipitur. Ita illud. *Pater major me est*, Arrius trahebat ad Christi divinitatem. Unus tamen verbi est verus sensus, quia est unica veritas, falsitates multæ. Et tum in vero sensu accipitur verbum, quando in eo sensu sumitur, in quo est dictum à Deo.

Propositio 3. *Poterat Verbum Dei non extare in scripto.*
Quia poterat Deus aliquid dicere, & nolle ut scriberetur.

Propositio 4. *Verbum Dei non potest de se dicere, sit ne corruptũ.*

QUia si in charta est scriptum, mutum est: si in ore est alicuius, id tantùm testatur quod sonat & significat: non sonat autem se esse corruptum aut integrum.

Propositio 5. *Verbum Dei scriptum perire potest.*

QUia nulla est in hoc impossibilitas, ut omnes libri Bibliorum exurantur, cùm de facto aliqui perierint. Ut verborum dierum Regum &c. Quorum Becanus texit catalogũ.

Propositio 6. *Scriptura ut est scriptura non est verbum Dei.*

QUia neque nostra scriptura est nostrum verbum. Aliud enim loqui, aliud scribere. Scriptura tamen sacra, juxta receptum loquendi modum licet impropriè, appellatur Verbum Dei, quia est signum & memoria quædam prolati à Deo Verbi.

Propositio 7. *Verbum Dei non accipit suum robur ab Ecclesia.*

QUia Ecclesia vel solùm testatur de hoc mysterio Verbum Dei extare, vel ostendit in quo sensu illud accipi debeat, vel explicat quid sonet, vel ostendit id esse verum, aliud falsum.

Propositio 8. *Aliquod Verbum Dei non extat in scripto Hagiographorum.*

NOn enim S. Aug. lib. 3. interrogavisset Maximinum Arrianum. *Ubi legisti Patrem ingenitum, & innatum?* & de pluribus possumus interrogare contendentes, omnes fidei articulos scripto contineri. Ubi enim scriptum, Trinitas, consubstantialitas? ubi infantes baptizandos, S. Communionem fœminis impertiendam, diem Dominicum & non Sabbatum in honore habendos? ubi scriptum quod Evangelium S. Matthæi sit Verbum Dei? quòd, ut prætendunt in fide Dissentientes, libri Machabæorum non sunt verbum Dei? Jmò quædam de fide isti habent quæ sunt contra verbum scriptum. Nam Act. 15. prohibitus est esus suffocatorum & cum sangvine, nec ullibi in scriptura est revocatio huius prohibi-

hibitionis. Jmò tempore Tertulliani, ut patet ex eius Apologetico, iſta prohibitio fuit in vigore: fuit & tempore Concilij Gangrenſis ut patet ex eius Can. 2. eandem obſervari curabat Leo Philoſophus Imperator conſtit. 58. Proinde Catholici admittunt traditiones, quarum quædam ſunt verbũ Dei non ſcriptum ſed oretenus traditum, aliæ non verbum Dei, nec conſtituunt articulos fidei. Ex quo ſequitur quòd Catholici ſuæ fidei articulos non teneantur omnes probare per verbum ſcriptum, teneantur verò illi qui non admittũt verbum Dei niſi ſcriptum. Et hoc agnoſcunt Calviniſtæ in Confeſſione fidei Calviniſtarum in Gallia art. 21. & 35.

Propoſitio 9. *Non omnes traditiones obtinent vim verbi Dei.*

QUia quædam traditiones proponunt tanquam conſvetudines & ritus: non tanquam articulos fidei, nec habita pro articulis fidei. Ut quòd in ſacrificio debeat miſceri aqua vino, &c. De quibus Tertull. lib. de Corona militis cap. 4. *Harum & aliarum eiusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur ductrix, conſvetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix.* Jta ex traditione habetur, teſte S. Aug. epiſt. 118. quòd Paſſio Domini, reſurrectio, aſcenſio in cælum, anniverſariâ ſolennitate celebrentur.

Propoſitio 10. *Vulgata Latina verſio Scripturæ purius verbum Dei continet quàm aliæ.*

TRes ſunt lingvæ præcipuæ, in quibus extat verbum Dei, Hebraica, Græca, Latina. Hebraica conſtitit ſolis literis cõſonantibus, & talem etiam S. Hieron. invenit comment. in Jerem. ac tandem circa annum Chriſti 476. Rabini Aaron & Jacob puncta loco vocalium ſuppoſuerunt, quibus an poſſimus fidere in tali negotio quiſq; judicet. Certè in multis locis, ubi præcipuè de Chriſto agitur, textus corruptus eſt. Nam Pſ. 21. 17. ubi legimus in Latino. *Foderunt manus meas & pedes meos*, in Hebr. ſuppoſitum. *Sicut Leo manus meæ.* Et Pſ. 19. 5. ubi legimus in Latino. *In omnem terram*

exi-

xivit sonus eorum. In Hebr. est. *exivit perpendiculum eorum.* Zach. 9. 9. ubi legimus, *Salvator.* Hebr. *Salvatus.* Ps. 95. 10. ubi legimus, *Dominus regnavit à ligno.* In Hebræo omittitur, *à ligno* &c. Verterunt quidem Hæbræa Biblia adhuc incorrupta in Græcum LXX. Interpretes adhuc 200 annis ante Christum, & illorum versione usus est Christus D. & Apostoli, atq; hæc retinenda essent, si ad nos integra pervenissent, sed jam suo tempore vitiata invenit S. Hieron. in Prologo Bibl. v. g. Dan. 9. 26. ubi legimus. *Post hebdomadas LXII. occidetur Christus.* LXX. legunt. *Post hebdomadas LXIV.* Plura ejusmodi adducit exempla Tyrinus. Et hæc de Græco textu. Versio Latina quam vocamus vulgatam, est antiquissima, & facta ante SS. Hieron. & Aug. eademq; ab omnibus Catholicis recepta, quam & Luther. pluris fecit quàm Græcam in Postill. Eccles. super Epist. Dom. 3. Quadrag. in fine Concionis. Et certè si errârunt qui vulgatam per sedecim sæcula receperunt, etiam nova versio errori obnoxia potest esse, cùm modò non facilè puriora originalia exēplaria possimus habere. Quare meritò Ecclesia Romana in Tridentino tanquam optimam versionem vulgatam recepit.

Propositio 11. *Non debet aliqua pars Scripturæ abijci, quia non extat eius exemplar in ea lingua in qua scriptum ab Hagiographo.*

QUia si sic esset, abijciendum esset S. Matthæi Evangelium, illius enim originale Hebraicum quo scriptum est, non extat, uti testatur S. Jrenæus lib. 1. cap. 3. S. Athanas. in Synopsi. Euseb. Cæsarien. lib. 3. cap. 3. & 18. & alij PP. quos referunt & seqvuntur Centuriatores Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. col. 176.

Propositio 12. *Potest ab aliquo Scriptura depravari.*

QUia de aliquibus dicitur 2. Petr. 3. *Aliqui depravant scripturas.* Et S. Aug. lib. de bono persever. cap. 11. sic habet de Manichæis. *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt sumant, quod nolunt reijciant.*

Propositio 13. *Non omnes libri Scripturæ à quavis ætate legendi.*

Ita observatum fuisse ab Hebræis antiquis, scribit S. Greg. Nazianz. in Apolog. & S. Hieron. in procemio Comment. in Ezech. Quia ex quibusdam magis læderentur non bene intellectis, & superficialiter sumptis, quàm juvarentur. Unde teste S. Hieron. initium Geneseos, Canticum Cant. Ezechielis initium & finis, solis permittebantur legenda, qui annos triginta excesserunt.

Propositio 14. *Non omnia quæ ad salutem necessaria sunt, continentur in Verbo scripto.*

Quia in lege veteri fuit necessarium fœminis remedium peccati originalis, imò masculis ante diem octavum morientibus, & tamen nullibi extat scriptum. Item in nova lege contra Heluidium credimus, Matrem Dei Virginē mansisse post partum. Pascha celebrandum die Dominico contra Quartadecimanos. Baptismum ab Infideli collatum esse Sacramentum, neque iterandum. Fœminas posse Eucharistiam recipere. Extare Verbum Dei scriptum in tot libris. In Baptismo proferenda esse certa verba ore non mente. &c. &c. tamen hæc nullibi scripta.

Propositio 15. *Non est evidens Physicè aut Metaphysicè Verbum Dei existere de aliquo fidei articulo.*

Quia liberè cuicunq; articulo assentimur *captivantes intellectum in obsequium fidei*, seu imperantes nobis assensum, qui potest in rebus obscuris à voluntate imperari intellectui. At verò evidentia supradicta utraq; necessitat ad assensum, & si evidens est modo ex dictis alterutrô existere de articulo revelationem, cùm sit evidentissimum, quidquid dixit Deus esse verum, nihil supererit in quo voluntas imperabit assensum.

Propositio 16. *Verbum Dei seipso non ostendit se esse Verbum Dei.*

Quia si se tale ostenderet Infidelibus, statim crederent, quis enim Deo loquenti non crederet? si Christianis, nullæ essent de verbo Dei controversiæ, nemo rejiceret, vel admitteret libros Machabæorum, Ester, Tobiæ. &c.

Propositio 17. *Priùs oportet quærere quæ sit vera Ecclesia, quàm qui sint verè libri scripturæ.*

Quia Ecclesia dijudicat qui sint verè libri Scripturæ. Ita Tertull. de præscript. cap. 19. *Ubi apparuerit veritatem esse disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & traditionum Christianarum.*

Propositio 18. *Vulgata scripturæ translatio est cæteris melior.*

Quia Græca quam fecit Aquila homo pessimus & ab Ecclesia excommunicatus, est corruptissima. Unde illum vocat S. Epiph. lib. de Ponderibus, Corruptorem Bibliorũ. Post Aquilam fecit Biblia Græca Symmachus bis nebulo recutitus, qui interpretationem LXX infecit. Ipsorum LXX Biblia non habemus, & corrupta fuerunt ab Hebræis, ut ostendit Justinus M. & S. Hieron. neq; de verbo ad verbũ transferebant instar commentarii. Theodotionis Græca suspecta erant, quia ex hæresi Marcionistarum transijt ad Hebraismum, neq; ejus Biblia extant. Hebræa integra originalia non possunt esse Biblia, quia Job ad Arabismum accedit; alij libri Chaldaicè, alij Græcè scripti: proinde si Hebraicè extant, translati sunt, neq; nimis translationi fidere possumus. Qui ergò Græca aut Hebraica præfert vulgatis, unde habet puriùs exemplar, quam habuit author versionis vulgatæ, quæ à tota Ecclesia per 14. sæcula recepta, laudata, nunquam erroris notata? Hinc contigit, ut Joan. Cochlæus numeravit, dum Lutherus omissâ vulgatâ versione nescio cui alteri nixus Biblia faceret Germanica, ut mille quadringentos errores incurreret, neq; alijs feliciùs cessit versio.

Pro-

Propositio 19. *Etiam vivâ voce doctrina prædicata est verbum Dei.*

Act. 4. 31. *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Act. 8. 14 *Cùm audissent Apostoli quòd Samaria recepisset verbum Dei.*

Propositio 20. *Apostoli non solis scripturæ verbis prædicationem probabant.*

Quia probabant miraculorum enumeratione Act. 2. 22. Novorum miraculorum patratione Act. 3. 16. & 6. 8. & 9. 34. & 16. 18. Testimonio de Christo resuscitato à se viso. Act. 2. 32. Voce Dei Patris de Christo à se audita 2. Petr. 1. 17. &c.

Propositio 21. *Super traditionẽ potest fundari scriptura.*

Quia S. Lucas suum Evangelium ex traditione scripsit. Luc. 1. 2. *Sicut tradiderunt ij qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt sermonis.* Nomina Magorum ex traditione 2. Tim. 3. 8. Timorem Moysi Heb. 12. 21. & illud Heb. 8. 19. & illud Matth. 27. 6. & pugna in epist. Jud. & illud Matth. 12. 4. &c.

Propositio 22. *Etiamsi quis à Deo accepisset Evangelium adhuc de eo cum Ecclesia conferre deberet.*

Quia Paulus accepit à Spiritu S. Gal. 2. 2. tamen subjecit examini aliorum Apostolorum, ne in vacuum cucurrisset, alioquin ut S. Aug. lib. 28. contra Faustum cap. 4. *Si non invenisset in carne Apostolos, quibuscum communicando, & cum quibus conferendo Evangelium ejusdem Societatis appareret, Ecclesia illi omninò non crederet: sed cùm cognovisset eum hoc annunciantem, quod illi annunciaverant, & in eorum communitate viventẽ, meruit authoritatem* &c. Et S. Hieron. hoc ipsum exponens ait: *Paulus Apostolus Evangelium qui prædicabat inter Gentes ostendens se non habuisse securitatem Evangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant fuisset sententiâ roboratum.*

Propositio 23. *Non obest Veritati librorum Sacrorũ quòd de iis ante declarationem Ecclesiæ varij variè senserint.*

Nam si hoc obesset, tum plures partes Scripturæ quas etiam dissidentes recipiunt, rejiciendæ essent. Nam de epist. ad Hebr. dubitatum est apud Euseb. lib. 3. cap. 3. & Hieron. lib. de viris illustribus in Paulo. Item de epistola Jacobi, Judæ, 2. Petri & 3. Joan. apud Euseb. lib. 3. c. 25. Hieron. de Viris Illust. in Jacob, Judâ, Petro, Joanne, Apocalypsim S. Joan. Cajus Scriptor antiquus scriptam esse putavit â Cherintho Hæretico apud Euseb. lib. 3. cap. 28. & Græci de ea dubitabant, teste Hieron. epist. ad Galganum &c.

Propositio 24. *Non statim in die Pentecostes Spiritus S. docuit Apostolos omnia.*

Quia adhuc (Act. 10.) nescivit Petrus, an gentes essent in Ecclesiam recipiendæ. Nescierunt (Act. 15.) Apostoli an cessâsset obligatio &c.

Propositio 25. *Scriptura quòd sit hæc non potest sciri sine traditione.*

Dissidentes ex his signis docent cognosci Scripturã, quòd contineat doctrinam Sanctam, sit conformis cum aliis Scripturæ libris, moveat legentem, laudet Deum. &c. Sed hæc omnia conveniunt multis SS. PP. scriptis, imò apocryphis, ut epistolæ dictæ S. Pauli ad Laodicenses, quæ extat apud Sixtum Senen. Imó Coloss. ult. 16. meminit Paulus se scripsisse ad Laodicenses. Item Evangelio Nicodemi, &c.

Propositio 26. *Etiamsi scriptura non omnia fidei morumq; dogmata contineat, non ideò tamen est imperfecta.*

Non enim illud est imperfectum cui aliquid deest quocunq; modo, sed tantùm cui aliquid deest debitum: quale nihil deest scripturæ, cùm non debeat omnia continere, sed tantùm illa quæ sunt simpliciter necessaria. Et hoc

hoc ipsa scriptura fatetur, quia remittit ad homines & traditiones non scriptas. De cætero si hoc est imperfectum, cui aliquid quocunq; modo deest, nulla res in mundo esset perfecta, ac ne Deus quidem: nam deest illi corpus, quantitas &c.

Propositio 27. *Etiam viri docti imò & pij possunt malè scripturam intelligere.*

JRenæus docebat, Christum vixisse annis 50. & probabat ex illo Joan. 8. *Quinquaginta annos nondum habes* &c. Tertull. lib. 5. contra Judæos cap. 5. Clem. Alex. lib. 1. Stromatum asseruerunt, Christum vixisse triginta annis tantùm, idq; ex scriptura deducebant. Papias & qui eius sententiam secuti ex scriptura, ut scribit S. Hieron. in cap. 49. Jsai. & cap. 19. Matth. docebant Christum regnaturum in hoc mundo annis 1000. Teste Euseb. lib. 3. cap. 29. idq; deducebant ex Apoc. Ubi dicitur, Christus cum suis regnaturus annis 1000. &c.

ARTICULUS 2. De Verbi Dei explicatione.

Propositio 1. *Apertis Verbi testimoniis probandi articuli fidei.*

JTa S. Aug. contra epist. Petiliani Donatistæ de unitate Ecclesiæ cap. 19. Quia ambigua testimonia non minùs adversarij suæ sententiæ aptare possunt, quàm nos nostræ.

Propositio. 2. *Aliqui loci scripturæ sunt obscuri.*

QUia Act. 8. 31. Eunuchus interrogatus an intelligeret Jsaiam quem legebat, respondit. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* S. Petrus 2. Petr. 3. 16. dicit de epistolis S. Pauli. *In illis quædam esse difficilia* intellectu. Certè in scriptura non paucæ occurrunt apparentes contradictiones, quas vide si placet apud Lorinum. Ipsorum in fide dissidentium Prædicantes in suis Concionibus profitentur se explicare scripturam, quid verò illâ opus explicatione si

scriptura cuiq; aperta ac perspicua? Cur petijsset David, *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Cur Christus D. euntibus in Emaus explicuisset legem & Prophetas? Deniq; cur tantæ essent differentiæ apud Dissidentes in explicandis S. Scripturæ locis.? Neq; hoc derogat scripturæ sed eam commendat, nam quæ pretiosiora sunt, non solent parere.

Propositio. 3. *Non quisq; potest scripturam explicare.*

SI omnes possent intelligere, gratis diceretur. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in Parabolis.* Frustra essent in Ecclesia aliqui *Doctores*, Prædicatores. Nemo in in fide erraret, nisi malitiosè; at sunt qui errant etiam viri pijssimi & doctissimi, qualiter erravit S. Cypr. Episcopus circa innovandum Baptismum Hæreticorum. Deniq; juxta Dissidentes, intellixissent æquè Scripturam omnes ac Lutherus & Calvinus, & illis non expectatis (ut illi volunt) in fide mansisset pura, vel statim se in illam reposuisset.

Propositio 4. *Habens potestatem exponendi scripturam, debet esse visibilis.*

QUomodo enim invisibilis cum dubijs in fide accederetur? Certè Apostoli qui intelligebant scripturam fuêre visibiles.

Propositio 5. *In scripturæ expositione non semper â sensu literali recedendum.*

ALioqui posset dicere aliquis, Patrem cum Filio in divinis idem esse solùm moraliter. B. Virginem Matrem esse Christi solùm mysticè. &c.

Propositio 6. *In explicatione scripturæ proprio intellectui fidere periculosum.*

QUia errare possumus, & per prop. 3. Non cujusq; est scripturam explicare.

Propositio 7 *In expositione scripturæ opus antecedentia & Consequentia considerare.*

Quia

QUia nisi hoc spectetur, hic locus 2. Cor. 3. *Libertate nos Christus donavit*, exuet servos à Dominis, nisi videatur quòd ibi sermo sit de libertate à diabolo & peccatis; similiter 1. Tim. 1. *Lex non est posita iusto.* &c

Propositio 8. *Quod in scriptura dicitur figuratè, accipiendum figuratè, quod dicitur literatè, ad literam accipiendum.*

EST doctrina S. Aug. lib. 3. de doctrinâ Christianâ cap. 5. 10. 11. & per se patet.

Propositio 9. *Quidquid in Verbo Dei, neq; ad morum honestatem, neq; ad Fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognosce.*

Verba sunt, & doctrina S. Aug. lib. 3. de doct. Christ. cap. 10.

Propositio 10. *Historiæ in Scriptura occultant doctrinam.*

ITa docet S. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 27., & aliàs. Quia 1. Cor. 10. dicitur. *Omnia illis in figura contigisse, & ad nostram doctrinam scripta esse.* At hæc non de totis historijs, nam Aug. 16. Civit. 2. *quia propter illa, quæ aliquid significant aliqua attexuntur.*

Propositio 11. *Allegoria in præceptis & perspicuis non est quærenda.*

Jta docet S. Hieron. in cap. 4. ad Gal. & in cap. 4. Zachariæ.

Propositio 12. *Quædam loca scripturæ debent exponi Tropologicè.*

Jta S. Paulus historiam de Sara & Agar exponit de duobus testamentis, licet ut notat S. Hieron. in cap. 1. Jonæ, non possit tota historia testamentis applicari.

Propositio 13. *Literalis expositio retinenda ubi potest retineri.*

Jta docet S. Basil. in hexam. cap. 8. & contrarium facientem Origenem carpit S. Hieron. in præf. decē Visionum Jsaiæ.

Pro-

Propositio 14. *Debet aliquis statui, qui judicet an rectè scriptura explicetur.*

QUia in scripturæ explicatione facilè est in errorem labi. Nam ut S. Aug. ait lib. 3 de doctr. Christ. cap. 25. *Plurima sunt in scriptura quorum quædam in contrariam, quædam in diversam, quædam in ambiguam significationem accipiuntur.* Ita Leo Apoc. 5. significat Christum: at 1. Petr. 5. Diabolum. Aqua Joan. 7. Spiritum S. Apoc. 17. Populos.

Propositio 15. *Loci unius explicatio per alium similem est bona, sed non semper.*

Prior pars est S. Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 26. Posterior patet ex præced. prop.

Propositio 16. *Cùm novus alicui in Scriptura sensus occurrit, debet paratus esse illum relinquere, si illi verior ostendatur.*

Alioqui ut ait S. Aug. de Genes. ad lit. c. 18. *Non pro sententia S. Scripturæ sed pro nostra dimicaremus.*

Propositio 17. *In expositione S. Scripturæ rationi non authoritati insistere periculosum est.*

Ita docet S. Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 28. Quia ut idem lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 5. *Divinarum scripturarũ major est authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.* Et ut S. Chrysost. in epist. ad Gal. cap. 1. *Divinis potiùs credendum quàm Angelis de cœlo descendentibus, aut mortuis resurgentibus.* ut patet ex 1. Gal. Quocirca cùm possimus errare in exponẽdâ S. Scripturâ, ac proinde illam contra ejus sensum exponere, ut patet ex prop. 2. & 14. non est securum nostræ instare rationi, sed potiùs authoritati eorum, quos certum est in expositione S. Scripturæ non errâsse, ut est certum PP. non errâsse cùm aliquem locum unanimiter exponunt.

Propositio 18. *In exponendis S. Scripturis non debet attendi ad Spiritum privatum.*

Ita enim argumentatur S. Aug. tr. 3. in Epist. 1. Joan. *Quid ergò*

ergò nos facimus Fratres, qui docemus vos, si unctio ejus docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus? & ut quid tandem clamamus? dimittamus nos unctioni illius. Sed modò mihi facio quæstionem, & illi ipsi Apostolo facio, dignetur audire parvulum, quærentem à se: ipsi Joanni dico, Unctionem habebant quibus loquebaris, tu dixisti, quia unctio ejus docet vos de omnibus: quid talem epistolam fecisti? quid illos tu docebas? quid instruebas? quid ædificabas? His addimus. Quid Calvinus institutiones, cur Lutherus tot libros scripsit? Quid clamant Ministri Verbi? quid disputatur de fide? quid Scriptura variè exponitur? Unde constat, quòd iste Spiritus non sit Spiritus erroris & vertiginis, quo quisq; singillatim ducitur? unde quòd Angelus Sathanæ non se transfiguret in Angelum lucis? & quòd potiùs sit Spiritus veritatis qui docet Lutheranum, quàm qui Calvinistam? Unde, quòd Spiritus rectus potiùs datur privato homini & mechanico, quàm Papæ, Patribus, Concilijs? Si datur hic Spiritus singulis, quid dicit Apostolus 1. Cor. 12. *Nunquid omnes interpretantur?* Si Spiritus privatus non fallit, quid 1. Joan. 3. *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus si ex Deo sunt?* Sed 1. Cor. 12. *Nunquid omnes habent spirituum discretionem?*

Propositio 19. *Quando in alio sensu Ecclesia accipit Scripturam, alius privato alicui occurrit, cum Ecclesia tenendum.*

Quia faciliùs est privatam, aut unam personam falli, quàm totam Ecclesiam, pro qua sunt ipsius Scripturæ testimonia, quòd in rebus fidei errare non possit.

Propositio 20. *Non semper ex simili loco alter locus explicari potest.*

Nam hic locus, *Verbum caro factum est*, posset explicari per illum Joan. 2. 9. *Aqua vinum facta.* Sed aqua postquam vinum facta, non ampliùs mansit aqua. Itaq; sequeretur: Postquàm Verbum caro factum, non ampliùs mansisse verbum, quod est absurdum. Item cùm dicitur Gal. 3. *Chri-*

ſtus pro nobis factus maledictum; & 2. Cor. 5. *factus peccatum*, deberet dici conversus verè in peccatum, & maledictum. Unde ad hoc probandum, quòd in verbis, *Hoc eſt corpus meum*, particula *eſt* ſumatur impropriè, pro *ſignificat*, non valet ſi adducantur alij textus, quia hæc particula in illis ſumitur impropriè, quæ etiam in plurimis ſumitur propriè, imò ſi in alijs omnibus ſumeretur impropriè, nondum liceret inferre, hìc etiam ſumi impropriè. Quia Deus revelãs poterat illam ſumere alibi imptopriè, hìc propriè.

Propoſitio 21. *Qui unum locum ſcripturæ per alium explicat, non utitur puro verbo Dei.*

QUia intervenit in hoc caſu diſcurſus, qui non eſt verbum Dei. Præterea nullibi ſcriptum eſt, quòd hic locus illum explicet, atq; ita in hac expoſitione poteſt error committi, ſeu ipſa applicatio loci unius ad alium eſſe erronea.

Propoſitio 22. *Non eſt cuiusq; interpretari Scripturas.*

QUia 1. Cor. 12. dicitur. *Nunquid omnes interpretantur?* & licet ibid. dicatur. *Spiritualis omnia dijudicat.* Non omnes tamen ſunt ſpirituales, ſed aliqui animales.

Propoſitio 23. *Magis in ſcriptura ad ſenſum quàm ad verba attendendum.*

QUia docet S. Hieron. in cap. 1. ad Gal. *Non putemus in verbis ſcripturæ eſſe Evangelium, ſed in ſenſu.* In Dialogo etiam Orthodoxi & Luciferiani. *Scripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtunt.* Et S. Hilar. lib. 2. de Trinit. *De intelligentia hæreſis eſt non de ſcriptura.* His poſitis quiſq; inferre poteſt unum ex his. Tutius eſt in ſcriptura exponenda ſequi ſenſum qui mihi occurrit, non curando an cæteris placeat. Tutius eſt ſequi ſenſum tot ſæculis receptum à viris doctisſimis, ſanctisſimis, confirmatum miraculis & Martyrum ſangvine. Propterea monet S. Aug. ſerm. 18. de Verbis Domini. *Divina teſtimonia quomodo intellexerunt Sancti, ita accipienda ſunt*: nam ſinguli errare poſſumus. Et certè intolerabi-

rabilis esset superbia, dicere, Possibilius est omnes in Ecclesia Doctores, Theologos, Viros Sanctos, qui diebus & noctibus cum multa oratione meditantur legem Dei; omnes Episcopos, omnes Martyres possibilius fudisse pro falsa doctrina sangvinem, omnia Concilia decipi: quàm me unum, neq; sanctum, neq; adeo doctum, cerdonem aut sartorem errare.

Propositio 24. *Quando aliqui Patres aliquem locum exponunt de Mysterio, aliqui negant in eo loco revelari id mysterium, non ideò negant ipsum mysterium.*

QUia diversa sunt, dicere, per hanc vocem *Homo* intelligitur Petrus, per hanc vocē *homo* non intelligitur Petrus, sed Paulus: & dicere, Petrus non existit. Jta aliud dicere: hoc mysterium non debet credi, & dicere, hoc mysterium in tali loco scripturæ non proponitur. Cùm ergò v. g. aliqui PP. in fractione panis facta in Emmaus intelligunt datam sub una specie Eucharistiam: alij PP. non asserunt eò loci datam Eucharistiam: non ideò negant posse dari sub una specie Eucharistiam; Sed tantùm ex hac Patrum diversitate inferri potest, non esse uniformem Patrum sensum, datam in Emmaus Eucharistiam.

Propositio 25. *Quando duo textus scripturæ videntur oppositi, juxta eum sensum alter explicandus, in quo alterum accipit Ecclesia.*

EST v. g. 1. Tim. 2. de Christo. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Est apud Evangelistam. *Hic est calix sangvinis mei, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorum.* Contraria videntur *pro multis*, & *pro omnibus*, recipiendus est textus in eo sensu *pro multis* in quo recipit Ecclesia. Quia meliùs in tali passu procedere non possumus, quàm si interpretem sequamur qui falli non potest, qualis in terris sola est Ecclesia.

Propoſitio 26. *Eccleſia contra ſcripturam non poteſt definire.*

QUia ſcriptura, etſi non ſola, eſt tamen regula fidei noſtræ & morum.

Propoſitio 27, *Poteſt quis putare factum eſſe contra ſcripturam quod non eſt contra illam.*

QUia Judæi Joan. 5. 18. putârunt quòd Chriſtus violaverit legem ſanando Sabbato. Et Joan. 9. 7. quòd ſe Filium Dei dixiſſet.

Propoſitio 28. *Poteſt Eccleſia definire etſi non extet de re illa ſcriptura.*

NAm Act. 15. 28. de legalium obſervatione deciderunt Apoſtoli, de quibus nihil erat ſcriptum. Et 1. Cor. 7. 12. *Cæteris ego dico, non Dominus* &c. Et Nicæna decrevit, Paſcha non cum Judæis celebrandum. Jtem vetus Eccleſia, obſervandos feſtos dies, Dominicæ, Nativitatis, Reſurrectionis &c.

Propoſitio 29. *Poteſt Eccleſia aliquid declarare quod videri poſſet eſſe contra ſcripturam.*

NAm Exod. 16. 29. Non licebat ſabbato pedem extra caſtra efferre, attamen Act. 1. 12. declaratum eſt, quantum iter poterat confici Sabbato. Moyſes conceſſit repudium, cùm ab initio non fuerit ſic. Matth. 19. 8. Paulus declaravit fuiſſe in arca virgam & manna. Hebr. 9. 4. quod videtur contrarium illi 3. Reg. 8. 9.

Propoſitio 30. *Non poteſt Eccleſia articulos fidei novos condere, veteres abrogare.*

Quia omnes articuli, ſaltem in genere, revelati ſunt Prophetis & Apoſtolis, nihil itaq; novi condi poteſt, ſed ſolùm explicari, quod erat implicitum. Sed neq; abrogari poteſt, quia quod ſemel eſt de fide, eſt æternæ veritatis.

Pro-

Propositio 31. *Multa credenda, sunt successivè patefacta & declarata.*

Quia Exod. 6. 3. Deus non revelavit suum nomen Abrahæ &c. sed tandē Moysi. Ita revelatum est, venisse Messiam, qui anteà non poterat credi venisse, sed venturus. & Luc. 10. 24. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt audire quæ auditis, & non audierunt:* ubi de dogmatibus fidei est sermo. Et Col. 1. 26. ait, mysterium quod fuit absconditum à sæculis, nunc esse revelatum. Joan. 16. 2. dicit Christus: *Multa habeo vobis dicere &c. cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnia.* Apostolis etiam quædam successivè revelata; nam Petrus juxta Levit. 11. 4. noluit cibum communē comedere. Act. 10. itaq; nondū sciebat, id esse permissum. Idē fuit edoctus Act. 10. 20. quòd Gentes ad fidē essent admittendæ, & alij Apostoli id nesciebant. Propterea quòd Petrus admisisset, reprehendebant. Act. 11. 2. 3. Non statim in primitiva Ecclesia omnes libri credebantur esse qui sunt Canonici. Primitiva Ecclesia non statim scivit se liberam à lege veteri: non esse Pascha celebrandum cum Judæis: Baptisatos ab hæreticis non esse rebaptizandos. Itaq; quoad explicationem etsi non quoad substantiam creverunt articuli fidei, ut docet S. Th. 2. 2. q. 1. a. 7.

Propositio 32. *Ad habendum verum Scripturæ sensum non sufficiunt media quæ porrigunt Diffidentes.*

Media illi hæc porrigunt. Cognitionem linguarum, considerationem antecedentium & consequentium, observationem phraseos & styli, collocationem locorum similium, inspectionem textuum Hebræi & Græci. Sed hæc non sufficiunt 1. Adhuc non constabit, an his benè quis usus: imò etsi constaret, adhuc cum his omnibus errori obnoxius: sicut Diffidentes ajunt, quia SS. Patres errare poterant, homines enim erant. 2. Quia ista singula sunt probabilia, ut ipsi fatentur, itaq; & simul omnia, probabile, enim additum probabili, facit probabilius, sed non necessarium.

CAPUT III.

De Magistro Fidei.

ARTICULUS I. *Signa veri & à Deo missi Magistri Fidei.*

Propositio 1. *Verus est Magister fidei, qui se evidenter probat missum à Deo.*

Probatio in novo nomine Dei tradendo dogmate, sunt miracula: hac probatione usus Christus & Apostoli, & illam agnoscit Luther. lib. 1. de Servo arbitrio, cùm dicit, *Nobis mandatum est, prorsus nullum dogma admittere signis divinis antè non probatum.* Nemo enim potest prudenter assentiri, dogma id esse à Deo, si tantùm simpliciter quis asserat sine ullis claris argumẽtis à Deo, cùm constet multos fore falsos Prophetas, multos dicere se missos à Deo, cùm non sint missi, cùm constet homines fallere & falli. Præterea si duo contrarium docentes asserant se missos à Deo, cur potiùs isti quàm illi credatur? imò si unus probet tali argumento quod æquè pro altero serviat, neutri potiùs adhærere poterimus.

Propositio 2. *Qui non novam sed Apostolicam doctrinam profert, non est opus ut se per miracula probet esse verum Magistrum.*

Quia imprimis Fides, quam Apostoli prædicârunt, satis probata miraculis, talis verò eandem fidem prædicat, itaq; jam probatam miraculis, solùm ergò debet ostendere quòd eandem fidem doceat. Plura signa ponemus cùm de veritate Ecclesiæ agemus.

ARTICULUS II.

Signa falsi Magistri neq; missi à Deo.

Propositio 1. *Non est veræ fidei Magister, qui docet ea, quæ â prima & antiqua Ecclesia damnabantur.*

Quia primitiva Ecclesia etiam juxta Dissidentes veram doctri-

doctrinam habuit, alioqui nunquam extitiſſet vera Ecclesia. Atqui tum doctrina quæ traditiones Apoſtolicas contemnebat pro hæreſi habita fuit ab Eccleſia, & ob eam damnati Marionitæ, Valentiniani, Ariani, Aëriani. Vide Iren. lib. 3. Tertull. de præſcript. Epiph. hæreſi 69. Baſil. de S. Spir. Pro Hæreſi habitum, viſibilem Eccleſiam defeciſſe, periiſſe, & hoc docebant Donatiſtæ, Luciferiani, Berengarius, Neſtorius, Waldenſes. Vide Aug. de Unit. Eccleſ. & Hæreſi 69. Hieron. in Lucif. Lanfrancum contra Berengar. Hæreſis fuit, in Eccleſia tantùm juſtos eſſe, adeòq; Eccleſiam eſſe inviſibilem. Hoc docuerunt Taciani, Donatiſtæ, Pelagiani. Vide Epiph. hær. 46. Aug. hær. 88. Hæreſis, ſolam fidem ad ſalutem ſufficere; id docebat Simon Magus, & Eunomiani, uti eſt apud Epiph. in indice lib. 3. contra Hæreſes: apud Aug. hær. 54. apud Iren. lib. 1. cap. 20. Hæreſis fuit, in juſtificatione peccatoris non aboleri, ſed tantùm tegi peccata: id docuerunt Meſſaliani, vide Theodoret. lib. 4. hæret. fabul. Epiph. hær. 64. Hæreſis fuit abolere Sacrificium in Eccleſia: hoc docuerunt Manichæi, & Bruſiani. vide Aug. lib. 29 contra Fauſtum cap. 18. Euthym. parte 2. tit 29. Hæreſis fuit Berengarij, Panem & vinum non converti in Euchariſtia in corpus & ſanguinem Chriſti. vide Blondum dec. 2. lib. 3 Concilium Rom. ſub Greg. VII. Hæreſis fuit Montani Jacobitarum, & Albingenſium, tollere ex pœnitentia confeſſionem peccatorũ, & ſatisfactionem. Vide Hieron. ad Marcellam de erroribus Montani. Buchinger. in hiſt. Eccleſ. Antonin. p. 4. tit. 11. cap. 7. Hæreſis fuit Cainitarum, Manichæorum, Vigilantij, invocare Sanctos, idololatriam eſſe colere illorum reliquias. Vide Hieron. in Vigilant. cap. 3. Aug. lib. 20. contra Fauſt. cap. 21. Hæreſis fuit Iconomachorum, Paulitianorũ, & Valentinianorum, venerationem Crucis, & SS. Imaginũ, eſſe idololatriam. Vide huius rei teſtem Damaſc. hæreſi 102. Synodũ VII Euthym. parte 2. tit. 21. Hæreſis fuit Vigilantij, Miracula quæ fiunt ad ſepulchra Sanctorũ orantibus Fideli-

bus,

bus, præstigia esse diaboli. Vide Hieron. in Vigilantium. Hæresis fuit Jovinianorum, Enstatianorum, Aërianorum, Jejunia Ecclesiastica non esse observanda: vanum esse à certis cibis abstinere. Vid. Hieron. in Jovinianum, Epiph. hær. 75. Aug. hær. 51. Socratē lib. 2. cap. 33. Montanistæ docebant, Deum esse authorem peccati. Vide Euseb. lib. 5. hist. cap. 20. Et Jren. contra Florinum. Vigilantius asserebat, uti legimus apud S. Hieron. contra Vigilant. Sacerdotes debere esse uxoratos. Idem impugnabat vota Monastica. Berengarius docuit, non esse in Eucharistia verum corpus & sangvinem Christi. Novatiani Confirmationis Sacramentum ridebant, ut scribit Theodoret. lib. 3. hæret. fabul. Aëriani prohibebant pro mortuis sacrificia, & orationes, ut scribit S. Aug. hær. 53. ijdem jejunium omne, sed præcipuè Quadragesimale reijcebant. Vigilantius sacris reliquijs honorem tollebat, ut patet ex S. Hieron. Donatistæ ex solis justis Ecclesiam constituebant, ut scribit S. Aug. sæpiùs, tum hær. 59. Manichæi tollebant homini liberum arbitrium, ut scribit S. Hieron. dial. 2. contra Pelagianos. Faustus Manichæus apud S. Aug. lib. 3. contra Faustum cap. 3. Quagragesimam damnabat. Enthusiastæ negabant gratiam conferri in ordinationibus Clericorum. Albingenses teste S. Antonino 4. parte Summæ tit. 11. cap. 17. Orationem pro Defunctis, Extremam Unctionem, Sacramentum Confirmationis, Purgatorium reijciebant. Fratricelli ut Balmer habet in Chronico, Vota Religiosorum, Consecrationem Ecclesiarum reprobabant. An non eadem Luth. & Calvin. respectivè prædicârunt? an non eadem Dissidentes amplectuntur?

Propositio 2. *Non est veræ Fidei Magister, qui indigna, de Deo, Christo, SS. Sacramentis loquitur & prædicat.*

LUther. tom. 1. Ienen. edit. Germ. fol. 578. docet, quòd Deus impossibilia præcipiat. At stultitia est impossibilia præcipere; crudelitas, si alter ea non fuerit executus, severissi-

rissimè punire. Idem tom. 2. Latin. Wittemb. sub assert. 36. quòd Deus principaliter mala opera in impijs operetur. Idē lib. de servo arbitrio, dicit: *Deus nec in salvandis, nec in damnandis merita spectat. Spargit gratiam in indignos, iram & severitatem in immeritos, indignos coronat, indignos punit; sine meritis salvat, sine meritis damnat.* Et rursus ibid. *Deus fuit author proditionis Judæ, adulterij Davidis, sævitiæ Manlij.* At si ita est, ubi sanctitas Dei, ubi justitia? Idem in assert. art. 27. tom. 2. Wittemberg. anni 1551. *Essentiam Dei nec generare nec generari, animam esse immortalem, portenta sunt.* Itaq; Essentia Dei generatur, à quo tandem? à seipsa? tum à seipsa est distincta, & habemus Deos duos. Itaq; anima est mortalis, quid ergo de Fide sollicitatur, quid de reformatione Ecclesiæ? Et tomo 3. Jenen. Germ. fol. 495. pag. 2 in Confessione de cœna Domini. *Si teneo, quòd sola humana natura pro me passa sit, tunc Christus est vilis Salvator, indigens alio Salvatore.* Itaque passa & Divinitas. Et in Ps. 22. in verba illa. *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* Et in cap. 3. Epist. ad Galatas, quæ habetur tomo 4. Latin. Jenen. hæc scripsit. *De Christo, hoc omnes Prophetæ in spiritu præviderunt, quòd futurus esset omnium maximus latro, homicida, fur, adulter, sacrilegus, blasphemus. Nisi dixerimus Christum simul summè justum, & summè peccatorem: simul summè mendacem, & summè veracem: simul summè gloriantem, & summè desperantem: simul summè beatum, & summè damnatum, non videre possumus quomodo sit à Deo derelictus.* De Sacramentis tom. 2. Jenen. Lat. fol. 318. pag. 2. assert. 13. dicit. *Etiam mulier absolvere potest Sacramentaliter.* Ibid. docet: Etiamsi pœnitens de peccatis non doleret, & Sacerdos joco absolveret, si tamen pœnitens credat se absolutum, verissimè est absolutus. Ex quo sequitur, quòd talis pœnitens retinens peccatum, adeoq; manens peccator, esset justificatus. Et tom. 6. Germ. Jenen. de Missa angulari fol. 105. sic docet. *Sacramenta potest diabolus, & mater ejus ministrare.* Et lib. de Missa privata, edito anno 1534. *Sacramenta & diabolus rectè & ordine confert: nec pignus dederimus, nunquam diabolum*

egisse Pastorem. Et de captivit. Babyl. cap. de Eucharist. ita docet. *De occultis audiendis Confessionibus facultas liberrima omnibus Fratribus & Sororibus permittenda est.* Jam ergo omnes Sacerdotes & generis masculini & fœminini, ut quidam dicebat. Non magis piè Calvinus sensit, dicta eius si placet, vide apud Becanum tom. 4. opusc. 1. tit. 40.

Propositio 3. *Non est missus à Deo qui se profitetur doctrinam accepisse à diabolo.*

LUth. tom. 7. Latino. Germanico autem tom. 6. fol. 86. & seqq. libro de abroganda Missa, scribit, se cum diabolo noctu disputâsse, & fatetur sibi ab illo persvasum, quòd nullum sit externum Sacrificium, nec ullum Sacerdotium à Christo in Ecclesia institutum. Quæ duo dum probat postea, ijs dicit se uti argumentis, quibus antea fuit à diabolo convictus. Theodorus Beza Calvinista fatetur, se cujusdam loci scripturæ de Eucharistia sensum accepisse à spiritu, qui, albus an ater fuerit, dicit se ignorare.

Propositio 4. *Non est probabile, missum à Deo, cujus doctrinam magna in moribus secuta est corruptela vi ejus doctrinæ.*

De effectu suæ doctrinæ sic loquitur Luth. in postilla Domestica Jenæ impressa conc. 11. Dom. primæ Adv. *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior: jam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cùm antea in Papatu unico tãtùm diabolo obsessi fuissent, diabolus jam catervatim ingreditur in homines ut nunc in tam splendida luce Evangelii sint avariores, callidiores, injustiores, crudeliores, proterviores, multò deniq; deteriores quàm priùs in Papatu fuerunt.* Erasm. Roterod. lib. 3. de lib. arbit. *Quid hìc commemorem, quanta inter Evangelistas* (sic enim vel Evangelicos se vocant Lutherani) *dissensio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio! imò quanta inconstantia, cùm ipse Lutherus toties mutârit sua placita & subinde nova Paradoxa suppullulent.* Calvin. in cap. 11. Dan. v. 34. *In exiguo illorum numero qui se ab Idololatriis Papatûs subduxerunt, major pars plena est perfidiis & dolis, præclarum quidem Zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus*

dibus. Sed rurſum Luth. in 1. Cor. cap. 15. *Diſcipuli noſtri ſicut credunt ita vivunt: ſunt & manent ſues, credunt ſicut ſues, & ſicut ſues moriuntur.* Agnovit Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ quanta incommoda ex diſſidentibus in Religione ſequantur & in edicto in comitijs Parcevienſibus anno 1564. ita reliquit ſcriptum. *Quamdiu ſub Anteceſſoribus noſtris de Fide uniformis ſenſus in hominibus fuit, tamdiu etiam Jura, Magiſtratus, pudor naturalis, in magno apud homines reſpectu fuerunt; ac proinde actiones illorum communes, & particulares, aſpectabili planè fortunâ à D. Deo, & notabili gloriâ apud Exteros, ornabantur. &c. &c. Ex quo autem per hos aliquot annos, quando timoris erga D. Deum, & debiti noſtri erga eundem obliti ſumus, immiſcendo nos variis ſectis, videbit qui ſolummodò conſiderare voluerit, quomodo & leges ſunt hebetatæ, & Magiſtratus ſuam perdidit authoritatem & pudor innatus, & obedientia ſit extincta, ex quo & nos in diſordine, & Reſpub. in tali turbine & perturbatione manſit. &c.* Unde ante hunc Regem fortè ſimilibus cauſis permotus Rex Poloniæ Jagello occaſione Huſſitarum hæreticorum tulit hanc legem anno 1424. *Ut ejusmodi puniantur pro crimine Majeſtatis, prolesq́ eorum tam maſculina, quàm fœminina, omni careat ſucceſſione perpetuò & honore: nec unquam ad aliquas aſſumatur dignitates, vel honores: ſed cum Patribus & Progenitoribus ſuis, ſemper maneant infames, nec de cœtero gaudeant aliquo privilegio Nobilitatis vel decore.* In ſtatuto Herburti, quod ab omnibus ſubſellijs admittitur, & ſi quis aliud citet ſtatutum, pæna conſtituta eſt 14. marcarum (impoſitum autem fuit Herburto per comitia Regni generalia anni 1565. ut faceret legum Summarium, quod ubi confecit, obtulit Regni Cancellario Ocieſki, accipit autem Herburt omnia ex legibus approbatis in Comitijs Regni ſub Rege Alexandro anno 1503. ut ipſe refert folio 102.) habetur edictum Vielunenſe. *Quicunq́ in Regno Poloniæ noſtro, & terris nobis ſubjectis, Hæreticus aut hæreſi infectus, vel ſuſpectus de eadem fautor eorum, vel director repertus fuerit, per noſtros Capitaneos, Conſules Civitatum,*

& alios Officiales, ac quoslibet subditos nostros, sive in officiis, sive extra, viventes, velut Regiæ Majestatis offensor, capiatur, & juxta exigentiam excessûs puniatur. Ibid. habetur. *Accusati de hæresi, Ordinariorum suorum examini, aut Magistrorum hæreticæ pravitatis ad hoc â sede Apostolica deputatorum, vel deputandorum, subdantur comprehensi.*

Propositio 5. *Qui contradictoria docet non est Minister veritatis.*

Quia contradictoriorũ necessariò unum est falsum. Luth. tom. 4. Lat. in Micheæ cap. 7. fol. 89. pag 2. ait, in Baptismo abluuntur omnia peccata. In postilla Eccles. die Circumcis. contradictorium docet. In eadem Postilla Conc. de Nativ. B. V. M. fol. 44. pag. 2. admittit intercessionem B. V. Mariæ: eandem postea ubiq; negat. In Apolog. Augustana, tit. de vocabulis Missæ; & in Postilla Eccles. Dom. 1. Trinit. fol. 135. orationem pro defunctis approbat, quã postea ubiq; reprobat. Docet tom. 1. Jenen. latino, fol. 269. Opera bona esse ad salutẽ necessaria: & tom. 4. lat. Jenen. in 2. cap. ad Galatas, in versum: *Si autem quærentes justificari in Christo*, fol. 49. dicit. *Si putas opus esse servare mandata Dei tunc fidem negâsti.* & serm. de Piscatura Petri in Postilla Germ. parte 2. fol. 150. & in captivit. Babylon. tom. 2. Wittemb. an. 1551. fol. 70. *Prima, & ultima, simulq; pessima & nocentissima hæresis, quæ unquam in mundo fuit, exorta est, cùm docetur bona opera ad salutem requiri.* Et serm. de Piscatura Petri hæc habet: *Quàm primùm ita cogitas in Christianismo debent compositi, modesti, temperantes, casti, ac Sancti homines esse: Evangelio jam excidisti: quantò scelerationr es, tantò citiùs gratiam Deus infundit.* In assert. art. 2. dicit: *sine dubio concupiscentia peccatum est.* At verò in Ps. 4. *Concupiscentia in homine non est peccatũ, sed consensus in concupiscentiam.* Tom. 1. Germ. Jenen. super Ps. 110. fol. 98. pag. 2. *Missam seu oblationem Sacramenti altaris, scilicet, corporis & sanguinis sui, in Christianitate seu Ecclesia offert Christus.* Ibidem Melchisedech panem & vinum

sa-

sacrificâsse, docet & significari oblationem SSmæ Eucharistiæ altaris. Hoc alibi sæpiùs negat. Tomo 2. Jenen. Latin. assert. 37. fol. 324. Purgatorium profitetur se credere, & suadet ut ab alijs credatur. Contrarium verò aliàs docet. Ibidem assert 38. fol. 317. in fine: fatetur quòd homines mortalia peccata quæ cognoscere poterant soliti fuerint in primitiva Ecclesia Sacramentaliter confiteri: tamen hoc locis aliis negat. Tomo 1. Jenen. Germ. fol. 168. Invocationem Sanctorum, & Summum Pontificem recipit, at verò passim alibi utraq; rejicit. Libro de captiv. Babylon. fol. 300. admittit, laudatq; aspersionem aquæ benedictæ, & salis benedictionem. Tomo 2. Latin. in formula Missæ pro Ecclesia Wittemberg. pag. 2. fol. 589. sic habet: *Thurificationes nec prohibemus nec exigimus*. Tomo 5. Jenen. Latin. fol. 431. pag. 2. & seq. jejunium Quadragesimale & feriæ sextæ suadet. Tom. 4. Germ. Jenen. fol. 408. pag. 2. & seq. fatetur in Papatu veram esse Scripturam, Baptismum, Eucharistiam, claves absolvendi peccata, officium prædicationis, verum catechismum, uti & decem Dei præcepta, articulos fidei, orationem Dominicam. Tomo 1. Jenen. Germ. fol. 205. in Sermone de Eucharist. docet, unam speciem sufficere populo. Idem asserit tomo 2. Jenen. Germ. fol. 77. & seq. Hæc omnia alibi pernegat. Sed & de missione sua ad prædicandum dicit tom. 2. Jenen. Germ. fol. 57. Die Cinerum, anno 1522. *Evangelistam se esse, & non ab hominibus Evangeliũ sed de cælo per Christum accepisse.* Et tamen præfat. ad tom. 1. Jenen. Latin. dicit, solo se casu non voluntate incepisse reformationem. Idem respons. ad Lovanien. *Non negavi unquam, nos meritis & precibus Sanctorum juvari.* In Postilla Majore die Nativ. B. V. *Intercessionem Mariæ amplectimur, & reliquorum Sanctorum.* Contrarium passim docet. Idem Serm. de Matrim. *Continentia in terris est melior, ut cui minus solicitudinis, & calamitatis subsit, & Dei Verbum ejusq; ministerium Cælibes Matrimonio anteponunt.* Idem in fine lib. de Captiv. Babyl. agnoscit Pœnitentiam inter Sacramenta. I-

dem

dem tom. 7. fol. 236. *Ubicunq; fuerint illæ veræ & Sanctæ & Sanctorum reliquiæ, ibi fuit, & est vera & Sancta Christi Ecclesia, ibi manserunt Sancti.* Idem præf. in Psal. *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum qui audeat profiteri unum Scripturæ librum â se in omnibus partibus intellectum.* Ubi agnoscit difficultatem in S. Scriptura: at contraria passim docet. Calvinus instruct. contra Libertinos cap. 14. *Temulenti isti, à Deo omnia perstrepentes, eum mali authorem constituunt. Deum à se abnegari oporteret, & in diabolum transmutari, ut malum efficeret, quod ei ab illis tribuitur.* Idem ad cap. 11 ad Cor. de Eucharistia ita dicit. *Christus visibile illud Symbolum nobis porrigendo, unâ dat etiam suum nobis corpus, neq; enim fallax est qui vacuis nos ludat figuris.* Idem de reform. Ecclesiæ. *Mariam veneramur Magistram omnium.* Idem instit. lib. 3. cap. 16. § 1. *Non, aut fidem somniamus bonis operibus vacuam, aut justificationem quæ sine iis constet.* Idem in Matth. 4. *Utinam jejuniorum usus inter nos frequentior, modò idem purus foret!* Id. in 1. Cor. 7. v. 7. *Præclarum donum est virginitas, fateor.* & ibid. in v. 38. *Summa disputationis totius huc redit, meliorem esse cælibatum Matrimonio, quia in illo major sit libertas, & ut expeditiùs homines serviãt Deo.* Et lib. 4. inst. cap. 6. § 15. *Propter Scriptorũ auth. non pugno quin Romæ Petrus mortuus fuerit.* At hæc omnia alibi negat. Similes Calvini contradictiones invenies apud Becanum. Cui ergò parti Contradictionis assentiendum? quamnam ex duabus locutus Spiritus veritatis? aut cur potiùs hanc profectam à Spiritu veritatis spectatâ assertione Prædicatoris credemus?

Propositio 6. *Qui docet adulterium, non est à Deo missus.*

Certè Luth. tom. 2. Jenen. Germ. fol. 151. svadet uxori adulterium si vir ex quapiam causa evaserit impotens. & fol. 162. hæc verba habet. *Si non vult uxor veniat ancilla.*

Pro-

Propositio 7. *Non est vera Fidei Magister qui verbum Dei corrumpit.*

NAm Fides in Verbo Dei fundatur, & si illud corruptum fuerit, non erit vera. At verò Luth. tom. 5. Jenen. Germ. fol. 161. pag. 2. & fol. 162. pag. 2. & tom. 2. Latin. Wittemb. contra Cochlæum hæc habet. De addita à se voce *sola* in epistola S. Pauli ad Rom. *Vox, sola, quam de meo addidi Paulino textui, non diffiteor, debet in meo novo testamento manere, etiamsi omnes Papasini ad insaniam & phrenesim redigantur, tamen non debent eam mihi inde eximere. Doctor Martinus Lutherus sic dicit, & vult, Papam & Asinum idem esse: sic volo, sic jubeo, sic pro ratione voluntas, nos enim non discipulos, sed Magistros & Judices Papistarum esse*: & post pauca. *Lutherus ita vult, & ait se Doctorem esse supra omnes Doctores in Papatu: pœnitet me verò, quòd non addiderim illas duas voces, Omnibus & omnium in hunc modum: Sola fides justificat sine omnibus operibus omnium legum.* Omiserat etiam in suis Biblijs, quod tamen Posteri ejus in novis editionibus reposuerunt. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo &c.* & Marci 11. 26. *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester &c.* plura ejusmodi afferre possumus. Certè ejus Posteri in 1. Cor. 11. versui 25. inseruerunt. *Bibite ex eo omnes.*

Propositio 8. *Qui contemnit Doctrinam SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ non est veræ Fidei Magister.*

QUia etiam ipsi Dissidentes in fide â Catholicis, confitentur in primitiva Ecclesia fuisse veram Fidei doctrinam. At verò Lutherus lib. contra Regem Angliæ, sic contra PP. doctrinam detonat. *Divina majestas mecum facit, ut nibil curem si mille Augustini, mille Cypriani cōtra me starent.* Ampliùs dicit in Comment. epist. ad Gal. *Nostra doctrina sola est, & ejusmodi quæ gloriam Dei illustret. Petrus, Paulus, & reliqui docuerunt extra verbum Dei.* Ampliùs adhuc progressus libro de Concilijs, ubi agit toti Collegio Apostolico Act. 15. non esse credendum de suffocatis, nec obediendum. De aliis

ve-

verò universim Conciliis, tom. 2. Latino in formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi fol. 591. pag. 2. *Si Concilium statueret sub utraq; specie communicandum, tunc in despectum Concilii, sub una specie aut sub nulla communicandum esset &c.* Similia habet Calvin. Nam lib. 3. Instit. cap. 7. dicit: omnes veteres in errorem abreptos esse.

Propositio 9. *Qui docet esse contemnendos Principes sæculares, non est Minister veræ fidei.*

Quia vera Fides docet: *Estote subditi Dominis; cui honorem, honorem; cui tributum, tributum.* At Luth. lib. de sæculari potestate, & contra duo Cæsaris mandata, ita ait: *Principes sæculares ut plurimùm esse vel præcipuos moriones, vel deterrimos nebulones, stolidos, fatuos, insanos.* & addit: *Turcam decies meliorem, & prudentiorem.* In Postilla Dom. 4. Adv. in epist. fol. 42. *Sæculari Magistratui solvendæ contributiones si urgeat: si autem dicat Magistratus ad salutem necessariam esse ejusmodi legum observationem, tunc non solvendæ contributiones, imò contrarium faciendum.* Itaq; non peccant qui non solvunt id quod Magistratui debetur. Vide & prop. hic 26.

Propositio 10. *Qui docet ea quæ rectæ rationi contraria, non est missus â Deo.*

Quia etsi nos Deus velit credere aliqua quæ sunt supra rationem, nihil tamen contrarium rectæ rationi. An verò non contrarium, quæ docet Luth. tom 2. Jenen. Germ. fol. 150. pag. 2. Usum rei venereæ tam esse necessarium opus atq; comedere & bibere. Ex quo sequitur nullum fuisse aut esse castum, sicut nullus est absq; cibo & potu. Et tom 2. Jenen. fol. 311. & 312. Deum præcipere impossibilia. & quod docet tom. 2. Alteburgen. fol. 526. *Caveamus â peccatis, sed multò magis à bonis operibus.* Et quod tom. 2. Alteburg. fol. 606. *Hæc tibi sit regula, quando S. Scriptura mandat bonum, quòd prohibeat ne bonum agamus?* audiatur & illud quod dicit art. damnat. 31. & prop. Heidelberg. 3. & 7. & serm. de piscatura Petri. *Constanter assentimus in omni opere*

bo-

bono peccare justum, & cùm orat, constanter asserimus, omnes actiones bonas esse peccata lethalia.

Propositio 11. *Qui permiscet ordinem Hierarchicum & à primitiva Ecclesia observatum tollit, non est à Deo missus.*

Nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt. At verò in Ecclesia primitiva non omnes habebantur æquè sancti, sed differre censebantur, ut stella à stella differt in claritate. Luther. verò in 1. Petri cap. 1. & in serm. de Nativ. B. V. super Evang. *Liber generationis*, & in Postilla majori in Domin. proxima Epiphaniæ in hunc modum docet. *Omnes Evangelicâ fide renati pares B. Virgini sumus, in honore, & tã Sancti atq; ipsa, dummodò in Christum credamus.* Summatim verò omnia in Ecclesia confundit in artic. damnationis pro Leone X. in assert. 3. tomo 1. Germ. Jenen. fol. 290. & 136. tom. 2. de Ministris Ecclesiæ instituendis, ubi ait. *Omnes Christiani Sacerdotes sunt, tam viri quàm mulieres, Juvenes & Senes, Domini & Servi, Dominæ & ancillæ, docti & indocti, præsentes & futuri. Ministerium Verbi omnibus commune est & mulieribus, non modò jure sed & præcepto, iis, cùm collatum majus est Baptismus & Verbum, multò magis collatum quod minus est, scilicet, consecrare. In Sacramento Pœnitentiæ ubi non est Sacerdos, tantum facit quilibet Christianus, etiam mulier & puer, quàm Sacerdos: non fit enim Sacerdos sed nascitur, non ordinatur sed creatur. Quisquis ex Baptismate prorepsit, gloriari potest, se jam Sacerdotem, Episcopum, & Papam esse, & adversus hoc nihil valent innumera Concilia, æterna consuetudo, universa multitudo mundi.* Itaq; contra S. Paulum, Omnes Doctores, omnes Apostoli, omnes prophetant, omnes interpretantur &c.

Propositio 12. *Ex cuius doctrina sequuntur falsa & impia, ille non prædicat veritatem.*

Ex vero enim non sequitur nisi verum. Ex Catholicorum certè doctrina nihil falsum sequitur, nisi loco illius

 do-

doctrinæ calumnia quæpiam assumatur. Ex Dissidentium verò dogmatibus sequitur. 1. Deum peccatis delectari mortalibus. Quia Luth. in asser. art. 32. docet, omnia opera bona esse peccata mortalia, Deus verò delectatus est aliquibus bonis operibus, ut sacrificio Nóè, Gen. 8. Obedientiâ Abrahæ Gen. 22. &c. &c. Itaq; delectatus est peccatis mortalibus, & sibi placuisse ostendit, & illa laudavit. Item, ut Dissidentes credunt, misit Deus eorum Ministros ad prædicandum, & illos ipsos excitat ad orandū; igitur excitat & mittit ad peccandum mortaliter. Item, dat Deus Matth. 25. pro bonis operibus cœlum, igitur dat pro peccatis mortalibus: & rursus pro peccatis mortalibus punit. Quæ est ista justitia justi Judicis? Item dixit Christus. Discite à me quia sum mitis & humilis corde, itaq; dixit ut ab illo discamus peccata mortalia, &c. Quodsi Dissidentes dixerint: En ut dicunt omnia quidem opera bona, esse ex se peccata mortalia, desinere tamen esse talia, quia non imputantur à Deo, itaque cùm debeamus esse perfecti, sicut Pater noster qui in cœlis est, non imputent & ipsi furta, adulteria, homicidia suis illata, nec pro illis puniant, imò præmia potiùs largiantur. alios verò pro obedientia, innocentia, ignibus urant, in crucem agant. 2. Cùm juxta Dissidentes adorare Eucharistiam, colere imagines, sit idololatria: Status Monasticus sit superstitio; Castitas observatu impossibilis. Sequitur omnes in primitiva Ecclesia fuisse idololatras: plerosq; pro sanctis habitos, fuisse superstitiosos: quæ pro Virginibus, fuisse lupas. Neq; illos per ignorantiam ab his criminibus excusare possunt, quia etiam per ignorantiā exercens idololatriam, non excusatur: per ignorantiam fornicatrix, non est virgo. Longum esset, ex alijs Dissidentium articulis numerare absurda, quæ seqvuntur, & tamen seqvuntur.

Propositio 13. *Qui aliquid oppugnat quod primitiva Ecclesia in usu habuit non est Minister veritatis.*

QUia vel nunquam, etiam juxta Dissidentes, vel in primitiva Ecclesia fuit veritas, at verò Calvin. lib. 3. instit. cap.

cap. 5. §. 10. docet. *Ante mille & trecentos annos receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis.* Has & ipse, & Luther. passim impugnant.

Propositio 14. *Qui fatetur se contra Scripturam dicere non est missus â Deo.*

LUther. equidem in disp. dicit: *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio, purgatorium esse, facilè persvadeor de eo esse in scripturis.* At verò aliàs negat, & pernegat purgatorium.

Prop. 15. *Qui non potest ostendere â quo accepit fidem quam prædicat, non potest præsumi illum docere veram fidem.*

QUia inprimis vera fides est, quæ â primitiva Ecclesia habetur. Deinde cum fide non nascimur, itaq; illam debemus ab aliquo ediscere iuxta illud, *Fides ex auditu.* Dicet Catholicus, se accepisse ab Ecclesia mediantibus instructoribus, Ecclesiam eandem ostendet esse cum primitiva. At Lutheranus (idem de quovis alio Dissidente) debebit dicere etiam mediantibus instructoribus se â primis suæ sectæ Magistris accepisse. Vel, si hoc negat, non ostendet unde acceperit; non enim ab Ecclesia, quia hæc contrarium docet. Jam, si dicat, se v. g. à Luthero accepisse, Lutherum â Deo. Quonam speciali argumento probabit Lutherum accepisse â Deo, ut eodem augumento probare non possit Calvinista Calvinum, vel Arrianus Arrium accepisse â Deo, impossibile verò est, singulos istos accepisse â Deo, siquidem multa contraria docent. Unde constat quòd Luthero & non Arrio Deus locutus? Dicet constare ex scriptura. At ubi in Scriptura extat hæc propositio, *Deus Luthero fidem tradidit?* si ex hoc voles illam inferri, quia pro sua doctrina adducit scripturam: at Hæretici quicunq; fuerunt etiam pro sua adducebant. Dicunt se tamen missos. Sed â quo? respondebit ipse Luther. tom. 5. Jenen. Germ. fol. 491. de clanculatorijs Concionatoribus. Ita enim ille. *Si interrogentur de vocatione sua, quis illis mandaverit ut huc irreperent, atq; in angulo prædicarent: tunc nec respondere possent, nec indicare â quo mandatum*

habeant. Et dico, reverà, si in hujusmodi hominibus qui clam in angulis repunt, nullum aliud crimen hæreret, si toti sancti essent, posset tamen hoc ipsum satis potenter de illis testificari, quòd â diabolo ad docendum missi sunt. In eundem sensum dicit, tom. 2. Jenen. fol. 455. & seqq. de ijsdem loquendo tom. 5. Jenen. Germ. fol. 497. ait. *Itaq; præmoniti estote Ecclesiastici præsides, præmoniti estote qui civilem magistratum geritis, præmoniti estote omnes qui Christiani & subditi esse debetis, ut ab ijs vobis caveatis, neq; eos audiatis. Qui verò eos fert & audit, ille sciat se teterrimum diabolum corporaliter audire, non secus atq; is qui ex obsesso corpore loquitur.* Similia habet tom. 5. Jenen. Germ. fol. 444. Necessitatem missionis agnoscit & Calvin. lib. 4. Instit. cap. 1. §. 5. ubi dicit. *Etsi externis medijs non est alligata virtus Dei, nos tamen ordinario docendi modo alligavit, quem dum recusant tenere phanatici homines, multis se exitialibus laqueis involvunt.* Ordinarius autem modus, missos prædicare.

Prop. 16. *Qui fatetur se errare in prædicatione fidei, nemo illi potest fidere quòd sit vera fidei Magister.*

CErtum est Lutherum in sua doctrina sibi non semel contradixisse, idem est de Calvino, itaq; quod anteà affirmabant, posteà negabant, & priora negando professi sunt in illis se errâsse. Prætereà Luth. in præf. tomi 1. initiò, fatetur se in quibusdam circa suam errâsse, atq; adeò quæ scripserat, revocat. Ita libro de Potestate Papæ asseruit Confirmationis sacramentum: lib. de Captiv. Babyl. negavit. Asseruit peccata mortalia omnia confiteri necesse: Revocavit id in Resolut. Asseruit sermone de Matrim. ann. 1519. Sacramētum Matrimonij esse divinitùs institutum: de captivitate Babyl. revocavit esse divinitus institutum. Ita lib. de potest. Papæ docuit, ordinem esse Sacramentum: libro de Captiv. Babyl. revocat. Et quæ scripserat priùs, in præf. tom. 1. Wittemberg. revocat, ubi fatetur post publicationem suæ novæ fidei se in quibusdam errâsse: & qui scripserat, optat nunquam scripta fuisse. Sed & Calvinistæ in admonit. ad lib. Concordiæ cap. 6. Multos errores Luthero objiciunt

Pro-

Prop. 17. *Non est verisimile eum à Deo missum, qui quæ proponit esse credenda, paratus est statim pro libitu suo docere, non esse credenda.*

QUia Deus contradictoria loqui non potest. At omnis fidei articulus in verbo Dei fundatur. Jam verò Luth. tom. 3. Germ. pag. 274. sic confitetur. *Si quo casu Concilium statueret* (communicandum esse sub utraq; specie) *minimè omnium nos vellemus utrâq; specie uti. Imò tum primùm in despectum Concilij ejusq; decreti, aut unâ tantùm, aut neutrâ uti.* Et tom. 2. Germ. pag. 214. *Quodsi Ecclesia per Concilium aliquo decreto Ecclesiasticis Matrimonij contrahendi, & uxores ducendi libertatem concederet, tum se potiùs dissimulaturum, & crediturum, quòd is potiùs in gratia Dei esset, qui toto vitæ suæ tempore, unum, duo, vel tria, scorta haberet, quàm alius, qui secundùm Concilij ordinationem uxorem duceret. Imò docturum se, sub pœna salutis amittendæ, ne quisquam huius Concilij permissione, uxorem duceret; sed tum primùm vel continenter viveret, vel si esset impossibile, in sua scortatione si meretriculam haberet, non desperaret.*

Prop. 18. *Qui opera bona contemnit, non docet veram fidem.*

QUia vera fides docet. Estote misericordes. Date eleemosynam. Sobrii estote. Non graventur corda vestra in crapula & ebrietate. Cùm jejunaveris &c. At verò Luther. in 2. parte postillæ impressæ Argentorati anno 1537. fol. 140. sic docet. *Summa justitia fides est; contrà, summa injustitia infidelitas, nullum peccatum tam magnum est quod possit damnare hominem, sola infidelitas damnat omnes homines qui damnantur.* Igitur non damnantur fures, adulteri &c. Si fidem habeant, quid ergo prodest esse continentem, & erga alios justum: vana hæc vana! Et in Postil. Germ. parte 2. fol. 154. *Via ad cœlum angusta est, necesse est ut gracilis fias si transire vis, & per scopulos penetrare: qui bonis operibus ornati incedunt; per hanc viam penetrare nequeunt.* Et tom. 2. lib. de Captivit. Ba-

bylon. ſic prædicat. *Vides quàm dives ſit homo Chriſtianus, ſive baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem etiam quantiſcunq; peccatis, niſi nolit credere, nulla enim peccata poſſunt eum damnare niſi incredulitas.* Et in colloq. Menſal. Germ. pag. 135. *Quiſquis dicit quòd Evangelium opera requirat ad ſalutē, mendax eſt.*

Prop. 19. *Non eſt credibile quòd ſit miſſus à Deo, qui libros Scripturæ, agnoſcens eſſe tales, ſubvertit, truncat, vilipendit.*

QUia talis articulum fidei negat ſeu corrumpit. Certè Luth. libros Paralipomenon parvi facit, ita enim in colloq. menſal. pag. 432. *Regum libri centies millenis paſſibus libros paralipomenon antecedunt.* Igitur iſtis viliores tot paſſibus. De libro Eccleſiaſtæ ſic ibid. pag. 481. *Liber iſte plenior eſſe debebat, nimium illi deeſt, nec ocreas habet, nec calcaria, equitat in ſocijs tantùm, quemadmodum ego dum adhuc in cœnobio eſſem.* Hoc eſt docere & corrigere Spiritum S. Et in præf. in novum teſtamentum primæ edit. *Joannis Evangelium, unicum, delicatum, verum, alijs tribus longè anteponendum.* Igitur cætera falſa, & minoris momenti. Et tom 3. Germ. pag. 40. *Moyſes Judaico tantùm populo datus, neq; quidquam ad nos pertinet, qui ex Gentibus facti ſimus Chriſtiani.* Igitur quinq; libri Moyſis à nobis reijciendi. Et pag. 152. *Moyſes Magiſter eſt omnium carnificum, neq; quiſquam eum, terrendo, anguſtiando, increpando, & fulminando, vel ſuperat, vel æquat, Moyſen cum ſua lege nolo ego habere, eſt enim Dei hoſtis.* S. Paulum quanti fecerit, patet ex nota marginali, quam appoſuit comment. in Gal. 6. Hîc Paulus eſt hæreticus. S. Petrum comment. in Genes. pag. 104. dicit, ut fanaticum loqui, quæ nemo intelligat. Ex 1. Ioan. 5. eijcit illa verba. *Tres ſunt qui dant teſtimonium in cœlo &c.* Ubi Iſai. 9 Chriſtus expreſsè vocatur *Deus*, loco vocis Deus in germ. verſione ſubſtituit, *Virtus*, in quo quàm favet Arrianis! Sed non minùs favet Calvin. lib. 1. inſtit. cap. 12. §. 23. ubi negat Chriſtum eſſe Deum de Deo. Luth. l. c. proximè Luc. 1. pro, *gratiâ plena*, ponit *grata*, ſeu *gratioſa*. Et 1. Cor. 9. verba. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circū-*

du-

ducendi? Ita corrumpit. *Sororem quæ uxor est.* Sed adhuc videamus, in quo pretio apud primos Dissidentium Magistros sit S. Scriptura. Luth. in Gal. 3. ante medium, Tom. 5. fol. 345. *Nil moror scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro justitia operum contra fidei justitiam, & clamites scripturam pugnare. Ego habeo authorem & Dominum scripturæ, tu urges servum sive scripturam, hunc relinquo tibi.* Itaq; potest Deus contrarium loqui scripturæ, aut Deo scriptura, hoc est, mentiri. Calvinus etiam Scripturæ nihil tribuit, nisi à privato eius spiritu probetur; Ita enim lib. 1. Instit. cap. 8. §. 13. *Tum verè demum ad salvificam Dei cognitionem scriptura satisfaciet, ubi interiori spiritûs S. persvasione fundata fuerit eius certitudo.* Itaq; est incerta, nisi à privato cuiusq; spiritu roboretur, & tum deniq; certa erit sive in negativam sive in affirmativam partem, cùm id iste spiritus roboraverit, qui quàm contradictoria suggerit, videmus in Dissidentibus.

Prop. 20. *Qui fatetur se odio & invidiâ &c. motum & perperam prædicare non est missus à Deo.*

LUth. in præf. tomi 1. fatetur se agitatum stimulis odij & invidiæ, ab Ecclesia Romana descivisse. Et tom. 7. in epist. ad Argentinen. fatetur, ut posset Pontifici incommodare, nihil illi gratiùs accidere posse quàm si demonstraret, Christum non esse in Eucharistia. Et ut testantur Calvinistæ in admonit. ad lib. Concordiæ cap. 6. verba sunt Lutheri. *Retinebam elevationem Wittembergæ, ut ægrè facerem diabolo Carolstadio, ad quam tamen omittendam inclinabar propter Papistas.* Ipse Luth tom. 2. Germ. fol. 225. *Nos ut illis* (Catholicis qui transsubstantiationem in Eucharistia asserunt) *contrarij simus, & insultemus, credere volumus, quòd verus panis & vinum maneat unà cum corpore & sangvine Christi.* Et tom. 5. Germ. fol. 144. dolet, quòd non magis corruperit textum ex epist. Rom. *Arbitramur hominem per fidem justificari.* Et in præf. tomi 1. fatetur, se ob cupiditatem vanæ gloriæ progressum in oppugnandis indulgentijs. Et in præf. ad suas propositiones de viribus homi-

minis, ait. *Per imprudentiam in istam causam sum lapsus, sed non licet referre pedem, in multis ac magnis articulis non solùm Papæ concedebam, & sed adhærebam.*

Prop. 21. *Qui Deum odit, vituperat, non est missus â Deo.*

LUth. de se loquitur in præf. tomi 1. *Ego non amabam, imò odio habebam justum & punientem peccatores Deum, tacitâq; si non blasphemiâ, certè ingenti murmuratione indignabar.* Calvinus lib. de prædest. pag. 329. docet, Deum aliqua dignâ reprehensione agere.

Prop. 22. *Non est missus â Deo qui Apostolos & alios SS. contumelijs afficit.*

LUth. comment. in Epist. ad Gal. dicit, quòd Petrus, Paulus, & alij Apostoli docuerunt extra verbum Dei. Idem in colloq. mensal. fol. 195. dicit. *Paulus nunquam eò rem deducere potuit, ut discrimen legis & Evangelij rectè constitueret.* Idem in præf. 2. in edit. 1. novi testamenti. *Jacobus quæ scripsit, straminea sunt, arida, tumida.* Idem in respons. ad Ambros. Catherinum. *Judas propter solum Papam scripsit, adversatur Evangelicæ libertati:* Idem in edit. 1. novi testamenti præfat. in Apoc. *In Joanne quæ desideramus, non sunt unius generis.* De cæteris Sanctis summatim sic ait tom. 5. Germ. fol. 434. *Omnis Sanctorum quos colit Ecclesia in eo consistit sanctitas, quòd multùm orârunt, & jejunârũt, quòd magnos labores subierunt, corpus castigârunt, duriter cubârunt, & asperiori vestitu usi sunt: quam omnem propemodum sanctitatẽ etiam canis & porcus quotidiè exercere potest* Calvin. comment. in cap. 2. Epistol. ad Gal. Et in cap. 16. Matth. habet de S. Petro. *Quòd perniciosissimo scãdalo Ecclesiam compleverit, libertatem Christianam oppresserit, eius unitatem sciderit, Christi gratiam obruerit, deformaverit Evangelium.* & in 2. ad Cor. cap. 1. v. 9. S. Paulum vocat *Hominem perversæ confidentiæ, temeritati, ac similibus vitijs obnoxium.* Idem in cap. 21. Act. ait, S. Jacobum *Amore popularium suorum in stultam incidisse indulgentiam, Zelo quodam vitioso & superstitioso cæremonias*

reti-

retinuisse, superstitiosa voca probavisse. Idem in cap. 2. Matth. *Matthæum sæpè veterum citavisse Prophetarum contra genuinum sensum sententias.*

Prop. 23. *Qui libros Scripturæ reijciunt ab omni sæculo receptos, si eorum sunt contrarij doctrinæ, non sunt missi â Deo.*

FEcerunt hoc olim Manichæi. Dum Evangelium S. Matthæi & acta Apostolica reijcerent, quia hi libri eorum doctrinæ fuerunt oppositi. Asserebant enim illi, Christum non de Virgine natum, Spiritum S. non in Apostolos sed in Manetem descendisse, ut testatur S. Aug. lib. 28. contra Faustũ cap. 2. & lib. de Utilitate credendi cap. 3. Ebionitæ S. Pauli epistolas reijciebant, quia tollunt circumcisionem quam illi asserebant. Ut est testis Iren. lib. 10 cap 26. At verò quot libros Luth. & Calvin. rejecerunt, qui eorum doctrinæ contrarij? Anabaptistæ historiam Jobi pro fabula reputant, teste Sixto Senen. lib. 7.

Prop. 24. *Qui contrarium Patribus antiquis docet, non docet veritatem.*

QUia Patres antiqui in vera Ecclesia docebant, atq; adeò veritatẽ prædicabãt. Unum hîc ex Patribus adduco Augustinum, qui etiã apud Diffidẽtes maximæ est authoritatis. At verò Aug. tom. 9. fol. 90. vers. 13. ad illa verba, Arbitramur hominem justicari per fidem, non addit, *solam*. Imò tom. 4. de Fide & operibus ad init. fol. 47. docet, non per solam fidem justificari. Et fol. 49. docet, aliquem posse credere, & non operari benè. Idẽ de purgatorio & oratione pro defunctis scribit tom. 9. fol. 739. col. 2. integram concionem habet tom 9. fol. 421. Docet jejunandum esse diebus Rogationum tom. 9. fol. 337. Sanctos invocat tom. 9. in Medit. cap. 40. Orat pro Matre defuncta lib. 9. Confess. cap. 13. ibidẽ Sacrificij altaris meminit. Plura vide in Indice Patrum.

Prop. 25. *Qui docent, & tamen vi doctrinæ contraria faciunt, eorum doctrina suspecta est de veritate.*

DOcent Dissidentes, posse & solere in rebus fidei errare Ecclesiam, multò magìs personas singulas, itaq; non habent qui illis verbum Dei infallibiliter exponat, itaq; nulli articulo sine dubitatione adhærere possunt. Et tamen se dicũt firmissimè adhærere, & quidem prudenter. 2. Docent Papam esse Antichristum, & Antichristum sedem habere in vera Ecclesia: itaq; Romanam agnoscunt veram Ecclesiam, cùm in ea Papa sedeat, & tamen credunt non esse veram Ecclesiam. 3. Credunt & docent Ecclesiam esse invisibilem, & tamen apud suam Ecclesiam quosdam accusant. 4. Credunt solos esse prædestinatos in Ecclesia, neq; sciunt utrum ipsi sint prædestinati. Et tamen se dicunt certò esse in Ecclesia, & suos Pastores, & verè Sacramenta administrare, & sic omnes partes Ecclesiæ esse visibiles, cùm illas videant. 5. Docent omne opus bonum esse peccatum mortale, & tamen hortantur alios ut audiant conciones, eleemosynas faciant, ad Sacramentum Cœnæ accedant, cùm sciant illos per ista, uti per mortalia peccata, infernum mereri. 6. Docent, injuriam Christo fieri si invocentur Sancti, quia præter Christum alius mediator quæritur, & tamen dicunt se hanc injuriam non irrogare, cùm Ministros suos invocant ut pro ipsis orent. 7. Docent item injuriam Christo fieri si jejunemus, quia Christus pro nobis satisfecit. Et tamen imponunt sibi aliquando publica & privata jejunia. 8. Docent superstitionẽ esse à certis cibis aliquando abstinere, & tamen cùm febricitantur abstinent, cùm superstitio sit intrinsecè mala neq; in ullo casu committenda. 9. Docent à nemine posse castitatem servari, & tamen Matres, Filias, Sorores non tolerant appellari scorta, & se adulteros. 10. Docent, non habere nos liberum arbitrium in rebus quæ spectant salutem; itaq; fures, homicidæ non liberè peccant, cùm abstinere à furto & homicidio spectet ad salutem: & tamen illos puniunt. 11. Docent

cent imagines esse idola, & tamen imagines Majorum suorum retinent. Imò cùm juxta Calvinum Eucharistia sit merè imago, hoc idolum in templis habent. 12. Docent si rebus sacris creatis deferatur honor, esse idololatriam, & tamen ad vocem JESUS qui illorum sunt optimi, caput aperiunt, Biblijs, & Calici in quo Cœnam Sacram sumunt, aliquem honorem deferunt. 13. Docent eo modo omninò administrandã Eucharistiam, quo instituta: & tamen Minister eorum depositis vestibus non lavat illis pedes, & plures accedunt quàm 12. & admittuntur fœminæ. 14. Vota Monastica servari non debere, & tamen si quis illis aliquid promisit, volunt servari promissum. 15. Docent Sanctorum reliquias nullo honore dignas imò contemnendas ne incurratur idololatria: & tamẽ ossa Parentum non patiuntur in sterquilinium abijci, pedibus conteri. 16. Docent omnes ritus sacros esse Magicas superstitiones, & tamen non paucas adhibent in Baptismo, & S. Cœna. 17. Docent Scripturam esse facilem & â quovis intelligi: & tamen pretio conducunt Prædicantes ut eam explicent. 18. Docent Spiritum privatum cuiq; dictare quomodo credere debeat: & tamen fidem prædicant. 19. Docent libertatem fidei cuicunque concedendam: & tamen eam Catholicis prohibent. 20. Docent in Ecclesia tota fidem defecisse, & tamen multa habent â sola Ecclesia quæ sunt de fide, ut quòd Evangelium S. Joannis non sit liber apocryphus. 21. Docent quòd nemo in hoc fallatur si credat esse dimissa sibi peccata, vel cùm Minister annunciat illis esse remissa; & tamen ajunt & docent totam Ecclesiam errare posse. 22. Dicunt se missos ad reformandam Ecclesiam; ut lex Dei meliùs servetur: at verò lex est Dei, ne aliena rapias, tot autẽ Ecclesias Catholicis rapuerunt, & bona Ecclesijs. 23. Negãt Calvinistæ Infantes fidelium egere Baptismo, & tamen eos baptizant. 24. Docent Christum non esse in Eucharistia adorandum quia non est ibi ut adoretur, sed ut comedatur: & tamen (puto) si eum vidissent in mundo, quando venerat ministrare non ministrari, adoravissent. 25. Docent quòd Deus ad peccatum impellat: & tamen confitentur illum esse

 bo-

bonum & Sanctum, & si quis imitetur Deum impellendo aliquem ad peccandum puniunt: cùm tamen vellent ita esse perfecti ut Pater eorum est, deberent Filios suos ad furta, latrocinia impellere. 26. Docent, Electis non imputari peccata, & omnes in sua Ecclesia esse electos: & tamen ipsi illis imputant peccata & puniunt. Et in *Pater noster* non omittunt, *& dimitte nobis debita nostra*, *sicut & nos dimittimus &c.* 27. Docent omnes in sua Ecclesia esse prædestinatos, & prædestinatum non posse perire agnoscunt, & tamen multos vident quotidie de suis transire ad Catholicos, quos credunt perierunt; hos si non credebant esse prædestinatos cùm in illorum Ecclesia fuissent, quo fortiori argumento se credunt prædestinatos? 28. Dicunt suam Ecclesiam fuisse jam olim sed latuisse. Sed idem dicent Anabaptistæ, & quo istos argumento oppugnabunt, hoc seipsos conficient. 29 Dicunt Scripturam solam debere judicare de controversijs fidei. Ac ipsimet in alijs dubijs præter legem adhibent Judices, cur non & in his? imò & in his ajunt privatum cujusq; spiritum esse Judicem. 30. Catholicis obijciunt quasi circulum committant, dum infallibilitatem Ecclesiæ per scripturam probant, & Scripturas per Ecclesiam infallibiliter explicandas docent. Qui tamen non est circulus, quia non obscurum per obscurum, nec ignotum per æquè ignotum probant. Nam Ecclesia Catholicis est nota, utpote visibilis, eius vocem audiunt, Scriptura autem obscura. At ipsi Dissidentes circulum incurrunt, quia Scripturam per Scripturam æquè obscuram, aut per spiritum privatum magis ignotum quàm Scriptura explicant. Non enim possunt nisi ex hoc spiritu probare quòd Scriptura sit â Spiritu S. dictata, quòd incorrupta eius exemplaria habeāt, quòd libros Canonicos ab apocryphis discernant. Quòd Scripturæ legitimum sensum possideant. 31. Dicunt â Catholicis contemni Matrimonium, at ipsi illud è Sacramentorum numero eraserunt, & ad civilem contractum detruserunt. 32. Dicunt hominem gratis à Deo justificari, & tamen docent per fidem justificari.

33.

33. Debere credere hominem se esse justificatum, & tamen per fidem justificari: sed si credit se justificatū, credit id quod factum, itaq; ante fidem est justificatus. 34. Credunt se per fidem justificatos, & tamen orant. *Et dimitte nobis debita nostra &c.* 35. Dicunt, dari vitam æternam intuitu bonorum operum, sed non propter bona opera. Sed, nonne idem est: Do tibi mercem intuitu pecuniæ quam mihi pro illis offers, &, propter pecuniam quam mihi offers pro illis. 36. Dicunt ex sola nos Dei misericordia vitam æternam obtinere, & tamen necessaria volunt esse ad vitam illam obtinendam, Fidem & Baptismum. 37. Dicunt pro omnibus hominibus ita Christum satisfecisse, ut non sit necesse nos collaborare: & tamen â vita æterna excludunt Turcas, Judæos &c. 38. Dicunt, quòd â nullo cibo abstinere debeamus, & tamen negabunt quòd tēpore Apostolorum Fideles comederint suffocata, aut cum sangvine, aut Judæi suillam. 39. Dicunt quòd Pœnitentibus annunciet Minister solùm remissionem peccatorum. Sed quorum ista annunciatio, si quisq; credit fide sibi remissa peccata? siquidem fidem habens jam certus, & multò certior est de remissione: & juxta Diffidentes quilibet annunciare potest hanc remissionem. 40. Dicunt magnam carnificinam & impossibilem enumerare peccata: & tamen cùm soli Deo confitentur, in particulari peccata enumerant, neq; in hoc sentiunt carnificinam. 41. Peccata dicunt esse æqualia, nihilominùs illa puniunt inæqualiter. 42. Dicunt Fidelibus propter fidem non imputari peccata nisi venialia. Et tamen putant adulterum fidelem peccare mortaliter, cùm tamen adulter non eo ipso fidem amittat, & Gentilis evadat. 43. Dicunt quòd ob peccatum veniale possit damnare Deus, nec diffitentur se habere peccata venialia: nihilominùs se credunt salvandos. 44. Dicunt per mortem expiari peccata, attamen id negant in Infidelibus qui æquè ac Fideles moriuntur. 45. Dicunt non debere Pœnitētiam, Ordinem, Extremam Unctionem appellari Sacramēta, quia nusquam Scriptura appellat illa Sacramenta, sed neq;

 Ba-

Baptiſmum aut Euchariſtiam appellat, & tamen illi iſta duo vocant Sacramenta. 46. Docent omnia feſta inter ſe eſſe æqualia: tamen diem Nativitatis Domini, Paſchatis, &c. celebrant totâ die, alia feſta dimidiâ. 47. Docent ab hominibus eſſe inventa feſta, nec ea coli debere: attamen ipſi aliqua feſta non â Scriptura inſtituta celebrant. 48. Negant eſſe Euchariſtiam cultu dignam, & tamen eam aliquo cultu neq; civili colunt. 49. Negant ſacris imaginibus honorem: Euchariſtia ante ſumptionem apud Lutheranos, & ſemper apud Calviniſtas nihil ampliùs eſt quàm imago Chriſti, tamen aliquem cultum illi deferunt. 50. Negant Papam in Eccleſia debere tolerari, & tamen Eccleſiam primitivam agnoſcunt non errâſſe, quæ ſemper habuit Papam. &c. &c.

Prop. 26. *Qui avocat ab obſequio mandatorum Dei, non eſt miſſus â Deo.*

LEx Dei eſt. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* At Calvin. in Matth. 19. 17. *Ne ſerves mandata, quia id nec prodeſt, nec poſſibile eſt.* Et lib. 1. Inſtit. cap. 19. §. 2. docet primam Chriſtianæ libertatis partem eſſe, ſe ſupra Regem erigere, totamque *legis juſtitiam oblviviſci.* Lex Dei eſt. *Servi ſubditi eſtote Dominis.* At Calvin. lib. 4. Inſtit. cap. 20. §. 1. *Nullum Regem aut Magiſtratum â Fidelibus agnoſci debere.* Lex Dei eſt, de unitate uxorum. At Luth. in prop. de Polygamia Epiſcop. & in Gen. 16. docet licitam eſſe polygamiam. Lex Dei eſt de indisſolubilitate Matrimonij. At Calvin lib. de cauſis Matrimonij tom. 5. edito anno 1530. 123. docet poſſe diſſolvi vinculum Matrimonij inter Maritum pauperem & uxorem divitem. Et in 1. Cor. lib. 1. cap. 7. edito anno 1523. docet licitum eſſe Conjugi permutare conjugem, cùm alter ab altero ad furtum, aliudvè peccatum impellitur.

Prop 27. *Qui conſilia Chriſti ſubvertit, non eſt miſſus â DEO*

COnſilia ſunt Chriſti de Paupertate, Caſtitate, Obedientiâ. Hæc unicè Luth. & Calvin. impugnant. Et quidem

quoad

quoad Castitatem Luth. in epithalamio id habet. *Idem est consultare an uxor sit ducenda, & sitne comedendum & bibendum.*

Corollarium ex his propositionibus.

ETiamsi Lutherus & Calvinus ostenderent se missos à Deo, nemo fidem ab illis prædicatam prudenter amplecteretur. Quia docent Deum posse esse authorem mendacij, deceptionis &c. Quis autem prudenter crederet authori mendacij?

Prop. 28. *Qui docet agere contra conscientiam non est missus à Deo.*

LUth. teste Sleidano lib. 3. Hortatus est scripto Wittembergenses ut Missas abrogarent etiam contra conscientiam.

CAPUT IV.

De Necessitate Fidei & Infidelitate.

ARTICULUS I. De Necessitate Fidei.

Prop. 1. *Non omnes fidei articulos tenetur quisq; explicitè credere, tenetur tamen non discredere.*

QUia non omnia vult Deus quæ dixit sciri à quovis, alioqui omnes tantum scire deberent atque doctissimus Theologus, tota Biblia, Concilia &c. tamen in confuso quæcunque sunt revelata à Deo tenetur credere.

Prop. 2. *Non quisq; in quavis fide salvatur.*

QUia sicut una est veritas ita una fides, cætera hæreses, in hæresi verò nemo salvatur. Præterea si posset quisque in quavis fide salvari, quid scriptura fidem doceret, cùm nihil referret quidquid crederemus? quid Concilia, cũ tot difficultatibus congregarentur ad refutandum falsas fides? Vide etiam Epiph. hær. 70. Aug. 88. Theodoret. 57. &c. Præterea si quisq; in sua fide salvari potest, ergo sunt plures veræ fides: ergo plures veræ Ecclesiæ. Ecclesia

enim

enim est cœtus eandē fidem veram habentium. Quòd si hoc est, plures sunt Sponsæ Christi, plura sunt corpora sub eodem capite. Ergo una Ecclesia à Christo accepit oraculum, v. g. *Licet invocare Sanctos:* alia, *non licet.* Una, *Sunt septem Sacramenta.* Alia, *non sunt.* Hæc verò sunt contradictoria, quorum alterum necesse est esse falsum. Ergo alicui Ecclesiæ Christus falsa locutus. Non gratis S. Aug. lib. de hæres. damnat hæreseos sentientes, omnem fidem esse verā. Quodsi una Ecclesia, una doctrina, si doctrina una & disciplina est. Jam verò si ita est, sequitur quod Heb. 12. scriptū. *Quodsi extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non Filij estis.* Sequitur & quod S. Aug. epist. 204. dixit. *Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christo vivus incendereris.* Præterea si quisq; in sua fide salvari potest, quid Concilia & Patres laborabant in extingvendis hæresibus, & populis ad unitatem fidei reducendis? cur Ecclesia semper condemnabat hæreses? cur tormenta ab Hæreticis illa maluerunt sustinere Martyres quàm illorum doctrinæ assentiri? neq; est possibile ut eandem fidem habeant Catholici & Hæretici, quia duo contradictoria non possunt esse idem: asserit verò Catholicus quod negat Hæreticus, & è contrà.

Prop. 3. *Qui errat in fide, non credit.*

Quia credere est assentiri mysterio propter verbum Dei, qui verò errat, non assentitur propter verbum, alioqui non erraret: itaq; errans non credit. At verò Marc. ult. 16. *Qui non crediderit condemnabitur.* Et Heb. 11. 6. *Sine fide est impossibile placere Deo.*

Prop. 4. *In illa Ecclesia debet fides quæri, quæ habet signa veræ Ecclesiæ, & veræ Fidei prædicatorum.*

Signa enim rem manifestant, & si non conveniant alteri, in unius solius rei ducunt cognitionem.

Prop. 5. *Deus etsi omnes vult salvos fieri, non facit tamen miracula ob salutem seorsim singulorum.*

ITa aquam non producit, etsi interim contingat Infantem sine Baptismo ob defectum aquæ mori. Non deportat per Angelos Doctorem Fidei ad Infideles, etsi absq; fide vera pereant. Non expetendum itaq; miraculum quo inducaris ad deserendum errorem; nam Deum non mutat, sed sinit res ire imperturbato naturæ ordine.

Prop. 6. *Ut eligat quis veram fidem, non tenetur omnium sectarum dogmata inspicere.*

QUia id multorum vires excedit. Et fortè nondum omnes sectæ extiterunt, sed aliquæ adhuc futuræ. Sufficit ergo, si attendat ad signa de quibus prop. 4. hic satis enim prudenter hoc modo fidem eliget, neq; erit levis in credēdo.

Prop. 7. *Si constat de aliquo mysterio, quòd sit â DEO revelatum, non opus illius possibilitatem examinare.*

QUia hoc esset de Dei infallibilitate dubitare, an non pro possibili asseruerit impossibile, sitq; deceptus vel deceperit. Prætereà aliqua mysteria superant intellectum humanum, ut SS. Trinitatis, Incarnationis, & posset alicui quid circa illa occurrere, cui solvendo non sufficeret, sicq; se cōjiceret in periculum discredendi.

Prop. 8. *Etsi aliquod mysterium non intelligatur, credendum est, dum constat revelatum esse â Deo.*

QUia juxta doctrinam S. Aug. lib. 5. de Genes. ad liter. cap. 12. priùs debet mysterium credi, postea rationes ejus quæri poterunt. Sed & ante illum Isai. cap. 7. *Non intelligetis nisi credideritis.* In quem ipsum sensum S. Aug. epist. 28. explicat illud Psalmi. *Credidi propter quod locutus sum.* Quomodo autem non sit opus ut intelligatur ante fidem, explicat idem S. Aug. lib. 14. de Trinit. cùm ait. *Aliud est scire tantummodò quid homo credere debeat, aliud autem scire quemadmodum*

hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur. Prior cognitio necessaria ante assensum fidei.

Prop. 9. *Non est recedendum â fide mysterij, si constet illud â Deo esse revelatum, etsi non intelligatur.*

QUia prudenter quisque assentitur nixus his principijs. Quidquid Deus revelavit verum est. Et, Hoc Deus revelavit, ut constat ex motivis evidentibus credibilitatis. De cætero debemus captare intellectum in obsequium fidei.

Prop. 10. *Vera sunt mysteria, etsi eorum ratio reddi non possit, nec opposita argumenta evidenter solvi.*

QUia si Deus revelavit mysterium, satis constat, quòd ita se habeat, quia Deus nec falli nec fallere potest. Et hoc est argumentum certissimum pro veritate mysterij etsi obscurum, quia non explicat naturam mysterij, sed hoc ad scientiam non ad fidem requiritur. Fides autem sine scientia subsistit. Idcircò imprudenter quis discurreret. Non habeo circa hoc mysterium scientiam, ergo nec volo credere seu fidem habere.

Prop. 11. *Non habentes veram fidem, damnantur, seu, quod idem est, qui sunt extra Ecclesiam.*

ITa docet S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 8. inter opera S. Aug. tom. 3. *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, non solùm Paganos, sed etiam Judæos, Hæreticos, & Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* S. Aug. serm. 186. de temp. *Contingit ut in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes. Nunquid præcisum sequitur anima? cùm in corpore esset, vivebat, præcisum amittit vitam. Sic & homo Christianus Catholicus est, dum in corpore vivit; præcisus, hæreticus factus est, membrum amputatum non sequitur Spiritus S. Si ergo vultis vivere de Spiritu S. tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, & pervenietis ad æternitatem.*

Pro-

Prop. 12. *Ad salutem non sufficit sola naturalis de Deo notitia.*

QUia si sufficeret, ad quid fides & Baptismus prædicaretur? certè talis remedium non haberet quo se ab originali peccato expediret. Opus ergo notitiâ supernaturali, seu fide, quæ extra veram Ecclesiam non est. Nam supernaturales gratiæ Spiritui S. attribuuntur. At verò ut docet S. Aug. tr. 32. in Joann. *Qui non est in Ecclesia non accipit Spiritum S.* Est verò in Hæreticis fides tantùm naturalis, qua aliqua credunt cum Catholicis. Ita 1. Tim. 1. Apostolus teste S. Chrysost. loquitur de Alexandro & Hymenæo, quòd circa fidem naufragaverint, quia aliqua non crediderunt, licet aliqua crediderint. Eadem est doctrina S. Aug. Enchirid. c. 5. & lib. 1. contra epist. Parmenion. cap. 7. & lib. de Unit. Eccles. cap. 4. S. Ambr. in Luc. 10. lib. 7. & serm. 52.

Prop. 13. *Qui nihil audivit de fide, etsi non salvetur, non tamen incurrit peccatum Infidelitatis.*

QUòd non salvetur patet ex prop. 11. & ex Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et Gal. 3. ostenditur, neminem justificari sine fide Christi, quòd non peccet, patet ex dicto Christi in hac materia Joan. 5. *Si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Ignorantia enim rei quam quis scire debet non potest esse peccatum, nisi præcedat aliqua notitia talis rei, & obligationis, alioqui transgressio non esset voluntaria.

Prop. 14. *Qui aliam fidem in corde habet, aliam in ore, peccat.*

QUia etsi fidem liceat aliquando non manifestare, mentiri tamen nunquam licet.

Plura huc reduci possunt quæ dicemus de Ecclesia.

Prop. 15. *In fide vera inquirenda non est opus procedere per examen singulorum fidei articulorum.*

PArtim quia hoc est lōgissimum, partim quia difficillimum, possunt enim pro aliquo errore circa aliquod mysterium v. g. contra SS. Trinitatem talia esse argumenta, quæ neque facilè neq; clarè solvere possit. Breve autem & securum est iter ad fidem, si inquiras quæ sit vera Ecclesia, si enim hanc inveneris, veram fidem invenisti. Impossibile enim est esse veram Ecclesiam quæ non habebat fidem veram. Addo ex Isai. 7. *Non intelligetis nisi credideritis.* Et ex S. Aug. Tract. 25. in Joan. *Fides debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium.* In multis errabis circa scripturas, nisi priùs fidem veram habueris.

Prop. 16. *Non est satis ad salutem, credere in Christū.*

QUia crediderunt in Christum Taciani, Pelagiani, Cataphryges, Adamitæ &c. Et tamen damnati. Hinc S. Cypr. epist. 76. *B. Joannes Apostolus, nec ipse ullam hæresim aut schisma discrevit, sed universos qui de Ecclesia exiissent, antichristos appellavit, dicens: Audistis quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi facti sunt multi, qui ex nobis prodierunt.*

Prop. 17. *Nullo sæculo id fuit licitum non credere, quod à tota Ecclesia credendum proponebatur.*

QUia omni illud Christi dictum viguit. *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* Omni sæculo damnabatur crimen infidelitatis, & qui cum Ecclesia non habuit eandem fidem, habebatur pro Hæretico. Sed priusquàm aliquid ab Ecclesia fuisset declaratum, licebat sine nota hæreseos id sequi. Hoc modo aliqui Patres quosdam scripturæ libros non admittebant, quia nondum fuit ab Ecclesia declaratum, illos esse Hagiographos. Ita & modò apud Catholicos circa quædam variant, uti circa immaculatam Conceptionem B. Virginis &c. Quia circa illa non est facta declaratio ab Ecclesia Universali.

Prop. 18. *Si esset libertas circa credenda assentiendi vel dissentiendi, nihil esset in fide certum.*

Quia

QUia soli falso dissentimur, itaq; si liberum esset dissentiri, liberum esset judicare falsa esse de quibus testatur Verbum Dei, atq; adeò nihil certi haberemus in fide.

Prop. 19. *Non est satis ad salutem nostram quòd Christus pro nobis mortuus.*

Quia pro Judæis & Turcis mortuus, nec tamen salvantur.

Prop. 20. *Qui credit quia id illi verum videtur ob aliquam rationem, non habet fidem.*

QUia ob argumentum assentiri, scientia est, non fides. Unde S. Greg. hom. 13. dixit. *Non habet fides meritum, ubi ratio humana præbet experimentum.* Et ante illum Heb. 11. *Fides est argumentum non apparentium.* In quem sensum plura S. August. contra epist. Fundamenti cap. 4.

Prop. 21. *Potest mysterium credendum proponi obscurè, & tamen obligare ad assensum, sicut & lex ad obedientiam.*

QUia de facto S. Paulus testimonio S. Petri quædam obscura in epistolis. Eandem obscuritatem videre est in Psalmis, in Cantico Cantic. in Apoc. Tamen nemo illis discredere potest. Leges etiam humanæ si non essent obscuræ, non fierent tot dissensiones Jurisperitorum in commentando.

Prop. 22. *Nemo potest inquirere in veritatem articulorum, quos constat illi à vera Ecclesia credendos proponi.*

QUia ideò inquireret, quòd de eorum veritate dubitaret. Si verò dubitaret, peccaret; putaret enim Ecclesiam falli, ac non esse veram.

Prop. 23. *Potest aliquis dubitare, an aliquod mysterium sit de Fide.*

QUia potest dubitare an sit ab Ecclesia propositum ad credendum ac consequenter an de illo existat verbũ Dei.

Prop. 24. *Etiamsi Fides sit donum Dei, debet tamen Infidelis se ad illam disponere.*

QUia de lege ordinaria etiam alia dona ſpiritualia nonniſi diſpoſitis conferuntur. Nam non pigro, ſed facienti quod ex ſe eſt, Deus gratiam non denegat. Ad Fidem diſpoſitio præter vitam probam, eſt inquiſitio veræ Eccleſiæ per ejus notas.

ARTICULUS II. De Infidelitate.

Prop. 1. *Qui â vera Eccleſia deficit, eſt Hæreticus vel Schiſmaticus.*

QUia â fidelium cœtu non aliter deficiunt, quàm fidem, vel unionem deſerendo. Catholici non defecerunt â vera Eccleſia, â qua enim defeciſſent? igitur ſi aliquando fuit vera Eccleſia, illa eſt etiam modò quam Catholici conſtituunt. Diſſidentes fatentur ſe ab Eccleſia receſſiſſe: ſi ergo â vera receſſerunt, ſunt Hæretici: ſi defecerunt â falſa, ante illos deſiêrat eſſe vera Eccleſia, ſi hoc ſentiunt, hæreſim Donatiſtarum tenent, hoc enim illi docebant, ob hoc damnabantur hæreſeos: teſte Aug. lib. de Unit. Eccl. cap. 12.

Prop. 2. *Qui vel unum Articulum non credit cum vera Eccleſia, eſt Hæreticus.*

QUia Hæreticus eſt qui vel unam hæreſim committit, talis verò committit, non credit enim aliquid, quod revelatum eſt.

Prop. 3. *Non ſatis eſt ad ſalutem (ut vocant Diſſidentes) in fundamentalibus convenire.*

QUia quidcunq; non crediderit, eſt Hæreticus per prop. præcedentem & damnatur per prop. 11. art. 1. hujus cap.

Prop. 4. *Hæreticus eſt qui non credit aliquid, etſi illud non ſit in ſymbolo Apoſtolico.*

QUia licet in ſymbolo Apoſtolico ſint articuli qui ab omnibus ſciri & credi debent, ſunt tamen extra ſymbolum, qui licèt non ab omnibus ſciri debeant, â nemine tamen diſcredi & negari poſſunt. Et ita ſequentes damnati

ſunt hæreſeos, licèt non eos articulos negarent qui ſunt in ſymbolo. Arriani, qui negabant Filium Dei conſubſtantialem Patri. Macedoniani, qui Spiritum S. minorem Filio volebant. Neſtoriani qui duas in Chriſto perſonas adſtruebant. Eutichiani, qui Chriſti carnem in Divinitatem putabant converſam. Apollinariſtæ, qui in Chriſto Verbũ Divinum loco animæ aſſerebant. Monothelitæ, qui unicam in Chriſto voluntatem admittebant. Pelagiani, qui peccatum originale negabant, & hominem ſalvari viribus naturæ volebant. Donatiſtæ, qui Eccleſiam veram docebant periiſſe. Novatiani, qui lapſis pœnitentiam negabãt. Montaniſtæ, qui ſuum Montanũ credebant eſſe Paracletum.

Prop. 5. *Etiam ille Hæreticus eſt, qui non in principalibus (ut illi ajunt) à fide recedit.*

QUia juxta ipſos Diffidentes non principalia ſunt, quæ non credentes damnat S. Paulus 1. Tim. 4. tanquam hæreticos, ut illos, qui putabant ſalvatum iri aliquando dœmones. Item illos, qui damnabant nuptias. Item illos, qui eſcas rejiciunt certas, tanquam malum eſſet in ſe veſci illis. Et S. Joannes 1. Joan. 4. illos qui duas perſonas in Chriſto aſſerebant.

Prop. 6. *Hæreticus non ſalvatur.*

ITa S. Paulus ad Tit. 3. 10. cùm dicit. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejusmodi eſt & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Quis etiam ſenſus in primitiva Eccleſia fuerit, audiatur S. Cypr. lib. de Unit. Eccl. *Nec pertinet ad Chriſti præmia qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, qui relinquit Eccleſiam Chriſti: habere jam non poteſt Deum Patrem qui Eccleſiam non habet Matrem.* Et adducit pro hoc Matth. 12. 30. Joan. 10. 16. & 19. 24. & 1. Cor. 10. & 11. 19. & Exod. 12. 46. Tum de his qui ſe ab Eccleſia ſejunxerunt ſubjungit. *Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſangvine abluitur, inexpiabilis eſt & gravis*

culpa

culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest qui in Ecclesia non est, ad regnum pervenire non poterit, qui eam quæ regnatura est derelinquit: occidi talis potest, coronari non potest. Hostis altaris adversùs sacrificium Christi rebellis. &c. Et pro hac re multos scripturæ locos adducit, jam in hoc sensu ab Ecclesia intellectos. S. Aug. contra Donatistas lib. 4. cap. 17. ita ait: *Neq; hoc Baptisma, ut quis Christum coram hominibus confiteatur & sangvine suo baptizetur, hæretico prodest; si quamvis confessus extra Ecclesiam fuerit confessus, quia charitatem non habuisse convincitur, de qua Apost. 1. Cor. 13. 3. Etsi tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Et cap. 18. *Salus extra Ecclesiam non est, quis negat? & ideò quæcunq; ipsius Ecclesiæ habentur extra Ecclesiam, non valent ad salutem, sive aliud sentiant quàm veritas habet, sive ab unitate præcisi non colligant cum Christo, sed spargant.* (vide Schismaticos) *Nam de Hæresibus dicit Apost. Gal. 5. 21. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Prop. 7. *Diffidens in fide si prudenter agat, omninò de sua fide dubitabit.*

QUia inprimis Diffidens nullum argumentum potest habere, quo sibi certè persuadeat, Lutherum potiùs missum â Deo ad fidem docendam quàm Calvinum, &c. & è contrà. Deinde etsi haberet, cùm toties contradictoria sui Magister, quid tandem sit verum, non definiet. Deinde dato quòd id definiret, si se ad primitivam fidem reflexerit, videbit omninò suam ab illa diversam. Videbit quòd cōsensus Patrum, Martyrum, Concilia sint contraria. Videbit suæ fidei deesse antiquitatem, constantiam cùm toties sit mutata, nihil deniq; inveniet quod ipsi certò probet suam fidē non esse suspectam. Nam quòd scripturâ utatur, omnes Hæretici sunt usi scripturâ. Quòd aliquos habeat doctos viros, etiam sectæ hæreticæ habuerunt.

Prop. 8. *Qui unum articulum non credit, nullum fide salvificâ credit.*

FIdes salvifica est supernaturalis, nam per actus naturales salvari, hæresis fuit Pelagij, jam verò fides supernaturalis neq; quoad habitũ consistit cum peccato hæreseos: neq; quoad actum, quia homo per auxilium Dei elevaretur ad actum supernaturalem Fidei, gratia sanctificans homini infunderetur, & peccatum hæreseos non abolitum maneret, atq; ita gratia cum peccato consisteret, quod naturaliter esse non potest, imò fortè nec supernaturaliter.

Prop. 9. *Qui de uno articulo dubitat, de omnibus dubitat.*

QUia ideò de uno dubitat, quia non assentitur de illo revelationem existere, licèt Ecclesia testetur illam existere: itaq; jam suspectum habet Ecclesiæ testimonium & fallax: quodsi hoc testimonium circa unum articulum fallit, etiam circa alios fallere potest, atq; talis consequenter de omnibus dubitare debebit.

Prop. 10. *Aliud est esse Hæreticum, aliud Errantem.*

EXplicat hoc S. Aug. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. edit. Basilien. tom. 5. pag. 221. Errat qui putat ipsam esse Catholicam fidem quòd v. g. Christus tantùm sit homo, sed paratus ab hoc sensu resilire, si veritatem edoceretur, & talis non est hæreticus. Alter verò qui hoc ipsum credit, sed licèt ipsi ostendatur esse contra Ecclesiæ fidem, non recedit, & talis est hæreticus.

Prop. 11. *Non licet examinare dogma, an sit conforme Verbo Dei nec ne, si sit ab Ecclesia ad credendum omnibus propositum.*

QUia Eccles. 12. 11. dicitur. *Verba Sapientum sicuti stimuli, & quasi clavi in altum defixi per Magistrorum consilium data sunt â Pastore uno his ampliùs Fili mi ne requiras.* Quia nimirum vox Ecclesiæ est vox Dei. Luc. 10. 16. Neque licet Spiritus

examinare an sint ex Deo, si constet eos esse ex Deo, cō-stat autem Spiritum Ecclesiæ esse ex Deo Joan. 16. 13. unde 1. Thessal. 4. 8. de sua doctrina dicit Paulus. *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Hoc ipsum Luth. l. de potestate Papæ profitetur. *De nullo privato homine certi sumus, habeat, nec ne, revelationem Patris, Ecclesia autem ipsa est de qua dubitare non licet.*

Prop. 12. *Non licet sequi doctrinam Pastoris si ea sit contraria doctrinæ communi Ecclesiæ.*

QUia qui â communi doctrina discrepat, non est ampliùs Pastor Ecclesiæ, quæ est unum corpus, per unitatem fidei. Et tum Pastoris doctrina examinanda non tamen juxta propriam interpretationem, sed juxta communem Ecclesiæ doctrinam, & tum non ipse subditos, sed Ecclesia per ipsum examinabit. Quodsi subditus inculpabiliter nesciat doceri contrarium ab Ecclesia, quamdiu id illi non innotescit, tenetur audire suum Pastorem, & tunc non errabit propriè contra fidem, & bonos mores, sed solùm materialiter.

Prop. 13. *Doctrina Pastoris non per Scripturam examinanda.*

QUia non Scripturæ immediatè vel non soli, subjecit Deus suos Fideles, sed per doctrinam vivam suorum superiorum, scriptura enim malè potest exponi, non ita viva vox Ecclesiæ.

CAPUT V. De Ecclesia.

ECclesiæ nomine accipimus cœtum idem credentium. Et agemus 1. De Ecclesia. 2. De notis veræ Ecclesiæ. 3. De notis falsæ. 4. De Romana Ecclesia. 5. De Potestate Ecclesiastica. 6. De Regula fidei & Judice Controversiarum. 7. De Romano Pontifice & Ecclesia in ordine ad fidem. 8. De rebus credendis,

AR-

ARTICULUS I. De Ecclesia.

Prop. 1. *In Ecclesia non omnes docere debent.*

QUia ut Apostolus dicit, *Non omnes Doctores*, & si essent omnes, quem tandem docerent?

Prop. 2. *Poterat â DEO conferri alicui personæ primatus in Ecclesia, ita ut transiret ad successores.*

QUia hoc modo summum Sacerdotium in lege veteri collatum Aaroni.

Prop. 3. *Decet ut in Ecclesia suprema potestas sit penes unum.*

QUia Decet ut Ecclesia optimum habeat regimen, tale verò juxta Arist. 12. Metaph. est, quod est penes unum.

Prop. 4. *DEUS aliquando per os Ecclesiæ nobis loqui potest.*

Quia ita locutus est per Prophetas & Apostolos.

Prop. 5. *Non potest credi veram Ecclesiam errâsse in fide.*

Quia nunquam â DEO revelatum.

Prop. 6. *Non potest aliquid firmiter credi nisi proponat Ecclesia.*

QUia non potest certitudo omnimoda haberi, quòd de aliquo mysterio extet verbum DEI, nisi id affirmet, qui in tali re errare non potest: hæc verò est Ecclesia. Unde S. Aug. ad epist. Fundamenti dixit cap. 5. *Evangelio non crederem nisi id Ecclesia testaretur Evangelium.*

Prop. 7. *Priùs debet quæri de vera Ecclesia, quàm probari mysteria.*

QUia probari debent mysteria per id, quòd verè de illis extet verbum DEI. Sed non potest probari quòd verè est verbum DEI infallibiliter, nisi Ecclesia vera testetur: item sine expositione Ecclesiæ non potest certò sciri, in quo sensu Scriptura est verbum DEI.

Prop. 8. *Potest vera Ecclesia â quovis cognosci.*

QUia sicut cætera mysteria licèt in se obscurissima ta-

men evidenter ſunt credibilia juxta illud. *Nimis credibilia facta ſunt teſtimonia tua.* Ita etiam hoc myſterium, *Hæc Eccleſia eſt vera*, evidenter eſt credibile ſi diligentia adhibeatur. Idcirco culpabilis eſt, qui veram non tenet Eccleſiam.

Prop. 9. *Vera Eccleſia debet eſſe una.*

QUia una Eccleſia eſt congregatio unam fidem habentium, itaque ubi vera Eccleſia, vera fides: ſed fides vera non poteſt eſſe niſi una, itaque & Eccleſia vera non niſi una, licèt per diverſos locos diſperſa. Præterea unius capitis eſt unum corpus, Chriſtus verò eſt unum caput Eccleſiæ, itaque Eccleſia eſt unum corpus, & quia Chriſtus unius Eccleſiæ eſt caput, & illa cujus ipſe eſt caput, eſt vera: itaque unica eſt vera.

Prop. 10. *Diverſitas rituum non facit plures Eccleſias.*

QUia Eccleſia non eſt congregatio eosdem ritus, ſed eandem fidem habentium, hinc licèt ritus diverſi Latinorum & Græcorum, & inter ipſos Latinos quorundam Eccleſia tamen eſt eadem.

Prop. 11. *Si Eccleſia aliquando erravit non eſt vera.*

QUia ſi ſemel erravit in rebus fidei nemo tutò poteſt illi fidere cùm teſtatur, verbum DEI de aliquo articulo exiſtere, ſi nemo in hoc fidere, nemo credere atque fidelis eſſe: defectu autem fidelium, non poteſt eſſe vera Eccleſia.

Prop. 12. *Eccleſia vera non poteſt errare.*

QUia ſi poſſet errare nemo certus poſſet eſſe de fide, ſi nemo certus, nulla eſſet Eccleſia.

Prop. 13. *Poteſt eſſe Eccleſia abſq; verbo DEI ſcripto.*

NAm fuit Eccleſia ab orbe condito uſque ad Moyſen ſine ſcriptura, Chriſtiana etiam Eccleſia licèt non regeretur legibus veteris Teſtamenti, ſine ſcripto novo fuit

per

per aliquod tempus, uti est videre apud Euſeb. Cæſarien. lib. 3. cap. 18. Hiſt. Eccleſ. apud S. Epiph. hær. 51. apud Niceph. lib. 2. cap. 11. & 45. hiſt. Eccleſ. & S. Iren. lib. 3. cap. 4. teſtatur etiam ſuo tempore, hoc eſt anno Chriſti 150. fuiſſe aliquot nationes Chriſtianas, quæ Chriſtiano more ſine ſcriptura vivebant ſecundùm Apoſtolorum traditionem.

Prop. 14. *Poteſt in Eccleſia vera optari morum ſed non Fidei reformatio.*

QUia ſi vera eſt Eccleſia, veram fidem habet, atque ita fidei reformatio expeti non debet. Sed tamen ſalvâ fide mores poſſunt corrumpi, nam ſola infidelitas deſtruit fidem, non autem alia peccata: igitur poteſt morum optari reformatio in vera Eccleſia, imò in Eccleſia Synodi ſæpe convocantur ad mores corrigendos.

Prop. 15. *Si liberum eſſet cuivis credere quod vellet, nulla eſſet Eccleſia.*

QUia homines diverſè crederent, ut patet inter Diſſidentes, qui ſibi concedunt libertatem credendi, ubi autem diverſa creduntur, non eſt Eccleſia, quæ eſt cœtus idem credentium.

Prop. 16. *Si Eccleſia errare poteſt, non obligamur credere Evangelio.*

CUr enim potiùs credimus Evangelio S. Matthæi quàm illi quod affingebatur S. Thomæ? an quia ſcriptura alia teſtatur Evangelium Matthæi eſſe verum, non Thomæ? ſed quæ illa? ſed ſanè hæc atteſtans ſcriptura extiterit, cur illi ipſi potiùs credimus quàm facto Thomæ Evangelio? atqui aliquorum librorum nulla meminit ſcriptura, v.g. Apocalipſeos. Credimus itaq; potiùs Evangelio Matthæi quàm Thomæ, quia Eccleſia teſtatur verum eſſe Evangelium Matthæi non Thomæ. Sed ſi in hoc teſtimonio Eccleſia errare poteſt, nemo ſecurus eſt de veritate Evangelij

ſecundùm Matthæum, itaq; nemo tenebitur iſti Evangelio credere. Et ratio eadem eſt de cæteris Evangelijs. Quodſi ut Calvin. lib. 1. inſtit. cap. 7. §. 4. docet. *Inde nos ſcire Evangelicorum librorum veritatem, quòd habeamus internum ſpiritûs teſtimonium omni ratione præſtantius.* Sed unde conſtat quòd hic ſpiritus qui loquitur Calvino, ſit ſpiritus veritatis, & non mendacij? nonne poteſt quivis homo errare & duci ſpiritu erroris? & quidſi dum Calvino dictat ſpiritus de Evangelio Matthæi quòd ſit verum, dictet Luthero, utì dictabat Manichæis quòd ſit falſum, cui è duobus potiùs credendũ? præterea ipſe Calvin. lib. 4. Inſtit. c. 1. §. 5. non ſpiritum privatum ſed *Eccleſiam vocat fidelem verborum Dei cuſtodem.* Ad Eccleſiam non ad privatam perſonam non ſolùm omnes Catholici docent ſpactare dubiorum deciſionem in rebus fidei, ſed etiam diſſidentium Magiſtri. Philip. Melanchton in locis cap. Eccleſia. Brentius in Confeſſ. Wittemberg. cap. de Scriptura. Zwinglius tom. 2. fol. 57.

Prop. 17. *Qui non eſt in vera Eccleſia, ſalvari non poteſt.*

ITa S. Cypr. lib. de Unit. Eccleſiæ. *An ſecum Chriſtum eſſe opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi in confeſſione nominis occiſi fuerint, macula iſta nec ſangvine abluitur, inexpiabilis eſt, & gravis culpa diſcordiæ nec ſangvine purgatur: eſſe Martyr non poteſt qui in Eccleſia non eſt, ad regnum pervenire non poteſt, qui eam quæ regnatura eſt, derelinquit.* S. Aug. ſermon. 181. de tẽpore. *Quiſquis ille eſt, & qualiſcunq; ille eſt, Chriſtianus non eſt qui in Eccleſia Chriſti non eſt.* Idẽ lib. 3. de Symb. cap. 11. *Nec amare, nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia Chriſti non eſt, quoniam omnis qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt, qui vita æterna eſt.* Idem de Unit. Eccleſ. cap. 16. *Ad ipſam ſalutem & vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum: habere autem caput Chriſtum non poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Idem lib. 4. cap. 10. de Symbolo. *Si quis abſq; Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero Filiorum: nec*

habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem: nihilq́ ei valebit quòd credidit, vel fecit tanta bona, sine fine Summi Boni. Ecclesia Mater est spiritualis, Ecclesia sponsa Christi est gratiâ eius dealbata, pretioso sanguine dotata. S. Ambrof. in Luc. lib. 7. cap. 11. *Omnes hæreticos & schismaticos â regno Dei, & ab Ecclesia intellige seperatos, & ideò non Dei, sed immundi spiritûs, omnes Hæreticorum, Schismaticorumq́ liquidè claret esse conventus.* Ipse Calvin. lib. 4. Instit. cap. 1. §. 4. *Verùm quia nunc de visibili Ecclesia differere propositum est, discamus vel uno Matris elogio, quàm utilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria: quando non alius est ad vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi alat suis uberibus, deniq́ sub custodia & gubernatione nos suâ tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis. Adde quòd extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, aut salus.*

Prop. 18. *Extra Ecclesiam Catholicam nemo salvatur.*

S. Aug. super gestis cum emerito ultra medium tom. 7. hæc habet. *Salutem non potest habere nisi in Ecclesia Catholica; extra Ecclesiam totum potest esse præter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Alleluia, potest respondere Amen, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. fidem (naturalem) habere, & prædicare, sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit invenire.* Idem epist. 50. ad Bonifac. *Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cujus ille salvator corporis sui, extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.* Et epist. 152. *Quisquis ab Ecclesia Catholica separatus fuerit, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quòd â Christi unitate disjunctus est, ira Dei manet super eum.* S. Hieron. epist. ad Damasum. *Si quis in arca Noë* (de Ecclesia loquitur) *non fuerit, peribit.* Leo 1. epist. 70. *Sola fides Catholica sanctificat, & vivificat.*

Prop. 19. *Non debet vera deseri Ecclesia, quia in ea sunt aliqui improbi.*

Quia aliud est fides, aliud mores mali. Et potest tam unũ esse

esse cum alio, quàm sine alio. Propterea si ob quorundam malos mores deserenda esset Ecclesia vera, debuisset deseri illa in qua fuerunt Apostoli, nam in illa inventus est Corynthius incestuosus, Simon pessimus &c.

ARTICULUS II. De Signis veræ Ecclesiæ.

Prop. 1. *Cujus Doctrina Ecclesiæ non mutata est â doctrina Apostolorum, est vera.*

QUia vel nulla est fides vera, vel illa est vera quam Apostoli docuerunt, itaq; quæ Ecclesia retinet fidem datam ab Apostolis, est vera.

Prop. 2. *Cujus Ecclesiæ doctrinã approbat Deus miraculis, illa est vera.*

QUia confirmare falsitatem, est perinde ac loqui falsitatem. Deus verò loqui non potest falsum. nec confirmare: ergò si confirmat, verum confirmat.

Prop. 3. *Ecclesia vera est visibilis.*

QUia & illa visibilis fuit, quæ constitit & Apostolis & discipulis. Visibiles enim illi erant, nec aliquid præter illos Ecclesia fuit. Hinc S. Aug. tr. 1. in epist. Joan. *Nunquid non digito ostendimus Ecclesiam Fratres mei? nonne aperta res est? Quid ampliùs dicturus sum, quàm cœcos qui tam magnũ montem non vident? qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?*

Prop. 4. *Ecclesia vera admittit bonos & malos.*

QUia Ecclesia Corynthiorum habuit incestuosum, ebriosos, gulosos inter Sanctos.

Prop. 5. *Cujus Ecclesiæ desertores vocantur â toto mũdo Hæretici, illa est vera.*

Quia Hæreticus est qui negat & deserit veritatem.

Prop.

Prop. 6. *Quæ Ecclesia suadet opum contemptũ, continentiam, carnis mortificationem est vera, si suadeat suæ Fidei.*

NAm talis conformat se doctrinæ Evangelij, quæ ista suadet, & observatoribus præmia pollicetur. Hæc Apostoli, hæc primitivæ Ecclesiæ viri fecerunt, & quidem ex doctrina fidei, quam Ecclesia profitebatur. Fecerunt aliqua horum quidem veteres Philosophi, sed ductu rationis, non fidei, uti & quidam moderni Diffidentes, nam Fides illos non ducit ad pia opera, imò ab illis avocat, docet enim illa non prodesse imò obesse utpotè peccata, uti docuit Luth. lib. de Votis Monasticis, & in refut. contra Eccles. pro assert. art. 31. & seq. Calvin. lib. 3. institut. cap. 11. § 3. & cap. 12. § 4.

Prop. 7. *In qua Ecclesia placuerunt aliqui Deo, illa est vera.*

QUia sine fide vera impossibile est placere Deo: igitur in qua Ecclesia placuerunt aliqui, illa veram fidem habet, ac est vera.

Prop. 8. *Quæ Ecclesia primitivam in fide perfectè imitatur, illa est vera.*

QUia primitiva Ecclesia fuit vera. Docebat autem illa vi fidei contẽptum mundi, continentiam, asperas pœnitentias, versùs Præpositis obedientiam. Adducebat ad fidem Christi integras Gentes Ethnicorum. Non sinebat ut quisq; scripturam juxta suum privatum sensum acciperet, nusquam docuit solam fidem ad salutem sufficere, verbum Dei extra scripturam agnoscebat, ut de non celebrando Paschate cum Judæis &c. Per Episcopos ordinabat Sacerdotes, & ab illis distingvebat, Cathedram Petri profitebatur, & Sacramenta quòd sint causa gratiæ, quòd Sacerdotes habeant potestatem dimittendi peccata, invocabat Sanctos, colebat S. Reliquias &c. &c.

Prop. 9. *Vera Ecclesia errare non potest.*

QUia si posset vera Ecclesia errare, posset fieri ut nulla esset Ecclesia, errans enim in fide non est Ecclesia præter veram etiam unam alia non potest esse vera, cùm sicut una est fides, ita una Ecclesia.

Prop. 10. *Quod Ecclesia vera docet, omninò credendum.*

Quia vera Ecclesia veram docet fidem neque errare potest, & sine fide salvari non possumus.

Prop. 11. *Nemo potest verè credere extra Ecclesiam.*
Quia si veram habet fidem, jam est in Ecclesia, & ab Ecclesia non potest abesse nisi ob infidelitatem.

Prop. 12. *Ecclesia visibilis debet habere caput visibile.*

QUia invisibile caput est improportionatum corpori visibili, putaretur enim deesse. Potest tamen esse invisibile caput talis corporis in ordine ad actiones internas & invisibiles.

Prop. 13. *Non est signum, esse te in vera hac Ecclesia, quia in hac natus es.*

QUia sic omnes Hæretici, Donatistæ, Pelagiani &c. haberent signum se esse in vera Ecclesia. Opus ergo spectare an tuæ Ecclesiæ competant signa veræ Ecclesiæ, quæ in Symbolo Apostolico & Niceno ponuntur, an sit una, Sancta, Catholica, Apostolica.

Prop. 14. *Non potest assumi pro signo quòd sis in vera fide, quòd tua Ecclesia verè Scripturam explicet.*

QUia unde hoc constabit quòd verè explicet, nisi quia vera est Ecclesia? nisi quòd sit illa quæ in explicando falli non potest? itaque priùs debet aliunde constare quòd tua sit vera Ecclesia.

Prop.

Prop. 15. *Nec potest assumi pro nota veræ Ecclesiæ & bonæ expositionis quòd Scripturam unam per aliam explicet.*

QUia de hoc ipso constare debet, quòd in applicatione unius Scripturæ ad aliam non erret, quòd non potest aliunde haberi nisi quia illa Ecclesia est vera & infallibilis. Nam Scriptura una potest erroneè ad aliam applicari, cujus rei dabimus inferiùs exempla. Itaque priùs aliunde debet esse nota veritas Ecclesiæ.

Prop. 16 *Ex malitia aut bonitate personarum saltem ex parte, non potest inferri veritas Ecclesiæ.*

QUia aliud est benè agere, aliud benè credere. Multi Ethnici benè egerunt, non ideo fidem bonam habere censentur. Fides est in intellectu. Actio bona dependet à voluntate. Præterea Ecclesiæ Sanctitas non ex eo colligenda, quòd aliquis in ea non sit malus, nam & in Collegio Apostolorum fuit Judas proditor; sed quia propositum habet sanctum, medijs docet uti sanctis, prohibet peccata, svadet virtutem. Deniqùe ad actus virtutum non est ut præcedat actus fidei, sed sufficit actus prudentiæ, ita possum dare Eleemosinam pauperi quem prudenter judico esse pauperem, etsi fide illum non credam esse pauperem.

Prop. 17. *In notam veræ Ecclesiæ non potest assumi sincera prædicatio verbi Dei, & usus Sacramentorum.*

QUia id sibi etiam Hæreticæ Ecclesiæ arrogare possunt, teste S. Aug. lib. 3. contra Donatistas cap. 19. præterea in vera Ecclesia particulares Prædicatores etsi non obstinatè errorem prædicare possunt, ita apud Corynthios quidam prædicabant non fore mortuorum resurrectionẽ apud Galatas, quòd lex Moysi retinenda esset cum Evangelio. Si autem dicatur de Universali prædicatione, hoc per aliud signũ debet innotescere quòd sincerum verbum Dei prædicent.

Prop. 18. *Dissidentes non possunt suam Ecclesiam apud se statuere.*

QUia Luth. contra Ambr. Catharinum docet. Veram Ecclesiam esse spiritualem & solâ fide perceptibilem. At illi non sunt spiritus neq; fide percipiuntur. Ubi enim scriptum quòd Ecclesia Lutherana sit vera? per scientiam etiam illam non debeat percipere, quia illam scirent, credere autem debent. Fassus id ipse Luther. lib. de Missa privata his verbis. *Quis Ecclesiam nobis monstrabit, cùm sit occulta in spiritu & solùm credatur?* Atqui ostendimus credi non posse. Ubi enim item scriptum. Ecclesia solùm est in spiritu? Similia docet Confessio Helvetica posterior cap. 12. & Confessio Belgica artic. 27. & Beza in sua Confessione cap. 5. 8. 9. & Calvin. lib. 4. Institut. cap. 1. art. 7. & Confessio Saxonica art. 11. & quoscũq; textus pro sua Ecclesia adducunt, eosdem adduxerunt pro sua itidem invisibili Donatistæ apud S. Aug. de unit. Eccles. cap. 12. & 13.

ARTICULUS III. De signis falsæ Ecclesiæ.

Propositio 1. *Falsa est Ecclesia quæ suam veritatem non potest alijs argumentis probare quàm illis ipsis quibus suam probant quos illa habet pro Hæreticis.*

NAm nulla secta Dissidẽtium producet ullum argumentũ pro se, quod etiam alia pro se adhibere non possit. Probent enim v. g. Lutherani, Ministri, penes se solos esse unicam veram Ecclesiam, quam in Symbolo profitemur sanctam aliquo argumento, quo non possint uti Calvinistæ, Anabaptistæ &c. tale nunquam dabũt. 2. Probent se à Deo missos ad docendum populum, similiter argumento quo Calvinista uti non possit v. g. 3. Probet seclusâ authoritate Ecclesiæ ac traditionibus, apud suos Lutheranos verbum Dei purum & genuinum reperiri. 4. Probet quòd genuinus Scripturarum sensus & intelligentia, nec non legitima Sacramentorum administratio, apud Lutheranos potiùs sit quàm

apud alios, idq; argumento ejusmodi quo alij non possint uti, quos ille pro hæreticis habet. Nam si possint uti, non minùs probabunt sectam aliorum quàm Lutheranam. Et erit argumentum quòd nimis multum probabit, atq; adeò nihil. 5. Probet simili argumento, Apostolorum miracula, quibus fidei veritatem probârunt; potiùs Lutheranis quàm alteri cuipiam sectæ, quæ Christiana vult dici, suffragari. 6. Producat è sacris literis quempiam textum, qui prædicandi, & Sacramenta administrandi, aut Ecclesiã reformandi majorem authoritatem tribuat Lutheranis, quàm alteri cuipiam sectæ, quam illi ut falsam reijciunt. 7. Probet suam fidei successionem firmiori argumento quàm alij; quos habet pro Hæreticis. 8. Producat textum sacrum, quo ostendat visibilem Dei Ecclesiam aliquando interituram, erraturam, hoc enim debuit præcedere ut reformaretur. 9. Ostendat præter & extra Romanam Ecclesiam, quãpiam aliam, quæ Gentes docuit Evangelium, & eas per Baptismum Christo conciliavit, quæ judicavit hæreses per Concilia & damnavit. 10. Afferat è Sacris literis textum quo solidè probet Ecclesiam Romanam, seu Pontificem Romanum publicè proposuisse aliquid credendum fide divinâ quod sacris literis sit contrarium: vel tale quid aliquando sit revocatum ab alijs Pontificibus. 11. Probet opiniones & dogmata â Luthero proposita, esse ad salutem consequendam certiora quàm ea quæ proposuit Calvinus, & alij.

Prop. 2. *In qua Ecclesia non potest haberi certitudo quòd S. Scriptura infallibiliter exponatur, est suspecta & falsa.*

AT quo argumento probabunt Lutherani, se sacram Scripturam bene exponere, quo itidem pro sua expositione non possint uti Calvinistæ & alij, quos Lutherani damnant Hæreseos?

Prop. 3. *Quæ Ecclesia non potest ostendere suam antiquitatem, est falsa.*

QUia post Christum nemo Ecclesiam constituit, Ecclesia

verò à Christo instituta est antiqua. Jam verò nulla secta Dissidentium ostēdet ullum ex antiquis sive Catholicis, sive etiam hæreticis, qui illorum totam & per omnia fidem docuerit. Unde potest in illos verti quod S. Cypr. epist. 76. opposuit Novatianis. *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens à se ipso ortus est.* Vel quod Tertull. de præscript. cap. 31. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarũ, evolvant ordines Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentē, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Apostolicæ Ecclesiæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum à Joanne collocatum refert. Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde utiq; & cæteræ exhibēt quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habent, confingant tale aliquid Hæretici.*

Prop. 4. *Etiamsi aliqua Ecclesia probet suæ fidei articulos ex Scriptura, si non in eo sensu accipiat Scripturam, in quo intelligebatur à primitiva Ecclesia, est falsa.*

NAm & Arriani & alij quos nostri Dissidentes Hæreseos accusant, pro suis erroribus afferebant scripturas, sed non in sensu recepto. Hinc S. Aug. serm. 18. de verbis Domini. *Divina testimonia quomodo intellexerunt Sancti, sic accipienda sunt.* Nam ut est apud S. Hilar. de Synodis adversùs Arrianos, & Aug. in Ps. 54. Hæretici suos errores scripturis probabant. v. g. Photinus, Christum tantùm esse hominem probabat, ex 1. Timot. 2. ubi Christus dicitur *Mediator Dei & hominum Christus JESUS.* Marcion non verum corpus Christum habuisse, quia dicitur ad Philipp. 2. *Habitu inventus ut homo.* Sabellius Patrem & Filium eandem esse personam, quia Joan. 10. scriptum. *Ego & Pater unum sumus.* Arrius Filium Patre minorem, quia Joan. 14. Christus dixit. *Pater major me est.* Alij dissimilē Patri ex Matth. 14. *De die autem illa & hora nemo scit, neq; Filius, nisi solus Pater.*

Prop. 5. *Falsa est Ecclesia quæ se fatetur posse errare.*

QUia si potest errare, unde constat quòd de facto non erret, & sic falsa est: si potest errare, dubia est: dubia verò Ecclesia, est falsa.

Prop. 6. *Falsa est Ecclesia quæ non potest successione ostendere ab Apostolis.*

QUia falsa est, quæ non est Apostolica, quæ verò successionem non potest ostendere, non est Apostolica.

Prop. 7. *Quæ Ecclesia tollit pœnitentiam, est falsa.*

QUia *in multis offendimus omnes*: & multò magis Dissidentes qui omnes motus concupiscentiæ reputant esse peccata mortalia: dictum verò Luc. 13. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* At Dissidentes omninò tollunt Sacramentum Pœnitentiæ, sed tollunt etiam Virtutem Pœnitentiæ, nam hæc observantiam mandatorum Dei includit, quam illi credunt esse impossibilem. Ezech. enim 18. dicitur. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodièrit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur.* Quodsi Dissidentes dixerint, Prophetam non de virtute sed de Sacramento Pœnitentiæ loqui, agnoscent Sacramentum Pœnitentiæ ab Ezechiele prophetatum.

Prop. 8. *Quæ Ecclesia dicit se reformatam, & non sanctiùs docet, est falsa.*

CErtè Dissidentes tollunt media sanctitatis & perfectiones ut Paupertatem voluntariam, Castitatem, Obedientiam, tollunt jejunium Quadragesimale, corporis spontaneas afflictiones, non relinqvunt Patrem, Matrem propter Christum: non diligunt decorem Domûs Dei, imò etiam fundationes sacras â Majoribus collatas ad se traxerunt, prætextu quasi illis Monachi & Ecclesiastici abuterentur, cùm potiùs debuissent servos Dei augere, & non sibi illa bona attrahere, sed curare ut in sanctiores transferrentur.

Prop.

Prop. 9. *In qua dubia aut nulla Sacramenta, illa falsa est Ecclesia.*

Cùm cætera passim rejiciant Sacramēta Dissidentes, duo passim admittunt, Baptismum & Eucharistiam, sed & hæc illorum doctrina facit dubia aut nulla. Inprimis Eucharistiam non potest conficere nisi Sacerdos: at juxta doctrinam Dissidentium Sacerdos apud illos esse non potest, quia de fide est apud illos, non dari Sacrificium propriè dictum. Sacerdos verò sine Sacrificio non potest juxta illud. Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Baptismum docet Luth. tom. 2. latino fol. 300. pag. 2. posse conferri â diabolo validè. Quod quis unquam somniavit? Quando enim diabolis dictum, *Baptizate omnes Gētes*? & ibid. addit, quòd nolit affirmare, aliquando diabolum non agere Pastorem seu Parochum: sed hoc misso; apud Dissidentes multis locis hoc modo Baptismus administratur, & unus Minister ex ambona proclamat. *Ego te Baptizo* &c. quæ forma est falsa & inefficax, siquidem alius Minister perfundit aquâ infantem. Adde quòd non raro Dissidentium Magistri materiam horum Sacramentorum falsificent. Nam docet Melanchton quòd Eucharistia possit in aqua mellita confici. &c. &c.

Prop. 10. *Falsa est Ecclesia quæ docet rectæ rationi contraria.*

DOcent Lutherani quòd Infantes in Baptismo actu credant, itaq; intelligunt articulos fidei, & habent usum rationis. Docent & hi & alij, quòd omne opus bonum sit peccatum. Quòd tam necessarium sit libidini vacare atq; comedere. Quòd mandata sint observatu impossibilia, seu quòd Deus impossibilia præcipiat. Quòd liberâ voluntate careamus. Quòd Principibus non sit obediendum &c. &c. Quis istis Plato, vel Socrates assentiretur?

Prop. 11. *Falsa est Ecclesia quæ nec Pontificem summum, nec habet Episcopos.*

QUia primitiva Ecclesia fuit vera, & Pontificem summũ, ac Episcopos agnoscebat.

Prop. 12. *Suspecta est Ecclesia quæ omissis claris S. Scripturæ textibus obscuriores ad probandam suam doctrinam quærit, & Sophismata facit.*

CLarus est locus, *Hoc est corpus meum*, illo omisso, ut probent Eucharistiam solam esse figuram, recurrunt Diffidentes ad 1. Cor. 10. 3. *Omnes eandem escam spiritualem escam manducaverunt*, ex quo deducunt: illi in figura manducaverunt, ergo & nos. Sophisma est, quia *esca* in prima propositione est quoad substantiam sumpta, in secunda quoad accidens seu modum manducandi; præterea ibi de Judæis sermo, qui omnes eandem escam manducârunt, non de nobis. Item Joan. 12. 26. *Ubi sum ego, illic & minister meus.* ex quo deducunt. Minister non est in Eucharistia, ergo nec Christus; cùm æquè deduci hoc modo posset. Minister non est in cœlo, ergo neq; Christus; & est Sophisma. Nã locus Joannis non integer assumitur; non enim ibi dicitur: *Minister meus est, sed erit.* Demum ibi Christus promittit præmium illis, qui ipsum sequentur, & quòd sint ibi futuri, ubi ipse erat, si illum sequerentur, scilicet in beatitudine, in qua ipse fuit etiam viator.

Prop. 13. *Falsa est Ecclesia quæ in fide errat.*

ERrat in fide qui corrigit fidem, aut enim antea credendo errabat, aut modò corrigendo, nam utrumque vera fides non potest esse. Nam unus est Deus, una fides. At verò Confessio Augustan. nullam partem Scripturæ rejiciebat: Moderni Dissidentes qui illam profitentur, rejiciunt. Illa Confessio de Purgatorio sic docebat art. 11. *Ecclesiæ apud nos damnant & istos qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas purgatorij*; quòd verum

eſt, non ſunt enim neceſſariæ, cùm aliter redimi poſſint pœnæ purgatorij, non rejiciebat autem illa Confeſſio eos, qui dicunt, laudabile eſſe illas animas juvare. Moderni hoc ipſum rejiciunt. Ibid. de Confeſſione cap. 12. pag. 15. ſic dicitur. *De Confeſſione docent Eccleſiæ, quòd abſolutio privata ſit in Eccleſiis retinenda, quanquam in confeſſione non ſit neceſſaria delictorum enumeratio, eſt enim impoſſibilis omnium delictorum enumeratio.* Sed neque Veritas docet neceſſariam enumerationem venialium, neque mortalium quorum eſt impoſſibilis enumeratio. Moderni & confeſſionem & abſolutionem tollunt. Ibid. de Miſſa cap. 22. pag. 34. *Fit Miſſa ſingulis ferijs atq; etiam alijs diebus.* Moderni Miſſam deteſtantur. De Sacramentorum numero in illa confeſſione nihil habetur. Moderni jam duo, jam tria, jam quatuor &c. ſtatuunt. Similiter Calviniſtæ à ſuâ prima fide receſſerunt.

Prop. 14. *Falſa eſt Eccleſia quæ veteres hæreſes docet.*

ETſi enumeraverimus in ſignis falſi Fidei Miniſtri hæreſes, quas moderni profitentur Diſſidentes, hìc tamen aliquas viſum eſt apponere. Verbum Dei traditum præter ſcriptum non recipiebat Arrius, uti teſtatur S. Aug. lib. 1. cap. 2. contra Maximin. rejiciebat traditiones & Neſtorius, & Dioſcorus, & Eutyches, damnati in Synodo 3. Act. 1. anno circiter 400. Solam fidem ſine operibus juſtificare, docuerunt Eunomiani, & Simoniani, teſte Aug. de hæreſ. cap. 52. Deum eſſe cauſam peccati docuit Florius, teſte Irenæo apud Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 20. Eccleſiam eſſe inviſibilem credebant Donatiſtæ, de quo paſſim Aug. Non eſſe orandum pro defunctis, jejunia Eccleſiaſtica non eſſe ſervanda, docuerunt Arriani teſte Aug. de Unit. Eccleſ. cap. 12. & de Hæreſi cap. 33. Meliorem eſſe ſtatum Matrimonij Virginitate. Moniales poſſe accipi in Matrimonium, docuit Jovinianus, contra quem egit S. Hierono. Reliquias SS. non eſſe colendas, Sanctos non invo-

vocandos. Non esse orandum pro Defunctis. Sacerdotes debere esse uxoratos. A Sãctis in cœlo nõ posse sciri nostras necessitates, docuit Vigilantius, quem confutat S. Hieron. In Eucharistia non esse verum corpus Christi, sed solùm figuram, docuit Berengarius damnatus à Concil. Nicæno 2. act. 6. Imagines è templo ejiciebant Leo Isaurus, & Leo Coprinius hæretici, ut refert & damnat Concil. Nicæn. 2. Sedẽ Romani Pontificis esse contemnendam docuerunt Donatistæ, teste S. Aug. lib. 1. contra Petilian. cap. 51. & 61. & teste Optato lib. 2. contra Parmenion. Quòd homo careat libero arbitrio, Manichæi docuerunt, quod refert & damnat S. Aug. de hæres. cap. 46. In Eucharistia solùm tunc esse corpus Christi, cùm sumitur. Hanc doctrinam insaniam vocat Cyrill. Alex. epist. ad Calosirium. Nullum honorem deberi sanctis imaginibus. Docuit Xenaias Persa, ut refert Niceph. lib. 16. cap. 27. Omnia peccata esse æqualia docuerunt Pelagiani, ut refert & damnat S. Hieron. ubi agit contra Pelagianos. Atqui hæc ipsa est Doctrina respectivè nostri temporis Diffidentium.

Prop. 15. *Quæ Ecclesia profitetur se nihil credere nisi quod est scriptum, tamen credit omnia quæ non sunt in scriptura, falsa est.*

Diffidentes non solùm profitentur se nihil velle credere nisi quod scriptum, sed etiam ideò se â Romana Ecclesia discessisse, quòd ipsa credat quædam, quæ non sunt in verbo Dei scripto. At verò ubinam aliquis articulus in quo diffident â Romana extat scriptus? Ubinam scriptum, purgatorium non datur. Ecclesia est invisibilis. Duo sunt Sacramẽta, Sancti non sunt invocandi, Christus in Eucharistiâ non est, vel tantùm in usu est. &c.

ARTICULUS IV. De Romanæ Ecclesiæ veritate.

Prop. 1. *Vera est Ecclesia Romana, quia successionem habet ab Apostolis.*

S. Aug. contra epist. Fundam. cap. 4. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Et lib. de Utilit. credendi cap. 17. *Nos ejus Ecclesiæ gaudemus gremio, quæ ab Apostolica sede per successionem Episcoporum frustra hæreticis circũlatrantibus cultum authoritatis obtinuit, cui nolle dare primas, ultimæ impietatis est & præcipitis arrogantiæ.* Idem in Psalt. cõtra partem Donati. *Numerate Sacerdotes in ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum quis cui successerit videte, ipsa est Petra quam non vincunt inferorum portæ.* Optat. Milovit. lib. 2. c. contra Parmenianum. *Negare non potes, scire te in Urbe Roma primam Cathedram Episcopalem Petri esse collocatam, in qua sederit omniũ Apostolorum caput Petrus, cui successit Linus, Lino Cletus. &c.* Tertull. lib. de præscript. *Edant Hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant origines Episcoporum suorum, ita per successionem, ita ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorẽ. Hoc enim modo Romana Ecclesia Clementem â Petro ordinatũ. &c.* Similia habet Iren. lib. 3. cap. 3. Epiph. hæresi 27.

Prop. 2. *Ecclesiam Romanam esse veram confessi sunt Patres primitivæ Ecclesiæ.*

IRenæus lib. 3. cap. 3. Necessarium, ait esse, omnes Ecclesias cum Romana conspirare & uniri. Cypr. epist. 55. ad Cornelium Papam. *Ecclesiam Romanam præcipuam, & omnis unitatis Sacerdotalis scaturiginem prædicat.* Et epist. 45. ad eundem, ait. *Ecclesiam Romanam esse uterum, ac radicem Ecclesiæ Catholicæ.* Aug. epist. 162. ad Glorium ait. *Principatum Apostolicum semper floruisse in Ecclesia Romana.* Tertull. de præscr. cap. 36. de Romana Ecclesia sic loquitur. *Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli Petrus & Paulus cum sangvine suo*

pro-

profuderunt. Aug. Petilianum hostem Romanæ Ecclesiæ sic alloquitur cap. 51. *Quid in te Cathedra Ecclesiæ Romanæ cōmisit, in qua Petrus sedit, nunc verò sedet Anastasius?* Et paulò post. *Quare pestilentiæ sedem vocas cathedram Apostolicam? si hoc facis ratione hominum quos legem prædicare, non adimplere putas: Dominus noster JESUS CHRISTUS Pharisæorum causâ de quibus Matth. 23. 3. pronuntiavit, dicunt non faciunt, Moysisne cathedram ullo modo criminatus est? nonne hanc cathedram commendavit, Pharisæos verò redarguit honore cathedræ salvo?*

Prop. 3. *Ecclesia Romana est antiqua.*

QUia eandem fidem profitetur cum primitiva, successionem habet Pontificum cum primitiva continuatam. Similiter ordinem Hierarchicum. Quoad doctrinam patet. Nam 1. Act. 2. & 5. Multitudo credentium seu Ecclesia fuit visibilis, etiam Ecclesia Romana se dicit visibilem. 2. Illa in dubijs recurrebat ad Concilium Act. 15. Hæc etiam recurrit. 3. Illa habuit caput visibile Petrum, qui rexit Concilium Act. 15. Sacrilegos punivit, Gentes recepit, altercantibus silentium imposuit. Hæc etiam agnoscit caput visibile. 4. Illa habuit bonos & malos, Simon enim Magus fuit in Ecclesia. Nam. Act. 8. credidit & baptizatus est. Item Ananias & Saphira. Hæc etiam malos recipit. 5. Illa docuit non sufficere fidem, sed etiam ad pœnitentiam hortabatur, Act. 2. & 8. Hoc ipsum docet Romana. 6. Illa reverentiam exhibebat reliquijs Sanctorum, ut est Act. 5. 15. & 19. 12 sudarijs, & semicinctijs Pauli. Hæc etiam reliquias veneratur. 7. In illa aliqui Paupertatem Evangelicam amplexi. Act. 2. 44. & Act. 4. 32. Nemo aliquid suum esse dicebat, sed erant illorum omnia communia. Hoc idem faciunt Religiosi in Romana Ecclesia. 8. In illa Ecclesia multi castitatis consilium secuti sunt, de quo Luc. 5. Matth. 5. 8. & 48. Hoc ipsum fieri videmus in Ecclesia Romana. 9. In illa dicebatur Missa, fiebat confessio particularis. Hoc idem est in Romana. Post Apostolos Conc. Nicænum can. 6. Chalcedonense ait 4. &

16 Constantinop. primum cap. 5. docuit Persum primæ sedis esse Episcopum. Hoc ipsum modò Romana docet. Docuit Ephesinum in epist. ad Nestorium & Nicænum cap. 4. In altari, verum esse Sacrificium corporis & sangvinis Christi. Eadem nunc est Romana doctrina. Docuit Chalcedoneo. act. 11. Sanctos Martyres, aliosq; Cœlites invocandos. Id modò docet, & facit Romana. Ignatius M. non reprehensus ab Ecclesia quia recipiebat traditiones & eas collegit in epist. ad Smyrnenses. Neq; idololatriam commisit (ut extra ordinem de eo dicamus) S. Andreas Apostolus qui crucem veneratus. *Salve Crux bona diu desiderata.* Neq; S. Helena, quæ Cruci honorem detulit. Cæcilia, Agnes, Lucia &c. pro castitate mortuæ. S. Monica moritura petiјt â Filio suo Augustino lib. 9. Confess. cap. 7. ut pro illa mortua fieret Sacrificium in altari Christi. Paula peregrinata ut veneraretur stabulum in quo natus Dominus. S. Cypr. docet esse Hæreticos qui non seqvuntur decisionem ex Cathedra Petri; sic enim loquitur epist. 55. *Non aliunde obortæ hæreses, aut nata Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei Pontifici Romano non obtemperâssent qui vice Christi fungitur.*

Prop. 4. *Romana Ecclesia est una.*

ITa fuit olim. Nam optatus Malevitanus lib. 2. testatur id cùm dicit. *In una Petri Cathedra unitas ab omnibus servatur.* Et modò omnes qui sunt in Romana, idem omnino docent in ijs quæ esse de fide agnoscunt.

Prop. 5. *Romana Ecclesia est Apostolica â Petro descendens.*

NAm Irenæus lib. 3. cap. 3. Illam docet esse Ecclesiã Apostolicam, in qua est Cathedra & successio Petri. Videantur dicta hic prop. 1. quibus addimus Aug. epist. 112. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Hinc Ambr. lib. de Sacrament. cap. 3. *Ecclesiæ Romanæ in omnibus semper sequimur typum & formam.* Hieron. lib. 1. epist. 25.

Ita

Ita Damasum Papam alloquitur. *Cum successore Piscatoris, & Crucis discipulo loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Petri cathedræ consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunq; extra hanc domum Agnũ comederit, profanus est. Siquis in hac arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio &c. &c.* Similia habet lib. 2. epist. 18. ad Demetriadem, post medium. Rursus Irenæus lib. 3. cap. 3. *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam hoc est, eos qui sunt ũdiq; Fideles, in qua semper ab his qui sũt, undiq; cõservata est ea, quæ ab Apostolis est tradita.* Aug. epist. 165. Post quã enũeravit Pontifices Romãos à Petro descẽdendousq; ad sua tempora ita profitetur. *Etsi Angelus de cælo descenderet & diceret hanc Ecclesiam deserendam, anathẽatis mihi loco esset.* Eodem argumento successionis Optatus Milevit. coarguit Parmenionem lib. 2.

Prop. 6. *Romana Ecclesia est Sancta.*

HOc jam non SS. PP. sed ipsorum Dissidentium testimonijs ostendemus. Luth. epist. de Anabaptismo tom. 2. Serm. Sanctitatem Ecclesiæ Romanæ tribuit. Ejus Sectator Dresserus in millenario quinto pag. 169. ita habet. *Omnes sumpti Pontifices Romani usq; ad Sylvestrum primum, id est, ultra trecentos annos, & usq; ad initium quarti sæculi, fuerunt Sancti, Pij, Catholici, Apostolici, Martyres.* Centuriatores Magdeburg. cent. 7. cap. 7. circa tempora S. Gregorij Papæ hoc modo describunt Ecclesiam Romanam. *Quantus amor fuit pietatis? quantus ardor hominum erga Religionem?* &c. & de temporibus posterioribus Philippus in Apologia Confessionis tit. de votis Monasticis. *Sancti uti rebus adiaphoris sine impietate possunt; utì usi sunt Franciscus, Bernardus, & alij Sancti viri.* & art. 5. responsione ad argument. ait. *Antonius, Bernardus, Franciscus, Dominicus, & alij Sancti Patres.*

Prop. 7. *Ecclesia Romana est Catholica.*

QUia totus orbis, imò ipsi Dissidentes illam testantur esse Catholicam, & per hoc nomen quando sine convitio

lo-

loqvuntur, â ſuis ſectis diſcernunt. Et ita etiam olim dicebatur Catholica. Ambr. orat. in Satyrum. *Percunctatus Epiſcopum, ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romana Eccleſia conveniret.* Ita & Pacianus epiſt. 1. ad Simpronian. *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtēdit: hoc probor, inde ſignificor.* Aug. contra epiſt. Fundam. *Ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici, Catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicum conveniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum oſtendere audeat.* Et lib. de vera & falſa Relig. cap. 7. *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm â ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintvè ipſi quoq; Hæretici & Schiſmatum Alumni, quando non cum ſuis ſed cum extraneis loqvuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant, non enim poſſunt intelligi, niſi eam hoc nomine diſcernant, quo ab univerſo orbe nuncupatur.* Imò, cùm ſe Catholicos Lutherani, vel Calviniſtæ volunt dici, contradictionem incurrunt, volunt enim ſuam partialem Eccleſiam quæ nec omni tempore, nec omni loco fuit, dici Univerſalē: id eſt, omni loco & tempore fuiſſe, præterea, cùm etiam Catholicos cogantur appellare Catholicam, alteram Catholicam dicunt Eccleſiam, & ſic duas univerſales, ac proinde in iiſdem eſſe noſtram & ſuam doctrinam, quæ ſunt contradictoriæ. Jam verò Aug. Serm. 115. & 118. de tempore ſic docet. *Quæ Eccleſia non eſt Catholica, nec Sancta eſſe poteſt. Catholica autem illa eſt quæ toto orbe diffuſa eſt.* Idem ſerm. 131. de tempore & ſerm. 181. *Nec Hæreticus nec Schiſmaticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam.* Eadem aſſerit lib. de Fide & ſymbolo cap. 10.

Prop. 8. *De ſola Romana Eccleſia impletæ ſunt Prophetiæ.*

MAlachias prædixit, in vera Eccleſia in omni loco offerendum ſacrificiū Deo. Hoc in Romana Eccleſia ubiq; offer-

offertur. Et hoc argumento V. Beda probat Ecclesiam Christianam esse varam. S. Aug. probat contra Donatistas, Romanam Ecclesiam esse verã tom. 7. toto libro de unitate Ecclesiæ edit. Parisien. á pag 141. Basiliensi verò tom. 11. lit. Y. ubi hæc habet cap. 3. Itaq; ,llam in Scripturis quæramus. cap. 5. Seponamus autem locos obscuriores & solis clarioribus utamur. Cap. 6. o Donatistæ accipite Genes. ubi cap. 22. 8. Per memetipsum juravi, dicit Dominus, benedicentur in semine tuo omnes Gẽtes. Quod explicat S. Paulus Gal. 3. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus, non dicit in seminibus quasi in multis, sed tanquam in uno, & semini tuo, quod est Christus. Ex quo infert Aug. *Itaq; non periit Ecclesia vera inter Gentes.* Et urget. *Date mihi hãc Ecclesiam Donatistæ, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus Gentibus, jam quas videmus in hoc semine benedici.* Psal. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum.* De quo Aug. epist. 166. ad Donatistas. *Ipsa est Ecclesia in sole posita, id est, in manifestatione, omnibus nota usq; ad fines terræ.* Plura facilè adduci hujus rei exempla.

Prop. 9. *Romanam Ecclesiam etiam Dißidentes testantur esse veram.*

CAlvin. lib. 4. Instit. cap. 6. §. 15. act. se non ire inficias, priscos Doctores semper Ecclesiam Romanam magnifacere, ipsiusq; cum reverentia meminisse, & causâ honoris, sedem Apostolicam appellavisse. Item, bonos & Orthodoxos Episcopos, de suis Ecclesijs eliminatos ad Romanam confugisse. Ibid. cap. 8. §. 14. se concedere Ecclesiam Romanam olim reliquarum Ecclesiarum Matrem fuisse. Luth. tom. 7 de Missis privatis & unit. Sacerdot fol. 236. appellat Ecclesiam Romanam veram Ecclesiam IESU Christi, fundamentum & columnam veritatis: in ea Baptismum, textum Evangelij, remissionem peccatorum, absolutionem sive in Confessione, sive publicè Deum conservâsse: Sacramentũ Altaris, claves ad ligandum & solvendum, Psalterium &c. Unde IESUM Christum & Spiritum ejus, certè illi interfuisse, concludit.

ARTICVLVS V. De Paſtoribus Eccleſiæ.

Propoſitio 1. *Propter malitiam ejus qui gerit poteſtatem, non debet ipſa extingvi poteſtas.*

QUia poteſtas eſt bonum communitatis, igitur non debet extingvi, quia id eſſet malum. Irrogare innocenti cõmunitati. Sed ſi punitio eſſet exercenda, tum poteſtas â mala perſona in bonum transferri deberet.

Prop. 2. *Poteſtatem Eccleſiaſticam poteſt gerere perſona mala.*

QUia Annas & Caiphas geſſerunt Summum Sacerdotium, & Judas geſſit verè Apoſtolatum.

Prop. 3. *Quamcunq; poteſtatem poſſunt conferre homines indigno.*

QUia in quacunque collatione electione poſſunt errare & peccare.

Prop. 4. *Non omnem poteſtatem ad quam homines eligunt, poſſunt tollere ab eo qui eam accepit.*

QUia ad quaſdam dignitates ſeu poteſtates ſolùm eligunt homines & quaſi præſentant, Deus autem illis confert. Ita Apoſtoli elegerunt Mathiam, ſed Deus contulit Apoſtolatum: hoc ipſum Doctores Catholici aſſerunt de Romano Pontificatu.

Prop. 5. *Propter peccata Perſonæ gerentis Dignitatem non debet ipſa dignitas contemni.*

QUia Perſona non ratione dignitatis peccat, imò dignitas ab illa exigit ne peccet. Prætereà ſi dignitas contemni deberet ob peccata perſonæ, omnis dignitas in mundo cõtemni deberet, quia nulla talis eſt, quam aliquando quæpiam perſona gerens non peccaverit. Ex hoc etiam patet quòd Dignitas Papalis contemptui eſſe non poteſt, etiamſi aliqui Pontifices peccaviſſent: multò minùs exercitium poteſtatis, id eſt, doctrina &c.

Prop. 6. *Poteſt aliqua Perſona appellari caput.*

QUia Chriſtus quatenus eſt homo, vocatus Coloſſ. 1. *Caput omnis Principatûs & Poteſtatis.* Epheſ. 1. 22. *Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.*

Prop. 7. *Poteſtas Eccleſiaſtica ſuum vigorem retinet, etiamſi peccatores illam obtineant.*

QUia ſola gratiâ ſanctificante exceptâ & in illa fundantur, reliqua dona ſpiritualia cum peccato poſſunt ſe cõpati. Hinc rectè S. Aug. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 51. *Quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolicam? Si propter homines quos putas legem loqui & non facere? Nunquid Dominus JESUS Chriſtus propter Phariſæos, dicunt enim & non faciunt, cathedræ in qua ſedebant ullam fecit injuriam? Nonne illam cathedram Moyſi commendavit, & illos ſervato honore cathedræ redarguit? ait enim, ſuper cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere. Dicunt enim & non faciunt, hæc ſi cogitaretis, non propter homines quos infamatis, blaſphemaretis cathedram Apoſtolicam cui non communicatis.*

Prop. 8. *Poteſt etiam â Deo ad dignitatem electus malè ſe in illa gerere.*

QUia & Saul & Judas â Deo in dignitate conſtituti peſſimè ſe geſſerunt. Nam aliud eſt eligi, aliud dari perſeverantiæ in bono donum.

Prop. 9. *Si ad dignitatem Eccleſiaſticam eligeretur Perſona illius incapax, dignitas vacaret.*

QUia cùm inducitur forma in ſubjectum incapax v.g. albedo in Angelum, ſubjectum illam non recipit, ac ſine illa manet. Ita ſi eligeretur in Epiſcopum vel Papam non baptizatus, aut non homo, ſedes vacaret. Ad Dei tamen Providentiam ſpectat errorem ejuſmodi impedire, & prohibere ne falſus ſit Paſtor Chriſti gregis.

Prop. 10. *Poteſt Deus ex eo quod male ſit ab hominibus bonum elicere.*

QUia ut ait alicubi S. Aug. *Non permitteret Deus mala, niſi ex ijs poſſet bonum elicere.* Ita ex paſſione Chriſti cum ſummo ſcelere illata elicuit noſtrã ſalutem: pariter Electores etiã Eccleſiaſtici poſſunt cum peſſima intentione aliquem eligere ad dignitatem quem Deo ob illius ſanctiſſimam intentionem placuit eligi.

Prop. 11. *Poteſt quis appellari Beatiſſimus ob dignitatem Eccleſiaſticam.*

QUia hoc titulo etiamnum Græci Patriarchas appellant, & hunc titulum dat Damaſo Pontifici S. Hieron. epiſt. ad illum datâ: hic enim honor confertur ratione Sanctiſſimæ dignitatis, non ratione ſanctitatis Perſonæ, ut quòd Papa ſit Chriſti Vicarius.

Prop. 12. *Poteſt aliquis malis medijs acquirere dignitatem Eccleſiaſticam & tamen verè illam deinceps obtinere.*

QUia aliqui mali modi ſunt ut inducant quidem peccatum, non tamen reddant invalidam dignitatis poſſeſſionem.

Prop. 13. *Qui non obedit Poteſtati, etiamſi illam Perſona improba gerat, peccat.*

QUia Chriſtus præcepit. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi quæcunq; vobis dixerint facite.* Dummodo Homo non præcipiat contraria Deo, tum enim Deo magis obediendum quàm homini. Item ſolùm in ijs obedire ſumus obligati circa quæ ſe extendit alicujus ſupra nos poteſtas.

Prop. 14. *Poterat aliquis in Papatu ſuccedere S. Petro.*

QUia ipſi teſtantur Diſſidentes, fatentur quòd per primos 300. annos Pontifices Romani fuerint Succeſſores S. Petri. Et quodſi illi, cur non moderni.

Pro-

Prop. 15. *Non repugnat ut Ecclesia simul habeat Christum caput invisibile, & aliud visibile.*

QUia & Synagoga licèt habuerit Deum caput invisibile, habuit tamẽ visibile etiam Aaronẽ, & alios summos Sacerdotes. Et caput invisibile influit in actiones invisibiles, instinctus, gratias, & hujus respectu omnes sunt docibiles & ipse Papa sub hoc est capite membrum. Caput visibile influit in actiones visibiles.

Prop. 16. *Non potest credi Papam esse Antichristum*

Quia nullibi in Scriptura dicitur Papa Antichristus.

Prop. 17. *Potest per aliquod tempus deesse caput visibile Ecclesiæ.*

QUia de facto post mortem Christi defuit usq; ad illud tẽpus quo dictum Petro, pasce oves meas. Cùm enim Caput Ecclesiæ sit homo mortalis, moritur, neq; in eodem momento alter eligi potest.

Prop. 18. *Etsi sit, potest per aliquod tempus ignorari verus Pontifex.*

QUia ex hoc non majus incommodum sequitur, quàm si non esset, sed per aliquod tempus per præc. prop. potest deesse, itaq; & ignorari.

Prop. 19. *Etiamsi inter Pontifices esset aliquis falsus, non interrumperetur successio Pontificum.*

QUia per vacationem sedis aliquo tempore non interrũpitur. Cùm verò fictus esset Pontifex, nullus esset Pontifex atq; adeò sedes vacaret.

Prop. 20. *Si Petrus fuit Pastor universalis Ecclesiæ, etiam Pontifex Romanus est talis Pastor.*

QUia licet Universalis Pastor possit non affigi alicui certæ Ecclesiæ, sicut S. Petrus per annos primos quinq; vel sex nulli se Ecclesiæ alligaverat, & fuit Pastor universalis, tamen postea sedem sibi determinavit Antiochiæ, & illam transtu-

lit Romam, atq; in Romana ſede mortuus & ibi ſucceſſio-nem reliquit. Nam ſi reliquiſſet Antiochiæ Evodius & Ignatius qui in illa ſede S. Petro ſucceſſerunt, fuiſſent Paſtores Univerſales. Nullo autem modo fuerunt; ſed Linus & Cletus &c. qui Romæ ſucceſſerunt: ſed moderni etiam Pontifices ſuccedunt Petro, itaq; & ipſi ſunt Paſtores Univerſales.

Prop. 21. *Nunquam contigit ut in ſede Petri fuerit falſus Pontifex.*

QUia nunquam contingit ut eſſet Hæreticus & â tota fuiſſet receptus Eccleſia. Fuerunt Antipapæ, ſed nullus â tota Eccleſia pro Papa receptus, proinde nullus illorum fuit in ſede Petri.

Prop. 22. *Etiamſi Cardinales in electione Papæ erraviſſent, ſi tamen illum tota Eccleſia recepit pro Papa, eſt verus Papa.*

QUia vel errârunt contra leges humanas, quæ talem perſonam decernunt inhabilem eſſe ad Papatum: ſed Eccleſia non ſubjacet legibus humanis, & cùm eum recipit pro Papa diſpenſat in dictis inhabilitatibus. Peccare contra leges divinas non potuerunt v. g. eligendo non baptizatum, quia id ſpectat ad divinam Providentiam æquè ac illud, ne omnia Scripturæ S. exemplaria falſificentur.

Prop. 23. *Quod Petro Chriſtus dixit in ordine ad ejus officium, id debet extendi ad Succeſſores.*

QUia quidquid hoc modo dictum Aaroni extendebatur ad Succeſſores. Et ita dicta Petro omnes Patres nemine excepto intellexerunt imò tota Eccleſia.

Prop. 24. *Non in omnibus eſt Papa Chriſti vicarius.*

QUia non eſt in eo ut remittat peccata ſuo nomine aut ſine confeſſione, faciat miracula &c. Sed in hoc eſt Vicarius quòd ſit Paſtor cum univerſali juriſdictione, quòd poteſtatem habeat definiendi controverſias fidei, & dubia de moribus

bus

bus ad salutem spectantibus, item declarandi legitimum scripturæ sensum, &c.

Prop. 25. *Aliter Spiritus S. aßistebat scriptoribus S. Scripturæ aliter Pontifici.*

QUia per os Scriptorum illorum loquebatur, aut illis dictabat; ut ipsi tantùm essent amanuenses: Papæ autem assistit tanquam legitimo Ecclesiæ Pastori; eum adjuvando per suum concursum ne erret cùm docet ut publicus Doctor, hoc est, cùm toti Ecclesiæ proponit obligando eam ad assensum.

ARTICULUS VI. *De Regula Fidei & Judice Controversiarum.*

REgula est juxta quam aliquid dirigat, Judex qui decernit an sit bene directum.

Prop. 1. *Judice Controversiarum opus est.*

QUia potest Verbum Dei corrumpi, depravari, in sensu non suo sumi, igitur necesse est esse aliquem qui hæc discernat.

Prop. 2. *Judex talis debet esse notus toti mundo.*

QUia in quavis parte mundi possunt oriri dubia, ideò debent eum nosse ad quem in ejusmodi recurrant, præsertim cùm non quisq; possit de his certò discernere, quilibet enim homo falli potest.

Prop. 3. *Judex controversiarum non potest esse Spiritus privatus.*

QUia Judex dum fert sententiam debet ab utraq; parte controvertente audiri. At verò controvertat Calvinista de verbis *Hoc est corpus meum* cum Lutherano, dicatq; vox *est* idem valet atq; *significat*, cùm id negabit Lutheranus, dicet Calvinista, omninò ita esse, quia id sibi dictat Spiritus, Lutheranus verò quòd contrarium sibi suus Spiritus dicat. Manet controversia indecisa, & quo hic argumento probabit-

babit suum spiritum esse certiorem, quo ille non possit uti etiam pro suo? Rursus unde constabit quòd isti vel illi spiritus loquatur?

Prop. 4. *Judicis officio non potest fungi Scriptura.*

QUia Scriptura est quid mutum, nec respondebit, contendenti Lutherano cum Calvinista de sensu verborum v.g. *Hoc est corpus meum* hic malè intelligit vel uterq;.

Prop. 5. *Duo Judices non possunt esse controversiarum.*

QUia si ex se pronunciabunt sententiam, poterunt diverso modo definire, si ex Spiritu S. erunt per modum unius sicuti plures Patres unum Concilium constituunt.

Prop. 6. *Judex debet esse infallibilis.*

QUia si erit fallibilis non poterimus ejus definitioni firmissimè adherere.

Prop. 7. *Judex debet habere assistentiam Dei.*

QUia omnis homo per se fallibilis imò plures etiam docti & Sancti errare possunt, sicut erravit S. Cypr. cum sua Synodo. Ex quo etiam patet quòd, cùm aliquot Patres locum aliquem scripturæ aliter explicent quàm tota Ecclesia, non sit eorum standum decreto.

Prop. 8. *Aliud est Lex, aliud Judex.*

QUia non Lex judicat sed Judex juxta legem. Potest tamē lex modo laxo dicendi appellari Judex, sic possūmus dicere, lex nos ipsa judicet. Hoc modo & Scriptura vocari potest Judex, & dirimere potest ubi est ita clara ut de sensu ejus apud partes non sit dubium. Sed hoc in controversijs locum non habet. Præcipuè cùm de ipsa scriptura accidat controvertere.

Prop. 9. *Ille Judex est quem Deus constituit.*

IN veteri lege constituit Sūmum Sacerdotem cum suo concilio: in nova Petrus Judicem egit etiam cum suo concilio, ut est in Actis Apost.

Prop.

Prop. 10. *Pontifici Romano convenit agere Judicem.*

SIve is ſumatur cum Concilio ſive non, quia eſt ſucceſſor Petri, cui Dominus cõmiſit paſcendum gregem per ſincerã doctrinam. Præterea nullus Pontifex ut publicus Doctor, ſeu proponendo aliquid toti Eccleſiæ credendum hactenus erravit. Eſt viſibilis. Non deeſt longo tempore in Eccleſia.

Prop. 11. *Qui Scripturam appellat ut ſtet ejus judicio, ſi tamen ſcripturam juxta ſuum ſenſum velit intelligi, ſeipſum Judicem conſtituit.*

QUia etiam apud homines ſeipſum Judicem conſtitueret, qui vellet judicari â lege dummodo permittatur illam interpretari juxta ſuum placitũ: Judicis enim eſt legem explicare non Rei.

Prop. 12. *Scriptura eſt regula inadæquata Fidei.*

S. Aug. lib. de bono Viduit. cap. 1. *Sacra Scriptura doctrinæ noſtræ regulam figat.* S. Th. in cap. 6. 1. Tim. lib. 1. *Doctrina Prophetarum & Apoſt. Canonica dicitur, quòd eſt quaſi regula intellectûs noſtri.*

ARTICULUS VII. De Eccleſia Romana & Pontifice in ordine ad Fidem.

Prop. 1. *Non eſt de Fide quod ab Eccleſia vel â Pontifice proponitur ſed non ut credendum.*

QUia poteſt ſolùm proponi tantùm quòd bonis moribus nihil ſit contrarium neq; ſit contra fidem, & hoc modo approbatæ ſunt Revelationes S. Brigittæ, S. Catharinæ Senenſis, & non ſunt de fide.

Prop. 2. *Eccleſia Romana poteſt ſtatuere quæ ſunt credenda etſi antè non fuerint de Fide.*

QUia Eccleſia primitiva ſtatuere poterat: Romana verò moderna eſt eadem cum primitiva per prop. art. Nam Primitiva Act. 15. declaravit credi debere, non teneri eos ad

circumcisionem, qui ex Gentibus ad Christum convertebantur: Similiter non teneri ad cæremonias Mosaicas, quod ad illud tēpus non erat de fide. Postea declaravit Ecclesia esse de Fide, non debere rebaptizari hæreticos. Postea declaravit tres esse in Deo hypostases, quod ante decretum Damasi Papæ non erat de fide, &c.

Prop. 3. *Nemo explicatiùs credere articulum fidei quàm sit ab Ecclesia propositus.*

ALioqui ipse sibi articulum explicaret non Ecclesia, penes quam non penes illum est infallibilitas.

Prop. 4. *Necesse est Romanum Pontificem in rebus Fidei sequi.*

QUia ut S. Cypr. lib. 1. epist. 3. *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, nec unus Judex vice Christi cogitatur.* Jdem lib. 4. epist. 9. *Inde schismata & hæreses obortæ sunt, & oriuntur: qui Episcopus dum unus est, & Ecclesiæ præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur.*

Prop. 5. *Articuli fidei post Ecclesiæ declarationes non creverunt quoad substantiam.*

QUia omnes articuli qui declarantur vel in Divinitate continentur, vel in Providentia supernaturali: sed tam hæc quàm illa jam antè credebantur, itaq; & in illis credebantur, quæ modò clarè proponuntur.

Prop. 6. *Nullus Pontifex Romanus proponēdo aliquid toti Ecclesiæ & illam obligando ad credendum, erravit.*

QUia nullum istius rei extat exemplum, errârunt aliqui in vita & moribus, ut cùm Marcellinus idolis sacrificavit, ut cùm Liberius communicavit cum Hæreticis qui se fingebant Catholicos, & iste Petrus (quanquam eo tempore nondum fuit Papa) Quando illi dictum. Vade post me sathana. Sed neq; Marcellinus toti Ecclesiæ proposuit idololatriam

neq;

neq; Liberius hæresim neq; Petrus aliquid hujusmodi.

Prop. 7. *Etsi Pontifex aut Ecclesia aliquid credendũ proponant, non creditur mysterium ob illorum verbum.*

QUia fides Divina soli verbo Divino innititur, Papa verò cùm aut sine Concilio solùm verbi Divini sensum aperit infallibiliter, ut sciamus quid per verbum DEI sit revelatum quòd aliàs diversimodè potuit explicari: proinde non sunt motivum assensûs fidei: testantur præterea infallibiliter de tali mysterio verbum DEI existere. Quorum utrumq; Fidei per se loquendo est accidentale; nam licet DEUS nobis ita immediatè loqueretur, ut nos certitudine Metaphysicâ certos redderet de existentia verbi sui & de illius sensu, adhuc Fidei esset locus: imò & obscuritati illius, cùm testimõium DEI sit extrinsecum neq; naturam mysterij explicet.

Prop. 8. *Etiam ea quæ spectant ad quæstionem facti dum ad fidem referantur potest infallibiliter definire Pontifex.*

ALiquæ facti quæstiones ad fidem nullo modo spectant. v. g. An talis Episcopus sit justè punitus &c. Et de his non est præsens sermo. Aliæ fidem concernunt, ut an hæc Scriptura sit Canonica? an Christus septem Sacramenta instituerit? an Apostoli omnes & non solus Petrus jurisdictionem in suos Successores transmiserint? an B. Virgo nunquam peccaverit? &c. Quia sunt credenda, & toti Ecclesiæ proponi credenda solent. Adhibent autem Pontifices sufficientem diligentiam priusquam aliquid definiant, nam licèt promissa illi sit assistentia Spiritûs S. non tamen exclusa mediorum humanorum adhibitio, sive fortè non ritè etsi infallibiliter concluderet. Ita licet S. Joannes sciverit se habere assistentiam Spiritûs ad scribendum Evangelium, tamen ut scribit Epiph. hær. 51. Orationes priùs & jejunia sibi, atq; suæ Ecclesiæ indixit.

Prop. 9. *Pontifex cum vel sine Ecclesia potest Hæreses & libros Hæreticorum damnare.*

Quia

QUia ferè in singulis Concilijs alterum horum, aut utrumque factum est. Et nostris temporibus Jansenij doctrinam damnandam 80 Episcopi detulerunt.

Prop. 10. *Cùm Pontifex aliquem excommunicat non definit de Fide.*

QUia tales censuras non fert ex cathedra, & solùm obligat, ut talem habeant pro excommunicato, uti verè est excommunicatus saltem quoad forum externum (si nimirum injustè excommunicaretur) in qua etiam ipso nullus error intervenit, nam verè est excommunicatus tali modo.

Prop. 11. *Pontifex potest damnare scriptorem hæreseos.*

QUia dum talem damnat, doctrinam illius damnat, & jubet authorem vitari, tanquam authorem doctrinæ hæreticæ.

Prop. 12. *Non potest errare Pontifex in condemnatione Hæretici.*

QUia non potest errare in damnatione hæreseos, alioqui errare posset circa Fidem. Præterea non potest errare Marcum, Lucam, &c. esse Scriptores Canonicos: ergo neq; errare potest declarando Arrium, Nestorium &c. esse Scriptores hæreticos, quia tam hoc quàm illud ad Fidem refertur, & si errare posset, scriptorem hæresum posset declarare scriptorem esse Catholicum, seu doctrinæ Catholicæ, atq; adeo hæreseon doctrinam esse Catholicam. Ut Doctor autem publicus agit Pontifex, quando in materia Fidei vel morum toti Ecclesiæ loquitur statuitq; quid sit tenendum, atq; ita non ut publicus Doctor egit Joannes 8. qui Photium damnatum ab Adriano 2. absolvit. Item Stephanus 7. qui Formosum ut intrusum, non tamen ut Hæreticum condemnavit, quia neuter id Ecclesiæ toti credendum proposuit, insuper Stephanus ipsemet intrusus fuit, neq; â tota Ecclesia acceptatus, proinde etiam in fide errare potuit, nam ut sit verus Pontifex â tota Ecclesia debet accepta-

ceptari, ac propterea Joannes 12 hoc factum Stephani damnavit. Sed quidquid est, factum Stephani damnatum non fides. Falsum etiam est quòd Honorius Papa â sexto Concilio sit damnatus; nam hæc damnatio lata est in Theodorum syncellum Episcopum Constantinop. Monothelitam, qui deinde acta Concilij corrupit suum nomen damnatum eradendo ac Honorij inscribendo: alioqui si Papa ibi damnatus fuisset, id Photius, Sergius 2. Michaël Cerularius, Copronimus, Marcus Ephesinus hostes Pontificum Græci Pontificibus contra quos omnem lapidem movebant, objectavissent. Vide Baronium ad annum 681. & 682. Non est autem novum Græcis acta Conciliorum corrumpere ut exempla adducit Baronius. Præterea etsi Honorium damnavisset illud Concilium cùm fuerit particulare, utpotè quòd ex solis Orientalibus constitit, errare potuit: neq; valorem habere potest, cùm non sit approbatum.

Prop. 13. *Synodus particularis errare potest.*

QUia non particulari Synodo sed toti Ecclesiæ promissa Spiritùs S. assistentia.

Prop. 14. *Etiam Concilium Generale errare potest modo dicendo.*

QUia potest esse ex aliquo capite invalidum. v. g. Quia fit non approbante Romano Pontifice. 2. Errare potest si non agat de rebus fidei aut morum, pro his enim solùm duobus assistit Spiritus S. cum infallibilitate: item si agat pro tota Ecclesia, vel non definiat sed solùm narret, vel si aliud agendo quasi per transennam attingat, hoc enim non est definire. Ex his causis erravit Concilium Basiliense, & quoad aliquid etiam Constantiense. Vide Bellarmin. lib. 4. de Pontif. cap. 2.

Prop. 15. *Si Ecclesia quenquam declarat esse Hæreticum, de Fide est illum esse Hæreticum.*

QUia de fide est Arriũ, Nestorium, &c. esse Hæreticos, & hoc habetur ex declaratione Ecclesiæ. Ideo in Concilio Constantiensi qui suspecti in fide videbantur, interrogati sunt utrum crederent, tenerent, assererent &c. Wuleffum, Joannem Hus, & Hieronymum de Praga esse Hæreticos. Ita habetur sess. 45.

Prop. 16. *Non semper de fide est dum Pontifex auditâ suâ Congregatione aliquid statuit.*

QUia in tali casu potest aliquid non statuere credendum, sed v. g. punit aliquem, gratiam concedit, & talia decreta solent non Pontificis sed Congregationis nomine proponi. Sed si Pontifex auditâ Congregatione damnaret aliquam doctrinam hæreseos illa esset hæretica. Potest etiam Pontifex etiam cum Ecclesia circa quæstionem facti solùm conditionatè se habere, & non definire de ipso facto. v. g. Accusatur quis hæreseos, damnatur à Pontifice, potest non definire Pontifex illum esse hæreticum, sed alijs id relinquere inquirendum, & ipse, subintelligendo, *si ita est*, ferre sententiam.

Prop. 17. *Ecclesia non cudit novos fidei articulos.*

QUia nihil jubet credi propter suum, sed totum propter DEI Verbum quod de hoc vel illo articulo infallibiter explicat.

Prop. 18. *Ad hoc ut credatur fide divinâ mysteriũ per Pontificem propositum non est opus credere fide Divinâ hunc Pontificem esse Pontificem.*

QUia neque ad hoc ut credatur mysterium per S. Paulũ Apostolum prædicatum opus est credere fide Divinâ Paulum esse Apostolum, quia duo sunt mysteria. Paulus est Apostolus, Innocentius 11. est Papa. Et v. g. Christus est in Eucharistia, ut verò unum mysterium credamus non est opus ut & aliud credamus, quia unum mysterium non creditur propter aliud, sed propter Verbum DEI: quanquam

quam ex alio capite qui unum discredit, amittit fidem salvificam circa omnia. Præterea non esset de fide hunc Papam esse talem, adhuc posset habere infallibilitatem in explicando & discernendo Verba Dei, quia donum aliquod supernaturale potest esse in aliquo etiamsi dignitas quæ est radix illius doni non credatur fide Divinâ esse in illo homine, ita etsi v. g. Petrum non credamus fide Divinâ esse particularem Episcopum, si tamen est Episcopus, certò Sacros Ordines confert, certò in Eucharistia conficit corpus Christi. Ita & Doctores aliqui Catholici, qui putabant non esse de fide Divina hunc Papam esse Papam, tamen affirmabant infallibilem esse in definiendo in materia fidei & morum ad salutem spectantium quando definit ut Doctor publicus.

ARTICULUS VIII. *De rebus credendis.*

Prop. 1. *Potest qualibet res esse objectum Fidei Divinæ.*

Quia res quælibet dummodo non repugnet veracitati Divinæ, potest revelari â DEO.

Prop. 2. *Potest DEUS immediatè cuiq; revelare mysterium.*

Quia non est necessitatus ad revelandum solùm mediatè, & ita immediatè Adamo, Prophetis, Apostolis, potestq; simul cui loquitur DEUS, ita â DEO certus reddi, ut nullo modo dubitet DEUM sibi loqui.

Prop. 3. *Nemo potest probare per Scripturam quòd illi DEUS loquatur.*

Quia nullibi scriptum est, quòd huic Personæ determinatæ DEUS loquatur, neq; etiam Scriptura probat, quòd omnibus DEUS loquatur universim, quia sic probaret quòd etiam Arrio sit locutus, & cuiq; Hæresiarchæ.

Prop. 4. *Sive Verbum DEI existere de mysterio credatur fide divinâ, sive sciatur, nihil ad fidem pertinet mysterij.*

Nam

NAm myſterium non creditur propter myſterium, nec unus actus fidei propter alium, uno actu verò creditur (ſi creditur) exiſtere revelatio altero myſterium de quo eſt revelatio, & ita duo ſunt myſteria ſive credita. Quòd revelatio ſive verbum exiſtere non credatur ſed ſciatur morali certitudine evidenter ad quam voluntas imperat aſſenſum firmiſſimum, ratio eſt. Quia fides Divina præciſè in ratione fidei ſimilis eſt humanæ; jam verò cùm Petrus aliquid narrat, illius verbum non credo exiſtere ſed experimentaliter ſcio, nihil etiam credi poteſt niſi ob verbum ſeu teſtimonium quod de Petri verbo nullum exſtat. Creditur tamen Scriptura exiſtere propter verbum DEI traditum. Traditio verò â primis qui illam ex ore Apoſtolorum acceperunt cognita eſt experimentaliter: illi autem fuerunt Ecclesia Primitiva, cum qua ſiquidem eſt eadem moderna Romana, verè Eccleſia Romana habet ſcientiam experimentalem de exiſtentia verbi traditi. Neq; hìc locum habet illud. Propter quod aliquid tale, & ipſum magis, quia etiam in ſcientia hoc non valet. Nam ſi in præmiſſis Syllogyſmi ponantur prima principia lumine naturæ nota, propter illa ut rationem ſcietur concluſio, & tamen ipſa non ſciuntur. Principiorum enim talium non eſt ſcientia, ſed intellectus, vel ſpecialis habitus principiorum, Principium ergo illud, propter quod aliquid tale &c. non de omni cauſa currit. Qui docent etiam ipſum teſtimonium in fide credi, illo nituntur principio: Quia omnis affirmatio de aliqua re etiam ſeipſam affirmat exiſtere, etſi non affirmat ſe ipſam eſſe veram.

Prop. 5. *Aliud eſt, actum fidei eſſe de nobiliori objecto, aliud magis principalem, ſeu magis neceſſariò credi.*

QUia nobilius eſt objectum DEUS Trinus, quàm lapſus diaboli de cœlo, aut peccatum originale, æquè tamen omnia credi debent, quia ob idem verbum DEI creduntur, & paria ſunt in eo quòd ab eadem infallibili veritate revelata, unde hoc mo lonon eſt unus articulus alio principalior

Prop.

Prop. 6. *In fide mysteriorum est obscuritas.*

QUia imprimis quædam mysteria ita superant intellectum, ut nonnisi obscurè percipi possint. Deinde revelatio etsi sit argumentum certissimum mysterij, est tamen extrinsecum, neq; ejus naturam explicat. Demum ipsa existentia revelationis solùm per media moraliter evidentia scitur.

Prop. 7. *Fidei mysteria etsi aliqua sint supra rationem, nulla tamen contra rationem.*

QUia veritas non est contraria veritati: proinde etiam veritas mysteriorum non est contraria veritati rationis. Sed sicut licèt lumen non sit contrarium lumini potest tamen unum ab alio excedi, ita veritas una ab alia, & ita mysteria rationem excedunt, quia sunt in ordine altiori ad illam.

Prop. 8. *Potest aliqua propositio esse de Fide & ex discursu naturali deduci.*

QUia hæc propositio per doctrinam communem Theologorum est de fide. *Innocentius* II *est verus Papa.* Potest verò eadem ita per discursum deduci. Omnis Pontifex legitimè electus & â tota Ecclesia receptus est verus Papa: sed Innocentius II est legitimè electus & â tota Ecclesia receptus, ergo Innocentius II est verus Papa. Ubi conclusioni potest quis assentiri non propter verbum DEI sed propter connexionem terminorum in præmissis, & sic conclusio non erit fidei sed scientiæ.

Prop. 9. *Potest aliquid esse de Fide quod lumine naturali notum est.*

QUia potest aliquid dicere quod lumine naturali verum est, & qui illum audiverit credere id etiam debebit, nam assentiri debebit, quòd DEUS verum dicat, & ita Apostoli credebant Christum esse hominem licèt eum videbant: & ita credimus visibilem Ecclesiam licèt homines ve-

ram fidem profitentes, qui Ecclesiam constituunt, videamus.

Prop. 10. *Fidei Divinæ actum sæpe comitatur actus fidei humanæ.*

QUia cùm aliquis fidem proponens dicit Gentili: Crede Christum esse incarnatum, quia id verax DEUS revelavit. Credit Gentilis fide humanâ quòd proponens id verè dicat, & sic credit proponenti, deinde mysterium credit fide Divinâ propter verbum DEI.

Prop. 11. *Potest aliquod mysterium in se obscurum esse evidenter credibile.*

QUia potest evidenter constare esse revelatum â DEO. Ita potest esse alicui evidens hoc argumentum scripsisse Aristotelem, aut hanc demonstrationem ab Euclide factã, licèt nec argumentũ nec demonstrationem intelligat.

Prop. 12. *Etiamsi aliquid in universali sit revelatum, ut tamen in particulari credatur debet subinde ab Ecclesia declarari.*

ESt revelata hæc universalis, Omnis hostia â Sacerdote consecrata est verum corpus Christi, tamen non est de fide particularis ista. Hæc hostia ab hoc Sacerdote consecrata est verum corpus Christi. Item de fide. Omnis baptizatus infans si moriatur, salvatur: tamen hæc non est de fide. Hic infans post Baptismum mortuus, est salvatus, causam hujus rei cap. seq. quæremus. Hostia tamen hæc debet adorari, quia non est necesse ut actum adorationis fides præcedat, sed sufficit quòd rem prudenter ita se habere possimus judicare, hìc autem possumus prudenter judicare hanc hostiam verè consecratam.

Prop. 13. *Sive Papa definiat cum Concilio, sive sine Concilio infallibiliter definit.*

QUando definit cum Concilio, falli non potest, quia si aliquando Ecclesia falli non potest, tum non fallitur. Sed etiam sine Concilio definiens aliquid non fallitur, si modò agat ut Doctor publicus. Quædam exempla in ju-

re

re Canonico reperiuntur, quæ solent allegare Diffidentes contra infallibilitatem Pontificum: sed in hoc ipso falluntur, quia ibi vel non pro tota Ecclesia Pontifex declaravit, vel non tulit legem necessariam saluti, vel non ut credendum proposuit, atq; ita ut Doctor privatus egit, vel fuit quæstio facti, quia scilicet duæ partes litigabant, & res testimonijs urgebatur, & hoc modo non solùm Papa sine, sed & cum Concilio seduci potest, cùm res scilicet non est de doctrina pertinente ad Fidem, sed de aliquo particulari casu: idem est de Dispensationibus in votis, & juramentis, de excommunicationibus &c. Non defuerunt tamen Catholici Scriptores, ut est apud Veron. tom. I. epitomes, in Sophistica Ministrorum parte 5. § 4. pag. 518. ut Gerson Almainus qui docebant non esse de fide quæ definit Papa sine Concilio generali, qua de re vide Bellarm. lib. 2. de Concilijs cap. 17. eodem delatus est Elisalde de Fide pag. 257. & ultra hos Adrianus progressus est verùm improbabiliter, nam etiam optimi Doctores in absurdas subinde labuntur sententias. Contraria doctrina est certa & communis, fideiq; ut ait Veron. l. c. proxima. Nam quod nunquam fit, præsumitur esse non posse. Nunquam erravit Papa ut Doctor publicus, itaq; nec errare potest.

Prop. 13. *Non est circulus vitiosus recipere S. Scripturam ut veram propter Ecclesiæ testimonium, & recipere Ecclesiam ut veram propter Scripturæ testimonium.*

QUia hæc testimonia sunt in diverso genere, non enim credimus scripturam esse veram propter Ecclesiæ testimonium ut motivum fidei, sed propter verbum Dei traditum. Ecclesia autē jam nota testatur infallibiliter extare verbū traditum de scriptura. Rursū Ecclesiam credimus propter verbū Dei scriptū ac traditū; atq; ita se res habet. Legatus quispiā mittitur â Principe ad Regē cum literis: tradit Regi literas, & testatur eas verè sui esse Principis: Rex credit Legato propter illius testimonium quòd literæ

quas defert, ſint verè Principis: rurſus in literis Rex legit quòd hic qui eas defert, ſit verus Legatus Principis, & propter teſtimonium literarum credit eum verũ eſſe Legatum. Sicut hìc non eſt vitioſus, ita nec in noſtro caſu, ſiquidẽ & hanc veram eſſe Eccleſiam conſtat ex ſignis: & hunc verum eſſe Legatum etiam ex ſignis aliunde cognitis.

Prop. 14. *Non omnia â quovis credi opus explicitè.*

QUia quædam ſunt omnibus adultis ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria, ut ſalvari nequeant niſi illa explicitè credant; alia ſunt neceſſaria ſecũdùm quid, ſeu ad melius eſſe, & talia ſunt omnia reliqua poſita in ſcriptura. Diviſio hæc patet ex Act. 2. ubi multi auditis tantùm aliquot fidei capitibus fuerunt ad Baptiſmum admiſſi, quo tempore hos omnes articulos explicitè crediderunt, quia poſt Baptiſmum in doctrina Apoſtolorum perſeverabant, patet etiam hoc ex 1. Theſſ. 3.

CAPUT VI. De diſcurſu in Fide, & diſputatione.

ARTICULUS I. *De Diſcurſu in Fide.*

Propoſitio 1. *Non ideo quia aliqua univerſalis propoſitio eſt de Fide, etiam quævis particularis ſub illa ſubſumpta eſt de Fide.*

QUia poteſt videri quòd particularis contineatur in univerſali, cùm verè non contineatur, & ita ſubſumens illam falli: itaq; ut ſit de fide opus illam ab eo ſubſumi, qui in ejus ſubſumptione falli non poteſt. Ita eſt de Fide. Omnis qui baptizatus fuerit Infans, ſalvus erit. Omnis hoſtia â Sacerdote conſecrata eſt verum Corpus Chriſti &c. particulares tamen iſtarum non ſunt de Fide. Præterea univerſales in materia morali patiuntur exceptionem. Ita Eſtheri dictum: Pro omnibus hæc lata eſt lex, ſed non pro te.

Prop. 2. *Deducta per diſcurſum ex propoſitione Fidei non eſt ipſa de Fide.*

Quia

QUia ut aliqua sit propositio fidei, debet ad ejus assensū movere verbum Dei; sed ut est deducta non ob verbum Dei exigit assensum, sed propter connexionem terminorum in præmissis, itaq; ut sic illi quis assentitur, non est Fidei. Potest tamen accidere ut propositio, quæ aliàs est fidei, deducatur etiã ex præmissis, v. g. hæc. *Christus est circumcisus.* Omnis qui legem Moysis implevit, est circumcisus: Christus legem Moysis implevit, ergo est circumcisus.

Prop. 3. *In fide non licet inferre: Deus revelavit hoc, ergo & hoc.*

QUia Deus liberè revelat, & potest unum revelare, non autem aliud.

Prop. 4. *Cùm aliquis universalis terminus revelatur, & particulares verè sub illo contenti revelantur.*

QUia universale est idem cum particularibus & solùm penes clariorem inter se cognitionem differunt.

Prop. 5. *Cùm revelatur propositio universalis, conclusio ex illa deducta non est de fide.*

ESt revelatum: *Omnis homo moritur;* tamen non est de fide: *Petrus moritur.* Quia subjectum propositionis universalis non affigitur suis particularibus per revelationem sed per scientiam, aut sensuum experientiam, ut in hac, *sed Petrus est homo*, hoc per sensum habetur.

Prop. 6. *Propositio deducta ex duabus revelatis præmissis non apud omnes DD. Catholicos est de Fide.*

QUia multi DD. docent eam propositionem non esse revelatam, sed deductam ex revelatis, illiq; principio syllogistico niti. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

Prop. 7. *Cùm Dissidentes deducunt ex duabus de Fide conclusionem de Fide, necessariò in aliqua absurda incurrunt.*

QUia juxta illorum doctrinam non debet explicari Scri-

ptura, sed ad literam sumi; hoc modo verò sumptio Scripturæ textibus, quid sequatur, exempla sequentia docebunt.

Joan. 12. 25. Qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam. Sed Psal. 10. 6. Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Ergo qui diligit iniquitatem, custodit animam suam in vitam æternam.

Rom. 8. 30. Quos prædestinavit (seu quod idem est, elegit) hos vocavit. Sed Matth. 20. 16. Pauci electi: ergo & pauci vocati; quod est contra ibid. Multi vocati.

Jerem. Nazaræi non bibunt vinum. Sed Matth. 2. 23. Christus erat Nazaræus: ergo Christus non bibit vinum. At verò Luc. 7. 34. Christus dicitur bibisse vinum.

Joan. 5. 31. dicit Christus. Si ego testimonium perhibeo de me ipso testimonium meum non est verum. Sed Joan. 8. 14. Christus testimonium perhibet de se ipso: ergo testimonium ejus non est verum.

Rom. 8. 26. Ipse Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, sed Joan. 4. 24. Spiritus est Deus: ergo Deus pro nobis orat gemitibus inenarrabilibus.

Gal. 1. 10. Si Paulus adhuc hominibus placeret, servus Dei non esset: sed 1. Cor. 10. 33. Paulus per omnia omnibus placuit: ergo Paulus non fuit Servus Christi.

1. Tim. 2. 5. Unus mediator est Dei & hominum Christus JESUS. Sed Deut. 5. 5. & Gal. 3. 19. Moyses est mediator Dei & hominum: ergo Moyses est ad literam Christus JESUS.

Apoc. 19. 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati (seu quod idem est, invitati) Sed Matth. 22. 8. qui invitati erant, rejecti sunt: ergo quidam rejecti sunt beati.

1. Tim. 2. 5. Sicut unus est Deus, ita & unus Mediator Dei & hominum. Sed Deus ita est unus, ut sit simul trinus in personis: ergo & Mediator Dei ac hominum (Christus) ita est unus, ut sit trinus in personis.

Sap. 11. Deus destruit omnia quæ odit. Sed Ps. 5. Odit peccatum: ergo destruit peccatum, etiam in damnatis & impœnitentibus.

Psalm. 83. 3. Omnes Filij hominum declinaverunt. Sed Luc. 18. Christus est Filius hominis: ergo Christus declinavit. &c. &c.

Prop. 8. *Si Dissidentes deductam ex una fidei & altera non revelata conclusionem dicant esse fidei, in multa impingunt absurda.*

RAtio eadem est, quæ præced. prop. exempla adducamus.

Quod nullibi scriptum est juxta Dissidentes, non est credendum: sed nullibi scriptum est, Baptismum esse Sacramentum: ergo non est credendum Baptismum esse Sacramentum.

Item, apud eosdem de fide est, quòd vera Ecclesia est invisibilis: sed ipsi (ut illi ajunt) sunt vera Ecclesia; ergo illi sunt invisibiles. Item, Ille solus verus est Baptismus, quo Christum nos baptizaturum prædixit Joannes, sed prædixit Luc. 3. 16. igni nos baptizaturum: ergo solus ignis Baptismus est verus.

Item. Omnis contractus purè civilis: ex mutuo partium consensu dissolvi potest, sed juxta Dissidentes Matrimonium est purus contractus civilis: ergo mutuò contrahentium consensu solvi potest, contra Rom. 7. 2.

Item. Qui non venit pacem mittere sed gladium, si ad quod venit, facit, non dat pacem illis sed gladium. Sed Christus Matth. 10. 34. non venit pacem mittere, sed gladium: ergo Christus veniens ad discipulos non dat pacem sed gladium, contra Joan. 14. 27.

Item Qui non possunt ejicere aliqua dœmonia, non est illis data potestas supra omnia dœmonia, sed Marci 9. 27. Apostoli non poterant ejicere aliquod dœmonium: ergo contra Luc. 9. 1. non est data illis potestas supra omnia dœmonia.

Item Marci 9. 48. Omnis homo igne salietur; sed tu es homo: ergo tu igne salieris.

Item. Qui nescit quid faciat habet excusationem de pec-

cato

cato ſuo. Sed Luc. 23. 34. Judæi Chriſtum occidendo neſciebant quid faciebant: ergo Judæi contra Joan. 15. 22. habent excuſationem de peccato ſuo.

Item. Joan. 3. 13. Nemo aſcendit in cœlum niſi qui de cœlo. Sed Petrus non deſcendit de cœlo: ergo nec aſcendit in cœlum.

Item. Gal. 3. 11. In Lege nemo juſtificatur apud Deum, ſed Zacharias & Eliſabeth erant in lege: ergo non ſunt juſtificati, ac nec juſti apud Deum, contra Luc. 1. 6.

Item 1. Petri 2. 3. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, ſed Turca eſt humana creatura: ergo illi ſubjecti eſſe debemus.

Item. Qui bonus cum perverſo pervertitur, mutatur; ſed Pſ. 17. 27. Deus cum perverſo pervertitur: ergo Deus contra Malach. 3. 6. mutatur.

Item. Quod Deus præcepit eſt faciendum; ſed Deut. 6. 13. præcepit: per nomen Domini Dei jurabis: ergo contra Oſeæ 4. 15. per nomen Dei eſt jurandum.

Item. Ezech. 20. 39. ſinguli poſt idola veſtra ambulate & ſervite illis dicit Dominus: ergo idololatria eſt licita.

ARTICULUS II. De diſputatione circa fidem.

Prop. 1. *Ante diſputandum ſignificatio vocum ſtatuenda.*

Quia ut diſputatio locum habeat, debet diſputantibus aliquid eſſe commune certum, ut ſi cum Ethnico diſputes debet aliqua principia lumine naturæ nota admittere, quæ & tibi ſint certa, vel pro certis aſſumi poſſint; ſi cum Hæretico, debet videri quos libros Scripturæ admittat: idem eſt de vocibus, nam ſi v. g. nomine Sacramenti aliud intelligat Catholicus, aliud Diſſidens, finis diſputationis nullus erit.

Prop. 2. *Significatio vocum in rebus Fidei petenda ex uſu antiquiſſimo Eccleſiæ.*

Quia

QUia si novas vocibus pro libitu affingemus, omnia antiquitatis monumenta turbabimus.

Prop. 3. *Non est necesse omnes voces in S. Scriptura reperiri, quibus fidei nostræ mysteria èxprimimus.*

QUia S. Scriptura non docet nos idioma aliquod aut grammaticam, sed vult ut credamus quod per voces significatur, quæ quidem in diversis lingvis sunt variæ, sed res eadem: ita in Scripturis non reperitur, Trinitas, Consubstantialis, Tres Personæ, &c. res tamen reperitur: ita licèt non reperiatur, Septem Sacramenta, Purgatorium &c. si res ipsa reperiatur, debet credi.

Prop. 4. *In primitiva Ecclesia non per solam Scripturam Catholica dogmata stabiliebantur & Hæreses refutabantur.*

QUia S. Aug. libr. 3. contra Maximin. hunc Arrianum traditionibus urgebat, unde Maximin. objiciebat. *Hæ voces extra Scripturam sunt.* Tertull. lib. præscript. ubi dixit. Hæretici ad Scripturas appellant. Hæc addit. *Hunc potissimum gradum obstruimus non admittendo eos ad ullam de Scripturis Divinis disputationem.*

Prop. 5. *Contra doctrinam Romanæ Ecclesiæ Patrũ textus allegari non possunt.*

QUia Patres suam totam doctrinam Romanæ Ecclesiæ subjecerunt, & quod illa damnat etiam ipsi deserunt ac rejiciunt. Hieron. ad Damasum ita scribit. *Obsecro te ut mihi literis tuis, sive tacendarum sive dicendarum hypostaséon detur authoritas: non timebo tres hypostases dicere quæ jubeatis.* Aug. conra Cresconium cap. 23. *Quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat.* Bern. epist. 174. ad Canonicos Lugdunen. *Quæ autem dixi absq; præjudicio sanè dicta sint saniùs sapientis; Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati atq; examini universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Præterea videndum utrùm non ante decisionem Ecclesiæ Pater ille scripsit, quo tem-

pore licuit oppositum tenere? Demum quando allegantur textus, inspiciendi ipsi fontes, considerando ne fortè aliquid additum sit, aut omissum: item antecedentia & consequentia bene inspicienda, ab his enim plerumque sensus textuum dependet.

Prop. 6. *Ex Conciliis contra doctrinam Romanæ Ecclesiæ allegari nihil potest.*

QUia juxta decretū Concilij Nicæni primi non licet Concilia Generalia celebrare sine Romani Pontificis licentia. Præterea nisi hic Pontifex approbaverit, valorem suum non habet: reprobare etiam illa potest, uti Adrianus reprobavit Francofordiense. Itaq; si quod est legitimum & approbatum, illud doctrinam Romanæ Ecclesiæ tradit.

Prop. 7. *Ante disputationem de Fide videndum an propositio de qua controvertitur, sit de Fide.*

QUia aliquando contingit, ut duo litigent de propositione Theologica aut etiam Philosophica, & uterq; subinde probabiliter, & putant se disceptare de Fide. Theologica est, quæ non est revelata, sed deducitur proximè aut remotè ex revelata: Philosophica, quæ ex principijs lumine naturæ notis. Tum verò etiam contingit ut v. g. Dissidentes putent aliqua credi à Catholicis quæ nequaquam creduntur, putant Catholicos rejicere scripturam & humanis niti traditionibus: item salutis collocare in suis bonis operibus non in meritis Christi, Divinum honorem Sanctis deferre, ac eorum imaginibus, Papam pro Deo colere, & similia absurda. Illa quæ sunt de fide solent cōtineri in confessione Fidei aut Cathechismo.

Prop. 8. *De his quæ in ipsa disputatione de Fide sunt Catholicæ observanda.*

1. CUm Dissidentes asserant se purâ niti scripturâ, ostendat Dissidens Disputator scripturam claram, quæ Catholico dogmati sit contraria. v. g. *Matrimonium non est Sacra-*

sacramentum, Purgatorium non datur. &c. quæ Catholici credunt, & quorum contraria credunt Diſſidentes, ubi hoc non præſtiterit, jam finiri poterit diſputatio. Catholicus autem cùm admittat verbum non ſcriptum, non tenetur ſua probare ex ſcriptura, imò neq; ullo modo probare tenetur, quia habet pro ſe præſcriptionem, eſt enim ejus Fides antiqua.

2. Si Diſſidens ponat unam revelatam in præmiſſis alteram naturalem, præmiſſis datis neganda conſequentia, nã in tali ſyllogiſmo per prop. 8. cap. 6. Concluſio non eſt Fidei: imò etiamſi utramq; præmiſſam poſuerit ex ſcriptura per prop. 7. ibid. deinde cùm debeat conſequentia è duabus præmiſſis ſequi, cùm altera ponitur naturalis, jam non deducit Diſſidens conſequentiam ex pura ſcriptura, atq; ita in rebus fidei non nititur purâ Scripturâ. Quodſi etiam utramq; præmiſſam poſuerit è Scriptura, tum vel argumentum non erit in forma, vel altera malè accipitur. In ſyllogiſmo quod continet unam præmiſſam naturalem, non neget Catholicus naturalem, quia eam negatam dum probaret Diſſidens, delaberetur diſputatio ad Philoſophiam: quia certè illam debebit probare purâ ratione, neq; illam deducet unquam è pura ſcriptura per legitimam conſequentiam.

3. Ubi aliquid Diſſidens non poteſt probare per puram ſcripturam, dicendum eſt quòd â Fide ſua recedat: quia ille profitetur ſe reformare Catholicam Eccleſiam per purã ſcripturam; at hactenus dicta ſunt obſervanda â Catholico circa ſingula argumenta Diſſidentis, ut ſcilicet vel quamvis ponat propoſitionem ex ſcriptura, vel (quod illi ex abundanti dabit) ſit propoſitio quævis legitimè deducta ex pura ſcriptura non admixtâ ratione naturali.

4. De ſingulis argumẽtis poteſt etiam Catholicus quærere, utrum Diſſidens poſſit falli in deducenda conſequentia? Si poteſt falli, quomodo id eſt de fide divina quod ille deducit? Si dicat ſe falli non poſſe, unde hoc habeat

cùm afferat totam Ecclesiam, Concilia, Patres, falli posse, imò erràsse, ut sit opus illos per Diffidentem reformari?

5. Nunquam in disputando Catholicus partes actoris sed rei sustineat, quia Diffidentes affirmant quòd Catholici errent, & se missos ad reformandam Fidem. Præterea si Catholicus susceperit partes actoris, liberabit Diffidentem â gravissimo onere impugnandi fidem Catholicā per Scripturam, neq; Diffidentem opprimet pro Catholicis articulis afferendo scripturā, quia Diffidens pro libitu suo quemvis textum explicando, minimè curando quòd aliter semper â tota Ecclesia ac omnibus Patribus fuerit intellectus.

6. Si Diffidens velit in Catholicū transferre partes actoris aliquo negativo argumento, monet Veron (cujus hìc methodum sequimur) diclinet id Catholicus permittendo transire illam propositionem quam Catholicus si negaret, probare deberet: & solùm neget consequentiam, vel illam propositionem quam negatam debebit probare. Sumo exempla ex ipso Veron. probet v. g. Diffidens, non dari purgatorium. Nullus est locus purgatorij, ergo non datur purgatorium. Respondeat Catholicus negando Antecedens, & non det negati rationem, sed petat ut Diffidens, cùm sit ista propositio juxta illum, probet ex scriptura, ostendat scilicet locum scripturæ qui id afferat, quòd scilicet nullus sit locus purgatorij. Tam enim negativas quàm affirmativas debet probare propositiones, qui oppugnantis tenet partes: nam & S. Paulus ubi agit de negotio prædestinationis, probat negativas, ut Deum non falli, non mutari, &c. Similiter.

Dicat Diffidens: Nulla in divinis literis fit mentio purgatorij: ergo non datur. Misso Antecedente neget consequentiam Catholicus. Probabit Diffidens. Quod non est in scriptura, hoc non datur; sed, ergo: Major est evidenter falsa. Vel si ita eam posuerit Diffidens: Quod non est in scriptura, credi non debet. Neget id Catholicus, & petat ubinam hæc ipsa propositio est in scriptura? Si est

natu-

naturalis, tum Diſſidens non purâ utitur ſcripturâ; in ſcriptura etiam illam non oſtendet.

7. Si Diſſidens adducat contra Catholicos Concilia vel Patres præter id quod prop. 5. & 6. hìc diximus, reſpondeat Catholicus, Concilia & Patres juxta Diſſidentium doctrinam ſũt fallibiles, & ab illis vitio verti Catholicis, quòd concilia & Patres ſequantur. Diſſidentes etiam non per iſta ſed per Scripturam ſe profitentur reformare fidem Catholicorum.

8. Si Diſſidens utatur rationibus, reſpondeat Catholicus non rationibus ſed purâ ſcripturâ deberi â Diſſidente probari articulos Fidei.

9. Si Diſſidens ad textum Græcum vel Hæbraicum confugiat: vide quæ diximus prop. 18. cap. 3. Præterea ſi verſio in latinum v. g. bona eſt idem dicit quod Græca vel Hebræa. Deinde unde conſtat Diſſidenti quòd Græca verior ſit quàm latina vulgata? Demum quis è Græco interpretabitur? ſi Diſſidens errare poteſt ut homo.

10. Hæc Methodus diſputandi eſt pro rudioribus Catholicis, nam Doctiores etiam Actoris partes poſſũnt aſſumere, ſed in longum trahetur diſputatio ob ea quæ hìc in fine numeri 5. attigimus; dabimus & pro hoc modo diſputandi textus ſufficientes in parte ſecunda.

Prop. 9. *Chriſtus D. non per ſolam Scripturam confutabat Judæos.*

NAm 1. etiam confutabat miraculis & operibus ſuis Joan. 5. &c 2. Teſtimonio Joannis. ibid. 3. Teſtimonio Patris. ibid. 4. Varijs ſimilitudinibus. 5. Parabolis. 6. Varijs dictis ex lumine naturæ deſumptis, ut arbor mala non poteſt bonos fructus. 7. Traditionibus Matth. 12. 3. Excuſat Davidem quòd panes propoſitionis comederit, quia traditio erat licere eos comedere in neceſſitate,

CAPUT VII.

Corollaria ex hactenus tractatis deducta.

Corollarium 1.

SI Deus est unus, una est Fides: quia Fides in verbo Dei fundatur. Deus autem unus non potest loqui sibi contraria, jam v. g. dicere: *Septem sunt Sacramenta*; jam dicere: *Duo sunt Sacramenta.* Et si plura Deus dixerit, in omnibus æquè illi credendum, & contumelia fieret illi gravis, si vel in minimo ei dissentiremur, nam in aliquo illum erroris aut mendacij argueremus. Hic assensus verbo Dei, est cultus quem Deo reddit noster intellectus.

Corollarium 2.

SI Deus est, justus est: itaq; vindicat illatam sibi contumeliam, & cùm anima nostra sit immortalis, neq; semper pro hac illata Deo contumelia in hac vita pœnas recipiat: imò, etsi reciperet, non possint pares infligi, nam per hanc contumeliam quoddam malum infinitum committit, & majus omnibus hujus vitæ malis quæ irrogari possunt, debet in altera vita saltem quoad duratione infinitas pœnas, seu malum sine fine sustinere. Et quia in hac vita mala gravia morte puniuntur: anima verò immortalis occidi non potest nisi per miraculum, debet illi irrogari supplicium, quod morti quæ per miraculum inferretur, æquivaleat: & quia non esse, excedit omnia mala quæ relinquunt esse, illa pœna quæ æquivalet miraculoso non esse, omnes hujus mundi pœnas excedit; & si propter minora peccata quàm sit infidelitas, pœna irrogatur æqualis ipsi non esse miraculoso, quanta demum irrogatur ob infidelitatem.

Corollarium 3.

UT hanc poenam infidelitati debitam evadamus, Deo credere omnia debemus sive ille nobis scripto, sive loquatur verbo, debemus etiam nos reddere quàm maximè securos quòd Deo & non alteri credamus; & cùm simus in hoc uti & in cœteris errori obnoxij, amplecti convenit id, quod hac de re nos tutos faciat; neq; securi erimus, si relictâ

ctà prudentiâ pertinaciter agamus, prudenter agimus, cùm relictis ijs quæ ad rem hanc non ſpectant & nos à vero abducere poſſunt, ea ſola ſpectaverimus quæ nos de veritate certos poſſunt reddere. Cùm verò non poſſit haberi certitudo Phyſica vel Metaphyſica, quòd Deus id vel illud ſit locutus, vel quòd verba ejus hoc non aliud ſonent, cùm verba quævis variam poſſint pati explicationem, prudenter operabimur, ſi id fuerimus ſecuti de quo maxima certitudo moralis extat.

Corollarium 4.

CErtitudo moralis maxima eſt, ſi id omni ſæculo conſtanter viri doctiſſimi, quos falli vix poſſibile, ſanctiſſimi quos in re tanta relinqui â Deo in errore non decet, aſſerant, imò pro hac aſſertione ſangvinem & vitam fundant: ſi Deus in confirmationem quòd iſti veritatem affirment, faciat miracula: ſi qui ita crediderunt â doctiſſimis & ſanctiſſimis habeantur pro ſalvatis & amicis Dei, & hunc ſenſum de illis confirmet Deus per miraculum. Si oſtendant hanc doctrinam ſe ab Apoſtolis accepiſſe, & eſſe eandem cum illa quæ ſub Magiſterio diſcebatur Apoſtolico: ſi abhorrent ab omnibus his quæ ſemper â doctiſſimis & ſanctiſſimis erroris damnabantur &c. quæ cap. 5. art. 2. & 3. de ſignis veræ & falſæ Eccleſiæ proponuntur. Et cap. 3. art. 2. de ſignis non miſſorum â Deo nec vera annuntiantium Fidei Magiſtrorum.

Corollarium 5.

IN hoc tanto negotio imprudẽter agimus, ſi relictâ antiquâ & communi doctrinâ, ſequamur diverſam quam qui affert non poteſt ſe oſtendere miſſum â Deo ut illam annuntiet: quam omiſſo claro textu ſcripturæ probat obſcuris locis qui variè accipi poſſunt, imò quandam ſcripturam habitam ab antiqua Eccleſia pro tali, rejicit, mutilat, & in cœtera ſigna falſi Fidei Miniſtri incurrit, de quibus cap. 3. art. 2.

Cor-

Corollarium 6.

IGnorantia crassa hìc non excusat, sed neq; invincibilis, nisi sit cum illa præparatione animi conjuncta, ut sit homo paratus credere, si modo illi prudenter constiterit id locutum Deum. Non excusat, si metu damni humani intermittas credere: si ubi te conspexeris, aut prudenter suspicatus fueris errare, ob curas & negotia studium veritatis negligas: si homines leves, sceleratos, perfidos, calumniatores, tuæ novæ fidei sequaris Doctores; si conscientiam obtundas, ne erroris coarguat, vel eam ad tuum placitum formes.

Corollarium 7.

PRoximum illi contumeliæ quæ Deo per infidelitatem infertur, est ludibrium, cùm quis credere se Deo dicit, neq; id exequitur quod Deus præcipit. Certè qui viro probo asserenti viam esse latronibus obnoxiam, dicit se credere, nihilominùs tamen eam ingreditur, vel omninò vult perire, vel reverà non credit; & certè faciliùs de eo præsumi potest, quód non credat, quàm quòd suum amet interitum.

Corollarium 8.

OCcurrat menti & magnitudo præmiorum quæ Deus fidelibus præparavit, qui liberalior est in donis & præmijs quàm in pœnis: an non dignum est ob illa præmia contemnere quibuscunq; blandimentis & commodis â fide vera mundus avocet?

Corollarium 9.

ET quia ex quovis dicto Dei possunt aliqua deduci ad salutem spectantia, possintq; rectè & secus deduci, diligenter advertendum quænam rectè deducantur. Nam cùm Deus nos humanis alloquatur verbis, inprimis si â nobis non in eo sensu recipiantur, in quo sunt prolata, frequentissimè continget aliquod falsum deduci: imò etiam-

si in vero accepta sint sensu, possumus falli, putando aliquid ex ijs sequi, quod nequaquam sequitur, de hoc agimus cap. 6. art. 1. Duce itaq; & hic opus eo qui falli non possit, de quo cap. 5. art. 6.

Corollarium 10.

ARgumentum est infallibile, non dixisse aliquid Deum, si id dicere non potuit, de quo cap. 1. art. 1. Item si evidenter ex ea dictione sequerentur absurda, si aliquid cōtra lumen rationis contineret, si alijs dictis contradiceret.

Corollarium 11.

Solicitè perquirere debemus, ut eum certissimo cognoscamus, qui nos in dubijs circa fidem occurrentibus infallibiliter instruat, distingvat verbum â non verbo Dei, sensum ejus aperiat, de quo cap. 3. art. 2, & 3.

Corollarium 12.

SI absq; fide impossibile est placere Deo, ut dicitur Heb. 11. 6. Jam verò est una fides, ut est Ephes. 4. 5. consequenter est una Ecclesia, quæ est cœtus fidelium: unde S. Hieron. in Ps. 67. *Non debetis existimare plures esse Ecclesias, quæ habeant ubera doctrinarum, & possint credentes scientiæ lacte nutrire. Una est Ecclesia, & unus Sponsus Christus Ecclesiæ.* Si hæc ita sunt, quicunq; vult salvari, sepositis omnibus humanis respectibus juxta illud Christi. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ patiatur detrimentum?* debet inquam esse in vera fide seu vera Ecclesia, & si non sit, debet in eam venire.

Corollarium 13.

COgnoscet se esse in vera fide si constiterit illi suæ fidei Magistros esse veros & â Deo missos, de quo egimus cap. 3. art. 1. In falsa se esse fide advertet, si Magistri suæ fidei sint falsi, de quo cap. eodem art. 2. Præterea in vera Ecclesia erit, si Ecclesiæ suæ congruerint signa veræ Eccle-

ſiæ de quibus cap. 5. art. 2. In falſa erit, ſi notas quæ falſâ indicant Eccleſiam, in ſua Eccleſia repererit, de quibus cap. eodem artic. 3.

Corollarium 14.

SI una eſt Eccleſia quæ eſt Chriſti ovile, neceſſe eſt unum agnoſcere Paſtorem, & de manu ejus paſtum doctrinæ accipere: de Paſtore Eccleſiæ agimus cap. 5. art. 5. Neceſſe illi committere, ut ille diſcernat paſcua, & ſequi illum dum ad proficua ducit, â noxijs abducit: de quo cap. eodem art. 6. & 7. ipſa paſcua proponimus art. 8.

DEDUCTIO HISTORICA

In qua oſtenditur Ruſſiam ab antiquo Romanæ Eccleſiæ conjunctam & unitam fuiſſe.

Excerpta ex ijs quæ in Elect. Vladislai 4. acta.

Annus Chriſti CCCXXV & CCCCLI.

PAtet ex Concilio Nicæno quod celebratum anno 325 non extitiſſe eo tempore Patriarchatum Conſtantinopolitanum, ſed ut eſt Can. 8. Præſul illius Urbis dicebatur Epiſcopus Bizantinus, & fuit ſubjectus Metropolitæ Heracleæ. Si ergo eo tempore nondum fuit hic Patriarcha, itaq; inter Patriarchas non eſt antiquiſſimus, cùm alij ante illum fuerint, & cùm fuerit ſubjectus Metropolitæ Heracleinſi, non fuit ab initio primus Patriarcharum.

Dices. Quidquid ſit de ejus primatu & antiquitate, tamen Ruſſia illi ut Paſtori tradita & ſubjecta â Concilio Chalcedonenſi anno 451. Can. 28. qui ſic habet. Ponticæ & Aſiaticæ, & Thraciæ, Diœceſes Metropolitani ſolius: prætterea Epiſcopi prædictarum Diœceſum quæ ſunt inter Barbaros â prædicto Throno S. Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ordinentur. R. 1. Ruſſiam nec eſſe in Aſia, nec in Thracia, nec in Ponto, proinde eam ab iſto Canone non comprehendi. R. 2. Hunc Canonem ſtatim fuiſſe rejectum, de quo vide tomũ 2. Conciliorũ, & Baronium anno 452.

R 3. Canon ille ſubjicit Patriarchæ Epiſcopos, ſed tum nulli Fideles ne dum Epiſcopi fuerunt in Ruſſia quæ poſt hoc Concilium adhuc 400. annis duravit in paganiſmo.

Annus Chriſti 868.

HOc anno in Pontificatu Romano ſucceſſit Nicolao Adrianus Secundus, hic ad prædicandũ Sclavis & Ruſſis miſit SS. Methodium & Cyrillum, datâ eis poteſtate celebrandi Divinum Officium & Sacramenta adminiſtrandi lingvâ Sclavonicâ. Hoc tempore fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus S. Ignatius Romano Pontifici obſequentiſſimus. Vide Baron. quem etiam Diſuniti maximi faciunt; & hoc ipſum habetur in eorum libris.

Igitur Rutheni & fidem & facultatem celebrandi lingvâ Sclavonicâ â Romano Pontifice habent, & non poſſunt ſe reducere initio fidei ad Patriarcham Sedi Romanæ contrarium.

Annus Chriſti 886.

HOc anno Leo Imperator dictus Philoſophus acceptâ poſſeſſione Imperij Græci Photum invaſorem Sedis Conſtantinopolitanæ ultimò dejecit, de quo Baronius.

Igitur Ruſſi non uniti malè aſſerunt Wlodimirum Principem Ruſſiæ fuiſſe Photio in rebus Eccleſiæ ſubjectum tanquam coætaneum. Nam hic Princeps vixit 980. centum ferè annis poſt amiſſam â Photio cathedram.

Annus Chriſti 946.

OLga Conſtantinopoli baptizata, ſed eo tempore Patriarchatum ibi tenuit Theophilactus filius Conſtantini Imperatoris Eccleſiæ Romanæ unitus. Vide Baronium.

Igitur nec per Olgam ad Ruſſos fides potuit deſcendere cum Diſunione.

Annus Chriſti 980.

HOc anno Wlodimirus Swentoſlaides Conſtantinopoli baptizatus ſed tempore Nicolai Patriarchæ cum Romana Eccleſia uniti, igitur non Photij Schiſmatici diſuni-

onem recepit cum Baptiſmo, qui ferè ante centum annos ſede pulſus.
Igitur Wlodimirus cùm nunquam ſuſceptæ S. Fidei fuerit deſertor, & Metropoliam, & Epiſcopatum pro unitis Romanæ Eccleſiæ fundavit.

Annus Chriſti 1009.

HOc anno, teſte Baronio in hoc anno, & in anno 1034. fuerunt Græci uniti Romanæ Eccleſiæ & fides in Ruſſia creſcebat.
Igitur & Ruſſi, cùm tantopere ſe profiteantur Græcos ſequi. Hoc verò tempore plures erigebat & dotabat Eccleſias in Ruſſia Jaroſlaus, igitur pro unitis Latinæ Eccleſiæ.

Annus Chriſti 1068. ad annum 1340.

CUm Michàel Cerularius ſedit in Patriarchatu Conſtantinopolitano hæreticus Ruſſi non petiêrunt Conſtantinopoli Sacram pro ſuo Metropolita, ſed hic ab Epiſcopis Ruſſicis eſt conſecratus, & caput S. Clementis Martyris Romani Pontificis ab iiſdem impoſitũ capiti novi Metropolitæ, ita Chronica Moſchovitica.
Itaq; Ruſſi agnoſcebant ſe non debere adhærere Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſi ille eſſet hæreticus, par verò eſt ratio de Schiſmate.
Ephrem Metropolita Kiovienſis feſtum Translationis Myrrhâ Barium inſtitutum â Pontifice Romano recepit, quod etiamnum per Rusſiam & Moſchoviam celebratur & quoad chorum & quoad forum, in Græcia verò eſt omnino ignotũ.
Itaq; Rusſi agnoſcebãt ſe nõ in omnibus debere ſequi Græcos. Anno 1170. Joannes Metropolita Kiovienſis curavit unionem cum Papa Alexandro.
Michàel Paleſlogus Imperator, & ejus temporis Patriarcha Conſtantinop. uniti Eccleſiæ Romanæ fuêre, de quo ſcribit Græcus Gregoras, proinde & Maximus Metropolita Kiovienſis, qui eidem Patriarchæ communicabat unitus fuit.
Igitur eſſe in unione cum Eccleſia Romana, non eſt novæ, ſed antiquæ fidei.

Annus Christi 1386.

REx Jagello in diplomate de Matrimonijs ita ſcripſit. Nullus Lithvanus utriuſq; ſexûs matrimonialiter copuletur Rutheno, ſimiliter utriuſq; ſexûs niſi priùs reddat obedientiam Eccleſiæ Romanæ cum effectu.

Dices. Caſimirus Rex anno 1340. Leopolitis confirmavit Religionem Græcam. R. Non confirmâſſe Græcam diſunitam, neq; enim ibi vox ea appoſita eſt, & certè Sancta eſt Religio Græca, verùm non Schiſma.

Annus Christi 1413.

GRegorius Ciemulak Metropolita Kioviensis nomine Vitoldi Romam profectus deferendo Pontifici Romano obedientiam.

Privilegium incorporationis M. D. Lithvaniæ in Poloniam, ita ſonat. Prædictis libertatibus, privilegijs & gratijs tantummodò illi Barones, & Nobiles terræ Lithvanæ debent uti & gaudere, quibus arma & clenodia Nobilium Regni Poloniæ ſunt conceſſa, & cultores Chriſtianæ Religionis, non autem Schiſmatici, vel alij infideles.

Annus Christi 1439.

ISidorus Metropolita Kioviensis perſonaliter interfuit Cōcilio Florentino & unioni ſubſcripſit, & creatus Cardinalis. Succesſit illi Strehori ſive Gregorius in Metropolitā Romæ conſecratus verus unitus, cui tota Ruſsia parebat exceptis Moſchis, qui alium ſibi formârunt Metropolitam. Id factum tempore Caſimiri III.

Annus Christi 1476.

MIchaël Metropolita Kioviensis cum primariis Lithvaniæ Proceribus Religionis Græcæ per literas Sixto IV. Pontifici Romano detulerunt obedientiam.

Annus Christi 1500.

JOſephus Soltanus, Metropolita Kioviensis adeo cum Eccleſia Latina fuit conjunctus, ut Chronica Moſchovitica

dicant tantùm in hoc â Latinis fuiſſe diverſum quod Miſſam ſive Liturgiam non Latinè ſed Sclavonicè celebraret. Hunc Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus literis datis anno 1510. hortatus, ut adhæreret Concilio Florentino, in quo Græci unionem cum Latinis renovârunt, libenter ſeipſum id facturum ni prohiberet ſervitus Turcica.

Annus Chriſti 1504.

REx Alexander laudat unionem & confirmat data unitis privilegia â Rege Vladislao.

Annus Chriſti 1510.

CElebravit hoc anno Vilnæ Synodum Joſephus Soltanus Metropolita Kiovienſis unitus.

Annus Chriſti 1594.

MEtropolita Kiovienſis Rahoza cum omnibus ſuis Epiſcopis ſtatuit renovare unionem, & obedientiam erga Sedem Romanam & anno ſequenti per literas id præſtiterunt quas mox ſubjiciemus.

Dices. Iſti Romam recurrerunt, ut ſubterfugerent judicium & pœnas quas metuebant, ne illis Patriarcha ob eorum ſcelera infligeret. R. Hoc fruſtra dici & nunquam poſſe probari. Ad Catholicos non confugiunt ſed ad Hæreticos vel Paganos ſcelerati.

Literæ ad Clementem VIII. datæ 21. Junij.

Sanctiſſime Pater Domine & Paſtor Supreme Eccleſiæ Chriſti Domini, Domine Clementiſſime.

REpetentes memoriâ conſenſum in omnibus, atq; unionem Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, quam Majores noſtri ſub obedientia & regimine Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ coluerunt, ex altera verò parte perpendentes animis diſſenſiones & ſchiſmata quæ hodie invaluerunt, non potuimus non propterea non maximo dolore affici, deprecabamurq; aſſiduè Dominum ut nos aliquando in unitatem fidei aggregaret, expectantes ſi forsè Superi-

periores & Paſtores noſtri Orientalis Eccleſiæ, in quorum obedientia hucusq; fuimus de ineunda Unitate & concordia, quam in Liturgijs â Deo quotidie efflagitant, cogitare seriò atque diligenter in eam rem & curam incumbere vellent, ſed cùm videremus fruſtra tale quidpiam ſperari ab illis non tam malevolentiâ fortaſſe eorum, quàm quod ſub graviſſimo ſervitutis jugo crudeliſſimi Tyranni & â Religione Chriſtiana alieni, gemant, tentare id quod maximè vellent nullo modo poſſunt, nos nihilominus qui in his partibus ſub Dominio Sereniſſimi Poloniæ & Sveciæ Regis & Magni Ducis Lithvaniæ conſtituti ſumus liberisq; nobis propterea eſſe licet, attendentes Officium noſtrum, neque Nobis ipſis: ſed & omnibus Gregis Chriſti, quorum cura ad nos ſpectat obeſſe, conſcientiasq; hac in parte noſtras tot animarum interitu qui ex diſſenſionibus his provenit, gravare nolentes, adjuvante Deo ad Unionem quæ inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam viguit, inque Florentina Synodo ab Anteceſſoribus noſtris conſtituta eſt, accedere decrevimus, ut vinculo hujus Unionis adſtricti, ſub obedientia & regimine Sanctitatis veſtræ uno corde & ore glorificemus & laudemus omnes Diviniſſimum & Sanctum Nomen Patris, Filij, & Spiritûs Sancti. Ac proinde ſciente volenteq; Domino Noſtro Sigiſmundo III. Dei Gratiâ Poloniæ & Sveciæ Regis Magni Ducis Lithvaniæ, cujus etiam ſingulare & ſapientiſſimum in hac re ſtudium enituit, mittimus ad Sanctitatem veſtram Chariſſimos Fratres noſtros, Reverendos in Chriſto Hipatium Pociey Protothronium, atq; Epiſcopum Włodimirienſem Breſtenſemq; & Cyrillum Terlecki Exarcham atq; Epiſcopum Luceorienſem Oſtronenſemq;: quibus mandavimus, ut Sanctitatem Veſtram adeant, ac ſiquidem Sanctitas Veſtra, adminiſtrationem Sacramentorum ritus, & cœremonias Orientalis Eccleſiæ integrè inviolabiliterq; atq; eo modo, quo tempore Unionis illis utebamur, Nobis conſervare confirmareq; pro Se & Succeſſoribus ſuis nihil in hac parte innova-

novaturis unquam, dignetur Suo & omnium Nostrorum Archiepiscopi & Episcoporum, totiusq; Ecclesiastici Nostri Status, & Ovium Commissarum Nobis divinitùs, nomine Sedi S. Petri & Sanctitati Vestræ, uti Summo Pastori Ecclesiæ Christi debitam Obedientiam deferant. Quæ omnia petita â Nobis si obtinuerimus, Sanctitati Vestræ cum omnibus Successoribus suis Nos & Successores Nostri dicto audientes, subq; Regimine Sanctitatis Vestræ esse volumus. In quorum majorem fidem literas præsentes manibus Nostris subscripsimus, atq; munivimus sigillis. Datum ex Regno Poloniæ & M. D. Lithvaniæ die 12. Junij. A. D. MDXCV. juxta Calendarium vetus.

Sanctitatis Vestræ humillimi apud Deum Oratores & Servi.

Michaël Dei gratiâ Archiepiscopus Metropolita Kioviensis Haliciensisq;, ac totius Russiæ. m. pp.

Hipation Dei gratiâ Protothronius Episcopus Włodimiriensis Brestensisq;. m. pp.

Cyrillus Terlecki Dei gratiâ Exarcha Episcopus Luceoriensis Ostrosiensisq;. m. pp.

Georgius Nominatus Archiepiscopus Vladica Polocensis Vitebscensisq;. m. pp.

Gedeon Balaban Episcopus Leopoliensis. m. pp.

Dionysius Zbiwiski Episcopus Chelmensis. m. pp.

Leontius Pełcicki Episcopus Pinscēsis Turoviensisq;. m. pp.

Joannes Hohol nominatus Episcopus Pinscensis Turoviensisq;. m. pp.

Idem Joannes Hohol Archimandrita Kobrinensis Ecclesiæ S. Salvatoris manu propriâ subscripsit.

Annus Christi 1596.

Promulgata S. Unio Brestæ.

Dices: Contra hanc Unionem protestati sunt aliqui. R. Nullum ferè Concilium fuit etiam Generale contra quod privati aliqui non fuerint protestati, tamen id Concilijs non obfuit

obfuit si modò â Pontifice Romano fuerunt approbata, itaque nec obesse debet S. Unioni â Concilio Orientalis in Polonia & Lithvania Ecclesiæ petitæ & receptæ, cui omnes Episcopi hujus Ecclesiæ nemine excepto subscripserunt.

Annus Christi 1610. usq; ad 1620.

HIs annis qui ex privatis aut laicis non receperunt Unionem advocârunt ex Oriente sine Regis Poloniæ scitu quendam Episcopum, qui ex plebe consecravit Metropolitam & Episcopos pro conservanda disunione.

Ex dictis patet. 1. Russos olim etsi se referrent ad Patriarcham Constanstinopolitanum, tamen Pontificem Romanum pro Summo Pastore agnovisse.

2. Habuisse eosdem Russos pro re indubitatâ quòd si non vixissent sub Romani Potificis obedientia, se animarum interitum passuros.

3. Habuisse item pro certo, licitum & debitum esse deserere Patriarcham Constantinopolitanum quando ille esset Hæreticus vel Schismaticus, & immediatè Romano Pontifici subesse.

4. Unionem non esse rem novam, sed multò priorem Schismate.

5. Russiam nec de jure, nec de non interrupta consuetudine subjectam esse Patriarchæ Constantinopolitano.

Sed istis adhuc paucula adjiciamus, quæ ex libris Græco-Ruthenorum omnia excerpemus.

§ 1. *S. Petrus agnoscebatur â Græcis fuisse caput Ecclesiæ.*

S. Basil. lib. 2. contra Eunom., *Petra Petrus propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit.* Differentiam assignat inter Christum & Petrum quomodo ille & iste sit Petra, scilicet Petrus est Petra propter Christum, Christus propter seipsum, in homilia, seu ut Sclavones vocant *Besidie opokaianij.* Chrysost. hom. 55. in Matth., quæ

in Sclavonicum translata. *Ecclesiæ Pastor & caput homo piscator.* In Ps. 50. *Petrus vertex & caput Cœtus Evangelici.* Theophilactus in *Zaczało* 67. Matth. cap. 16. *In Petro Dominus ædificat Ecclesiam.* S. Cyrill. Jerosol. in *Obłasenij.* *Petrus Præpositus supra Apostolos.* In parvis Vesperis Jun. 29. *Petrus Apostolorum fundamentum, Christianorum præpositus &c.* Die SS. Apost. Petri & Pauli in Litia. *Petrus cathedrâ primus.* In Stichira. *Petrus petra fidelium.* Similia habentur in formula absolutionis confitentium. Idem reperitur in Trebnico Balabani Leopoli impresso fol. 268. Greg. Cemiulacus Metrop. Kiov. in Concione pro SS. Petro Paulo. *Petrus toti mundo præpositus.* Petrus S. Jacobum constituit Episcopum. Chrysost. hom. ult. in Joan. *Si quis me interrogaret, quomodo Jacobus accepit cathedram Jerosolimitanam? responderem, Quia Petrus totius mundi Magister illum in ea collocavit,* & tamen moderni Græci Jacobum præferunt Petro. Nec ideo Petrus prior, quia annosior, nam teste Epiph. hær. 51. magis senex fuit Andreas.

§ 2. *S. Petrus juxta eosdem Græcos Romæ cathedram constituit.*

PRawidla Ruthenica Synodi Carthaginiensis hæc habent. *Sedes Romana dicta est Apostolica, siquidem verticalis Petrus in ea eluxit, & post se primum Archiprincipem Linum in ea cōstituit.* In Vesperis in Hospodiwozwach die SS. Petri & Pauli profitentur S. Petrum fuisse Romanum Episcopum.

§ 3. *Romani Pontifices sunt in cathedra Romana Petri Successores.*

CHristus non soli Petro sed & Successoribus ejus commisit oves suas. Ita S. Chrysost. lib. de Sacerd. quem in lingvam Sclavonicam versum, Confraternitas Leopolitana edidit anno 1614 Quod Petrus in Successoribus vivat & vivet, lege Concil. Ephesinum. tom. 2. Concil. cap. 27. Concil. Chalced. *Papa Leo universalis Ecclesiæ caput Petri dignitate illustratus.* Concil VI. Constantinop. ait. 18. *Petri Succes-*

Successor Agatho Papa, &c. In Agathone locutus est Petrus Constantinus Magn. in Privilegio dato S. Sylvestro Papæ quod invenitur in Chronicis Moschov. Romanam Sedem vocat Petri Sedem, & in ea Sylvestrum Petri Successorem. Apud S. Chrysostomum lib. cit. de Sacerdotio Tarasius Patriarcha Constantinop. Adrianum agnoscit S. Petri Successorem. Leonem Papam die ejusdem 18. Febr. Can. in Matut. ode 6. ait Leonem Papam eandem cum Petro occupare Sedem. S. Gregorium esse Petri Successorem confitētur in Prolog. Martij 12. S. Martinum Papam in Menæis April. 14. Leonem III. in Sobotniki in vita S. Theod. Studitæ.

§ 4. *Patriarchatus Constantinopol. â Romano Pontifice constitutus.*

BIzantium oppidum erat, id Constantinus Magnus in amplæ Urbis formam redegit, & post donatam S. Sylvestro Urbem Romam, ê suo nomine Constantinopolim appellavit. Bizantij Episcopus erat ad illa tempora Episcopi Heracleensis Suffraganeus. Impetravit â S. Sylvestro propter novæ Urbis honorē Constantinus, ut illi Urbi concederet Patriarcham, & concessit S. Metrophanem Cæsaris Probi affinem: ita habetur in Prologo Jun. 4. & in secundo Concilio Constantinopol. Can. 3. atq; ita Episcopi Bizantini per annos 300. incipiendo â S. Stachide uno è LXX. Christi discipulis dato â S. Andrea Bizantino Episcopó suberant Metropolitæ Heracleensi. In cujus rei signum etiamnum instituit in Patriarcham Constantinopolitanum sive Chirototonicat, ut testatur Basilius Suraski fol. 136. nam ad consecrandum Patriarcham, non conveniunt tres Patriarchæ (ut plebs putat) neq; unquam convenerunt, hoc ipsum invenies in Martino Crusio hist. Eccles. lib. 5. & in Prologo in vita S. Sylvestri Jan. 2. & in Zonæra in vita Constantini Magni & in Hist. Sclavon. Ecclesiastica. Joannes tandem Patriarcha Constantinop. annis post Metrophanem circiter 300. tempore S. Gregorij Magni cœpit se

contra Papam ac se Episcopum Oeconomicum sive totius mundi appellare, de qua superbia illum per Epistolas graviter coarguit S. Gregorius, ubi etiam hoc argumentum attulit. Si Patriarcha Constantinop. est totius Ecclesiæ caput, ergo tota Ecclesia erravit non semel in fide, cùm Patriarchæ Constantinop. non solùm hæretici, sed etiam aliqui fuerunt Hæresiarchæ, uti Nestorius, Macedonius &c.

§ 5. *Pontifices Romani in Conciliis Generalibus primum locum habebant.*

PRimum fuit Concil. Nicænum anno 323. Patrum 318. in quo Sylvester Pontifex primus erat, secundus Alexander Patriarcha Alexandrinus, tertius Eustachius Antiochenus, quartus Macarius Jerosolimitanus. Sclavonici libri post Sylvestrum ponunt Alexandrum Constantinop. Patriarcham: sed error est manifestus, quia tum nondum erat erectus Patriarchatus Constantinop. hic verò Alexander eo tempore tantùm erat Presbyter Constantinop. ut patet ex Synodo Nicæna lib. 1. & Epist. Alexandri Patriarchæ Antiocheni ad Alexandrum de quo agitur.

Secundum Concilium fuit Constantinop. anno 381. Patrum 150. in eo primus Damasus Papa. 2. Nectarius Constantinop. 3. Timotheus Alexandr. 4. Meletius Antioch. 5. Macarius Jerosol.

Tertium anno 430. Patrum 200. in eo primus erat Cyrillus Alexand. quia præsidebat locò Cœlestini Papæ.

Quartum Chalcedone anno 451. Patrum 630. in eo primus Leo Papa.

Quintum anno 553. Patrum 165. in eo primus erat Vigilius Papa.

Sextum anno 680. Patrum 170. in eo primus Agathon Papa.

Septimum Niceæ anno 787. Patrum 367. in eo primus Adrianus Papa in suis Legatis, cùm tamen aliorum Patriarcharum Legatis non concederetur locus, quem tenuisset Patriarcha

triarcha

triarcha si adfuisset, ut factum in sexta Synodo, cùm missus fuisset Legatus â Patriarcha Alexandrino, neq; titulo hospitalitatis dabatur Pontificibus prior locus, nam etiam Patriarchæ in alterius Patriarchia fuerunt hospites, neq; illis locus prior est oblatus, patet hoc ipsum de loco Legatorũ Pontificiorum ex Concil. Cartagin.

§ 6. *Concilium Generale sine Papa celebrari non potest.*

ITa se rem habere testatur Synodus VII. Act. 6. illius est indicere & approbare Concilia, patet id ex continua praxi; ita in prima Nicæna tom. 1. Concil. ubi PP. supplicârunt S. Sylvestro Papæ, ut eorum acta confirmaret. Secundum Concil. â Papa indictum Theodoret. lib. 5. & Damasus Papa confirmavit acta in eo. Tertium Papa indixit Evagr. lib. 4. cap. 4. Nicephor. lib. 14. Photius de septem Synodis. Similiter quarta Synodus â Papa convocata ut ipsa profitetur Act. 16. & sic de alijs Synodis, de quibus universim lege verba S. Stephani M. cujus diem Græci 28. Nov. celebrant, & vita ejus posita in Soborniki.

§ 7. *Pontifex Romanus Patriarchas & deponit & instituit.*

ITa restitutus sedi Costantinopolitanæ Paulus â Julio Papa *Sobornik 6. Novemb.* in vita Pauli. S. Mina *in Prologo Aug.* 25. creatus â Papa Agapito Patriarcha Constantinop. S. Ignatius Patr. Constantinop, per Nicolaum Papam suæ sedi restitutus. Flavianus ex sede Constantinop. iniquè depositus appellavit ad Papam, lege in *Sobornik 16. Jul. & 14. Aug. & Jan. 2. & Apr. 14.* quomodo â Conciliabulis ad Papam appellabatur. Innocentius Papa ex Patriarchatu Alexandrino deposuit Theophilum: *Sobornik 13. Novembr.* idẽ Papa excommunicavit Arsaciũ Patriar. Constantinopolitanum. In Concil. Ephesino S. Cyrillus legatus Papæ authoritate illius excommunicat Nestorium. *Sobornik Julij 16.*

Felix III. Papa excommunicavit & depoſuit Petrum Gnaufeum Patriarcham Antiochenum, ut eſt in vita S. Sabæ in *Soborniki 5. Decemb.* Idem Papa excommunicavit & depoſuit Patriarcham Alexandrinum & Conſtantinop. anno 483. Agapitus Papa anno 484. Antemium depoſuit, ita eſt *in Prologo April.* 17. vide ibid. Aug. 13. April. 14. Sept. 15. Jan. 21. Menologium in Canone & Hymno 7. April. 14. ubi Martinus Papa excommunicavit Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum Patriarchas. Sixtus Papa depoſuit Polichronium Patriarcham Jeroſolymorum, Photium Patriarcham Conſtantinop. depoſuerat Nicolaus, & poſt eum Adrianus Papa, ita Chronicon Sclavonicum, impoſuit autem loco illius Ignatium, lege Theodoret. lib. 8. cap. 8. & lib. 5. cap. 23. Sozom. lib. 3. cap. 3. Evagr. lib. 2. cap. 18. Calixtum Santopolum lib. 9. cap. 8. & 10.. Neq; his obſtat Canon 23. Cōcilij Cartaginienſis, quia ſolùm ibi prohibetur ne Clerici per mare navigent, ipſe enim Balſamon Latinis inimicus vult iſta intelligi in hunc modum, non prohiberi Græcis recurſum ad Papam, ſed prohiberi ne tanto diſpendio requirant judicium ejus per maria, quod potuit vitari ſi ad Legatum ejus recurrerent.

Neq; obſtat Prawidlo 28. Concilij Calcedon. in quo ponitur, quòd æqualis ſit poteſtas Patriarchæ Cōſtantinop. atq; Papæ. Quia hic non eſt Canon, ſed deſideriū Patriarchæ Cōſtantinop. Anatolij, quod eſt rejectū. Socr. lib. 6. Sozom. lib. 8. Niceph. lib. 15. cap. 10. Evagr. lib. 2. cap. 18. Poſt hunc falſum Canonem uſi, ſunt Pontifices Romani ſuâ authoritate in Patriarchas Coſtantinop. ut Agapetus contra Autemiū Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Photius ſi eſſet hic Canon, illo ſe protexiſſet. Uſus ſuâ authoritate Martinus Papa contra Photium, Nicolaus & Urbanus contra alios. Trullanæ Synodo Patriarchæ nec per ſe nec per legatos interfuerunt, adeoq; non eſt Generalis.

Quòd quidam Græci Diſuniti appellent Papam Cœleſtinū hæreticum, id de Cœleſtio debet intelligi, qui in Cartagi-

nienſi

nienſi Concilio damnatus anno 412. Cœleſtinum autem Papam appellant Græci in Prologo April. 8. Beatum. Surazki fol. 85. Sanctiſſimum. Ajunt illorum quidam Liberium Papam fuiſſe Arrianum; ſed hunc Baſil. Magn. epiſt. 74. vocat perbeatum, & Græca Eccleſia Aug. 27. in Prologo idē affirmat. Honorium nequiter vocant Monothelitam, quem defendit S. Maximus M. qui ejus notarium egit; Scripta etiam ejus contrarium docent, quæ in Baronio invenies.

§ 8. *Veteres Patriarchæ Conſtantinopol. Eccleſiæ Romanæ ut plurimùm ſe uniebant.*

S. Metrophanes fuit unitus, ſimiliter poſt eum Paulus. Deinde Euſebius Nicomedienſis Arrianus à SS. PP. vocatus Sathanas. Macedonius Hæreticus. Eudoxius Arrianus. Evagrius unitus. Gregorius Nazianzenus unitus. Nectarius unitus. S. Joannes Chryſoſt. unitus. Arſacicus unitus. Atticus unitus. Ziſynius unitus. Neſtorius hæreticus. Maximianus unitus. S. Proclus unitus. S. Flavianus unitus. Anatholius unitus. Gennadius I. unitus, Acacius unitus poſtea à Papa excommunicatus.

Flavita ſive Flavianus hæreticus.

Euphemius unitus, Macedonius II. unitus.

Timotheus hæreticus.

Joannes II. de Cappadocia unitus, Epiphanius unitus.

Antimus occultus hæreticus ac poſtea dejectus à Papa.

Mena Unitus, Eutychius Unitus.

Joannes III. Scholaſticus hæreticus.

Joannes IV. ſchiſmaticus qui arrogabat ſibi titulum Oecumenici.

Cyriacus unitus, Thomas unitus.

Sergius hæretic⁹ Monothelita ſimiliter Pyrrh⁹, ſimiliter Petr⁹.

Thomas II. juxta quoſdam unitus, Joannes V. unit⁹, Conſtantinus unitus.

Theodorus Hæreticus Monothelita.

Georgius unitus, Paulus III. dubius.

Callinicus ob diſcordias ab ipſis Græcis excœcatus.

Cyrus

Cyrus unitus.
Joannes VI. Monothelita.
Germanus unitus.
Anaſtaſius Hæreticus Iconoclaſta, ſimiles illi Conſtantinus II., Nicetas.
Paulus IV. occultè unitus, apertè verò Taraſi9 & Nicephor9.
Theodorus & Joannes VII. Iconoclaſtæ.
S. Methodius, S. Ignatius uniti.
Photius Schiſmaticus Hæreticus, & qui alios Patriarchas ad ſchiſma doloſè trahebat.
Stephanus Baſilij Cæſaris Filius unitus, Nicolaus Miſticus, Euthymius â Clero Græco occiſus, Stephanus II. Theophilactus, Polieuctus, Baſilius, Antonius, Nicolaus, Primus, hi omnes uniti.
Sergius Schiſmaticus.
Euſtacius, Alexius, uniti.
Cerularius & qui eum ſecuti fuerunt ſchiſmatici excepto Beca & Joſepho, Gennadio, Scholario, Niphone.

§ 9. *Circa Metropolitanos Ruſſiæ excerpta ex Chronico Moſchorum.*

PRimus Metropolita Ruſſiæ Michaël natione Græcus, conſtitutus â Nicolao II. Chryſobergo Patriarcha circa annum 1000. unitus.
Leontius anno 1020. & hic ſedem affixit Kioviæ, unitus Græcus.
Anno 1038. Theopompus Græcus unitus, ejus tempore ſchiſma erexit Cerularius Patriarcha.
Anno 1051. Hilarion Ruthenus, conſecratio facta templi S. Sophiæ Kioviæ, ſed non eſt in hoc negotio recurſum ad Patriarcham. unitus.
Anno 1068. Georgi9. Anno 1080. Joannes, dubium an unit9.
Joannes Græcus illi ſucceſſit unitus.
Anno 1092. Ephrem Græcus unitus.
Anno 1102. Nicolaus Græcus. Anno 1114. Nicephorus. An. 1126.

1126. Nicetas Græci, item 1127. Michaël. Hi Patriarchæ obediebant.
Anno 1146. â Ruſſis ſine recurſu ad Patriarcham ordinatus Clemens, unitus.
Anno 1160. Theodorus Græcus Schiſmaticus. Anno 1170. Joannes III. Græcus laboravit pro unione reducenda, & ſcripſit ad Alex. III. Papam.
Anno 1176. Conſtantinus Græcus Schiſmaticus. 1185. Nicephorus Patriarchis obediverũt. Matthæus Græcus dubiũ cui.
Anno 1225. Cyrillus Ruthenus. 1230. Cyrillus alter Ruthenus dubium an uniti.
Anno 1237. Joſephus Græcus, hic unicus intra hæc tempora datus â Patriarcha, Schiſmaticus.
Anno 1250. Cyrillus III. Ruthenus, hoc tempore in Concilio Lugdunenſi reſtaurata unio inter Græcos & Latinos ſub Beca Patriarcha Conſtantinop.
Anno 1283. Maximus Græcus conſecratus â Joanne Beca Patriarcha unito. Poſt hunc Petrus Ruthenus unit. quo tempore Græci rumpebãt unionem.
Anno 2288. Theognoſtus Patriarchis obediens, tunc ritus Græcorum Vilnam illatus.
1364. Alexius Ruthenus obediens Philophilo Patriarchæ qui unioni favebat.
1378. Cyprianus habuit Antimetropolitam Pimenum Moſchum intruſum.
1407. Photius, hic ſede pulſus & illi â Clero ſubſtitutus Gregorius Cemivolac Bulgarus â Clero conſecratus, egit cum Conſtantienſi Concilio pro unione & â Vitoldo Duce miſſus Romam ad Martinum III.
1437. Iſidorus Bulgarus, interfuit Concilio Florentino, multa egit & paſſus pro unione. factus Cardinalis â Papa Eugenio.
1442. Gregorius â Pio II. Papa creatus Metropolita interim Moſchi alium aſſumunt in Metropolitanum, nam hucuſque

unicus erat, quod reprehendit Dionysius Patr. Constantinop. & hortatus ut omnes agnoscerent solum Gregorium.
1474. Misäel, hic cum tota Russia misit Legatos ad Sixtum IV. Papam.
1477. Simeō. 1482, Jonas unitus, & Patriarcha tunc fuit unit⁹.
1490. Macarius unitus neq; â Patriarcha etsi unito cōsecratus.
1497. Josephus Soltanus unitus.
1516. Jonas obediens Patriarchæ, & sub illo Russia in Schisma relapsa.
1536. Josephus Schismatic⁹. 1528. Macarius Schismatic⁹ cæcus.
1556. Sylvester homo rudissimus fortè Schismaticus.
1568. Jonas Protasowicz. 1577. Elias Kucza. 1578. Onesiphorus Dziewoczka, dub.
1588. Rahoza qui unionem restauravit.
1590. Hipacius Pociey Romæ obedientiã Pontifici reddidit.
1613. Josephus Velamin Rucki. 1637. Raphäel Korsack &c. uniti; sed hujus tempore â Schismaticis constitutus alius Metropolita Joro Borecki cum suis successoribus.

§ 10. *Romani Pontifices suam potestatem in Russia exercuerunt.*

NAm in locum Isidori, quem Constantinopolim misit Nicolaus V., dedit Ruthenis Metropolitam â se consecratum Gregorium Græcum quem etiam Regi Poloniæ recommendavit. Demetrium Principem creavit Gregorius VII. Papa Regem Russiæ. *Baron*. Danielem Ducem â Nuncio Apostolico in Regem unctum Russiæ ait *Miochovita* &c

§ 11. *Antiquior est unio disunione.*

ACt. 4. 31. *Unum erat cor credentium & una anima.* Idem Act. 1. 44. sed propiùs rem accedendo. In omnibus primis Concilijs uniti erant Græci Latinis & simul dogmata Catholica stabiliebant, hæreses damnabant: in Pontifices Romanos assumpti sunt Græci Anacletus, Telesphorus, Higinius, Eleuterius, Zacharias &c. Festa quorundam Pontifi-

tificum celebrabat Græcia, Liturgias ab illis conſcriptas, ut à S. Gregorio recipiebat, quas & nunc peragit in Quadrageſima. Ut poſſint Liturgiæ lingvâ Sclavonicâ celebrari, à Papa obtinuerunt SS. Cyrillus & Methodius.

§ 12. *Ruſſia non ſubjacet Patriarchæ Conſtantinopolitano.*

SUbjaceret vel de jure aliquo, vel de conſuetudine interrupta, neutrum verò eſt iſtorum: ſed jus quod citat Concil. Chalced. quod in deductione hiſtorica poſuimus anno CCCXXV, non ſervit. Neq; conſuetudo eſt pro illis non interrupta, ut patet ex catalogo Metropolitanorum. Verùm licèt ad unitos Ruſſia pertinuiſſet, nullo modo pertinet ad Schiſmaticos. Nam primò Baptiſmus in Ruſſiam pervenit ſub Baſilio Macedone Græcorum Cæſare, de quo Photius in ſua Encyclica, hoc factum anno 863. ſub Patriarcha Ignatio unito. Ita Zonaras, Cedrenus. Sed poſt huncBaptiſmum rediêrunt Ruſſi ad idola. Deinde pro ſuſcipiendo Baptiſmate excurrit Conſtantinopolim Olha Duciſſa Ruſſiæ vidua & baptizata à Theophilact. unito anno 946. Tandē ſub Wlodimiro Nepote Olhæ in civitate Corſunie anno 990. juxta Græcos, juxta Baronium 1008. centum annis poſt Photium elapſis ſub Nicolao Chryſobergo Patriarcha unito Baptiſmum univerſaliter Ruſſia ſuſcepit, & ab eodem Ruſſiæ datus primus Metropolita Michàél. Hoc verò tempore omnes Patriarchæ fuerunt uniti, uti in ſua epiſtola teſtatur Petrus Patriarcha Antiochenus. Vi autem Baptiſmi Eccleſia univerſalis in nos jus acquirit, non homo baptiſans, alioquin baptiſatus à Sacerdote Joanne ſemper ad illum ſpectaret.

§ 13. *In ſede Conſtantinopolitana non poteſt eſſe Principatus Eccleſiæ.*

QUia nō poteſt hæretic⁹ eſſe caput Eccleſiæ, in ſede verò illa multi fuerunt hæretici. Euſebius fuit hoſtis Divinitatis Chriſti, Eudoxius & Demophilus Ariani. Maximus

Cynicus Apollinarista, Nestorius hæresiarcha. Anthemius Eutichianus, Acacius, Timotheus, Joannes Cappadox, Sergius, Petrus, Pyrrhus, Cyrus, Paulus, Macarius, Monothelitæ hæretici. Anastasius, Constantinus, Nicetas, Paulus, Iconoclastæ. Theodorus, Antonius, Joannes Iconoclastæ & Monothelitæ. Michàeli Cerulario Leo IX. Papa epistol. capite 8. 90. hæreses exprobrat, quæ ex illa sede fluxerunt. Sed præter Patriarchas recenter Philaletus docuit Calvinismum libello dicto Apocrysis. Autor lamenti quem Disuniti recipiunt, profitetur se doctrinam attulisse ex Wittebergensi Academia Lutherana. Orthologus & Lamentator fol. 177. negat judicium particulare post mortem. Zizania docet, quòd animæ Sanctorum non sint in cœlo. Duo solùm admittit Sacramenta Lament. fol. 214. Marcus Ephesinus & Nicolaus Cabasilas docent transubstantiationem panis in S. Eucharistia non verbo Dei sed oratione Sacerdotis perfici lib. de Consecr. & lib. in explic. Liturg. Philalethus pag. 66. ridet purgatorium. Lament. fol. 213. asserit animas è corpore nasci humanas veluti herbam ex semine. Idem fol. 206. traditiones Apostolicas deridet. Zizania fol. 101. Philalet. fol. 93. asserunt, quòd Christus in terra Sacerdotium reliquerit, ita ut ampliùs non sit Sacerdos, contra Psalmum 98. & Hebr. 5.

§ 14. *Non Latini â Græcis, sed Græci â Latinis se diviserunt.*

PAtet id ex eo, quia Latini eam fidem tenent quam tota olim tam Latina quàm Græca docuit Ecclesia, Græci verò moderni nova dogmata sectantur.

§ 15. *A Pontifice Romano habent Rutheni, quòd lingvâ Sclavonicâ in Sacris utantur.*

SS. Methodius & Cyrillus missi fuerunt ad convertendos Sclavones (ut scribit Sylvius hist. Boém. Cromerus. Baron. an. 880. & Soborniki 14. Febr. hi cùm lingvâ Sclavonicâ

nicâ uti cœpissent, ut faciliùs illas nationes ad Christum attraherent vocati Romam ab Adriano Papa, qui ab illis recepit libros Sclavonicos & reposuit in templo B. Virginis dicto Pacis, ibi commisit suis Episcopis Latinis Gordio & Formoso, ut discipulos illorum Sanctorum Sclavones ordinarent Sacerdotes: hi cùm decantarent Liturgiam in templo S. Petri lingvâ Sclavonicâ, & nocturnum in templo S. Apostoli Pauli (idem habetur in Breviario Latino in Patronis Poloniæ, sed additur, quòd â Nicolao Papa obtinuerunt facultatem sacra obeundi Sclavonicè, quia scilicet ultimis temporibus Nicolai Romam venerunt, & mansionem continuârunt sub Adriano) petiêrunt ergo facultatem â Nicolao, & cùm de illa danda dubitaret Pontifex, vox cœlitùs audita: *Omnis Spiritus laudet Dominum*, quâ Pontifex motus cōcessit quod petebatur.

Corollarium 1. *Posse & debere Schismaticos redire ad unionem etiam repugnante Patriarchâ.*

QUia possunt & debent fugere sectam Arianam, Iconoclasticam, &c. licèt id prohiberent Patriarchæ qui fuerunt Ariani, Iconoclastæ &c. ergo etiam licèt prohibeat Patriarcha Schismaticus, debent ad unionem redire. Non esse autem sub capite Ecclesiæ Romanæ agnoverunt non semel Græci qui redibant ad Ecclesiam, præcipuè in Concilio Florentino, cui etiam interfuit Isidorus Metropolita totius Russiæ, sed & ante tempus illud incipiendo â Cemiulaco anno 1407. ad Soltanum anno 1516. duravit, cùm rursus Schisma ope Reginæ Helenæ natæ Moschis recruduit, unionē suasit & Miphon Patriarcha literis datis ad Soltanū Metrop. quæ asservantur in chartophilacio Metropolitano.

Corollarium 2. *Sacerdotium Schismaticor. incertum.*

CErtum quidem est quòd Episcopus Hæreticus aut Schismaticus validè quamvis illicitè ordinet, sed est incertum an Græcoschismaticorum Episcopi sint verè Episcopi;

quia multi pseudoepiscopi & pseudometropolitæ ex Græcia venientes ordinârunt Episcopos & Sacerdotes in Russia, ut anno 1633. Metrophanes, anno 1638. Anatolius sutor. Anno circiter 1628. Nicephorus qui erat laicus uti & Anatolius. In Græcia etiam ipsa simul & semel fuerunt decem Metropolitæ Achridonienses, horum singuli non potuerunt esse veri Metropolitæ, & tamen ordinabant. Con. Creusa lib. de unione. Alij ita rudes ut nec scribere noverint, multò minùs formam Ordinum. Vide Smotriki in Exegesi. Idē scribit de quodam, qui pridie fuit Scurra, postridie Metropolita Seronensis: alij pridie laniones, Judæi, cras Metropolitæ, patriarchæ, & an baptisati, nescitur; certè Judæus fuit Joannicius patriarcha, neq; ullus dicere potest fuisse baptisatum. Hinc sequitur apud Schismaticos dubiam esse Eucharistiam, poenitentiam, Confirmationē, Extremam unctionem.



CON-

CONTROVERSIARUM AMICARUM.

PARS SECUNDA.

CONTROVERSIÆ FIDEI IN PARTICULARI.

CAPUT I. De DEO & CHRISTO

CONTROVERSIA I.

DE VISIONE DEI.

PARS PRIOR.

DEUS in eſſentia ſua videri poteſt, & videtur de facto ab Angelis & Beatis. Eſt Catholicorum.

I. QUia Matth. 5. 8. dicitur. *Beati mundo corde, quoniã ipſi Deũ videbunt.* Et Mat. 18. 10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* Iſti textus de Viſione DEI in eſſentia intellecti ſunt tempore S. Aug. epiſt 112. S. Hilarij can. 18. in Matth. & in illud Pſ. 118. *Deprecatus ſum faciem tuam.*

2. Quia 1. Cor. 13. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut cognitus ſum*, Cùm dicit: *de facie ad faciem*, dicit quòd non ænigmaticè, ſeu obſcurè ſimus viſuri; cùm dicit quod non per ſpeculum, dicit nos Deum non in alio aliquo viſuros: cùm dicit, ſicut *cognitus ſum*, dicit nos Deum in eſſentia viſuros, ſicut nos videt ille in noſtra eſſentia.

3. Quia 1. Joan. 3. 2. *Scimus quòd cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Hìc verò, ut per ſe patet, eſt ſermo de viſione Divinitatis. Ita intellectus hic textus tempore S. Aug. epiſt. 112, cap. 7. Irenæi lib. 4. cap. 37. ubi dicit, *Homines videbunt DEUM & vivent per viſionem*

nem immortales facti, & pertingent usq; ad DEUM, id eſt, ad DEI eſſentiam, quod ipſum fuſé & ex profeſſo probat S. Aug. epiſt. 111. & 112. & ad hoc confirmandum adducit teſtimonia S. Ambr. & Hieron.

PARS POSTERIOR

DEUS non poteſt videri nec ab ullo videtur in ſua eſſentia. *Eſt Armenorum & quorundam Græcorum: qui non eſſentiam ſed quendam ab ea dilabentem fulgorem videri docent.*

1 Quia Joan. 1. 18. dicitur. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.* Ex quo inferunt quòd ſolus Unigenitus eum videat: alioqui ſi & Angeli viderent, & ipſi poſſent enarrare. R. cum Aug: epiſt: 112. cap: 12. ſermonem ibi eſſe de hominibus qui ante Chriſtũ vixerunt, quorum cùm nemo Deum viderit, nemo etiam enarrare potuit, ſed ſoli id Chriſto proprium. Angeli etſi videant, non enarrant, quia non eſt illorum officium agere prædicatores.

2 Quia 1 Tim. 1. 17. dicitur Deus *inviſibilis.* et cap. 6. 16. *habitat lucem inacceſſibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt.* R. cum Aug. l.c. Deum eſſe inviſibilem, nec videri poſſe oculis noſtris corporeis. R. 2. Non poſſe videri ita ut comprehendatur â creatura; comprehenſio enim debet procedere â tam nobili vel nobiliore principio, atq; eſt objectum. Ita reſpondet S. Ambr. lib. 1. in Luc. S. Aug. epiſt. 112. cap. 7. & 8. S. Greg. Moral. 18. cap. 28. S. Chryſoſt. hom. 14. in Joan. quem perperam pro ſe trahunt Armeni. Poſtquam enim ille hom. 14 in Joan. dixiſſet, nemo videt Patrem niſi Filius, appoſuit, *qui certam notionem, viſionem, & comprehenſionem habet.* & hom. 4 de incomprehenſibili Dei natura. *Non poſſe creaturam exquiſitâ ratione Deum cognoſcere cognitione expreſſâ, & integrâ; hoc eſt comprehenſivè.*

3. Quia 1. Petr. 1. 12. *In quem deſiderant proſpicere Angeli:* ſi deſiderant, itaq; non vident: nam deſiderium fertur in rem quæ non habetur. R. cum S. Greg. loco paulò ante citato

Deſi-

Desiderium id excludit fastidium non possessionem juxta illud Eccli. 24. 29. *Qui edunt me adhuc esurient, qui bibunt adhuc sitient.* Fames & sitis sunt cum desiderio juncta, & tamen jam edunt & bibunt: quem locum S. Aug. serm. 49. de tempore, explicat de visione Dei. Imo S. Greg. ibid. ex dicto loco ita argumentatur. Angeli desiderant videre Deum, itaq; vident: alioqui non essent beati. Desiderium enim quod non expletur est poena, inducit enim anxietatem.

CONTROVERSIA II.

De Spiritûs S. processione.

PARS PRIOR.

Spiritus S. non â solo Patre, sed & â Filio procedit.

Est Catholicorum.

1. QUia Joan. 16. 14. ita loquitur Filius de Spiritu S. *Ille me clarificabit quia de meo accipiet.* Cyrillus, Aug. in hũc locum Theophilactus, Euthym. & Chrysost. tom. 3. hom. 3. de Spiritu S. verba, *de meo* exponunt, quòd Spiritus S. accipiat scientiam â Filio, & hoc ipsum patet ex textu Joan. Sed scientia Spiritûs S., est ejus essentia, non est enim in Deo scientia aliud ab eius essentia: itaq; Spiritus S. accipit essentiam â Filio, ac proinde ab illo procedit. Accipiet autem & accipit, idem sunt in Deo. Addit ibid. Christus. *Omnia quæ Pater habet, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Itaq; omnia habet Filius quæ habet Pater præter id quod Filiationi repugnat, scilicet præter Paternitatem, producere autem Spiritum S. non repugnat Filiationi: itaq; Filius habet productionem S. Spiritûs. Hæc etiam verba, *de meo accipiet*, intelligunt de productione Spiritûs S. Athanas. ad Serapionem Nazianz. orat. 49. de Fide. Epiph. in Amorato. Hilar. lib. 8. de Trinit. & ijs probant Spiritum S. procedere & â Filio Chrysost. hom. in Joan. Athanas. orat. 4. in Arianos. Basil. hom. 15. de Fide, & epist. 43. ad Greg. Nissen. Cyrillus Alex. lib. 4. thesauri cap. 2. Damasc. lib. 1.

Fidei cap. 9. & 11. Nazianz. orat. 44. in Pentecoste.

2. Quia Rom. 8. & Gal. 4. Spiritus S. dicitur *Spiritus Filij* sicut & Matth. 10. 20. dicitur *Spiritus Patris*. Sed in divinis una persona non est alterius nisi ab illa processerit. Item Ps 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus.* Oris ejus id est, Spiritu Filij: ut Basil. explicat. Et ad hoc ipsum alludit Cyrill. Alex. contra Nestor. *Siquidem procedit â Patre & Filio, clarum est quòd sit essentiæ divinæ, & essentialiter in illa, & ex illa procedit, sicut spiratio illa quæ ex ore hominum procurrit.*

3. Nulla in divinis persona mittitur ab alia nisi per processionem ab illa: Spiritus verò S. mittitur â Filio Matth. 15. 26. itaq; ab illo procedit. Prima hujus argumenti propositio est Concilij Smyrnensis in hist. tripart. lib. 5. cap. 3. & Hilarij. lib. 8. de Trinit. Hinc Chrysost. in symbolo. *Hic est Spiritus S. â Patre & Filio procedens qui propria dona dividit.*

4. Quia Joan. 15. 26. Christus dicit. *Mittam vobis Spiritum veritatis*; sed Filius est veritas juxta illud: *Ego sum veritas.* Itaq; est Spiritus S. Filij, ac proinde ab illo procedit; & hoc est argumentum S. Cyrilli pro hac materia in epist. quam ex Concil. Alex. scripsit ad Nestorium; quam Concil. Ephesin. tom. 1. cap. 3 Synodus IV. Generalis act. 6. Synodus V. act. ult. Synod. VII. act. 7. approbârunt: in ea sic argumentatur Cyrillus. *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, unde ab illo similiter sicut â Patre procedit.*

5. Quia Spiritum S. procedere â Filio credebat & docebat antiqua Græcorum Ecclesia ut patet ex ejus Patribus. Nam S. Athanas. in symbolo docet Spiritum S. & â Filio procedere; quod Symbolum Greg. Nazianz. orat. de laud. Athanas. testatur esse perfectissimam Fidei confessionem, quam totus oriens & occidens veneratur. S. Cyrill. Alex. lib. 13. Thes. cap 2. ubi explicat verba Christi Joan. 11. 20. *In digito Dei ego ejicio dæmonia.* sic ait: *Quemadmodum brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaq; facit quæ menti viden-*

dentur: *sic Filium Dei ex ipso connaturaliter Patre intelligimus: ex Filio autem naturaliter & essentialiter Spiritum S. sicut ex Patre provenire credimus.* Chrysost. hom. 1. in Symb. Apost. *Hic est Spiritus procedens à Patre & Filio.* Quod sæpiùs ibid. repetit. Basil. lib. 5. contra Eunom. *Sicut Filius ad Patrem habet relationem, ita & Spiritus S. ad Filium.* Similia pluries habet Athanas. epist. ad Serapionem, & orat. de Conc. Nicœno sic loquitur. *Ex virtute Patris & Filij procedit Spiritus S.* S. Greg. Nazianz. orat. 40. de Fide. *Spiritus S. ex essentia est Filij, & ex quod est Filius.* Damasc. lib. 1. cap. 18. de Fide. *Spiritus S. per Filium Patri conjunctus.* Cyrill. lib. 1. de adorat. pag. 9. *Substantialiter ex utroq; nimirum ex Patre per Filium profluit Spiritus.* Idem in Jöel cap. 2. pag. 227. *Proprius Filij est, & in ipso, & ex ipso Spiritus.* lib. 34. Thes. pag. 345. *Spiritus S. procedit ex Patre & Filio.* ibid. pag. 354. *Cùm igitur legem fert Christus, Spiritus ipse, utpotè qui in ipso, & ex ipso naturaliter existit, legem fert.* ibid. pag. 358. *Necesse est fateri Spiritum S. esse ex substantia Filij.* Ex Latinis Patribus Tertull. contra Praxeam cap. 8 postquam comparavisset Patrem radici, Filium frutici seu ramo, Spiritum S. fructui, sic ait. *Tertius in Trinitate Spiritus à Deo & à Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, & tertius à Sole apex ex radio.* S. Aug. lib. de gratia: *Spiritus est Patris & Filij amor.* Idem lib. de Trinit. cap. 20. *Non possumus dicere quòd Spiritus S. à Filio non procedat, siquidem non frustra idem Spiritus Patris & Filij vocatur.* Et lib. 15. de Trinit. cap. 17. *Et de Filio Spiritus S. procedere reperitur.* S. Leo cujus scripta Synodus IV. columnā Fidei appellat epist. 93. cap. 1. *Dicimus alium qui genuit, alium qui genitus est, alium qui de utroq; processit.* S. Ambr. lib. 1. de Spiritu S. cap. 10. *Spiritus S. cùm procedat à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* & lib. de Symbolo cap. 1. *Deus Pater coæternum & omnipotens genuit Verbum, cum quo Spiritum S. produxit.*

6. Quia PP. Græci in hoc sensu explicant Scripturas de

Spiritu S. Epiph. illa Joan. 15. 16. *Qui à Patre procedit.* ita exponit in ancor. n. 67. *Jam verò cùm Christus credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, sive ambobus, ut Christus his verbis asserit: Qui à Patre procedit, & hic de meo accipiet.* & n. 71. *Tu quis es qui contradicas Deo? nam si Filium vocas qui ab ipso, Spiritum S. qui ab ambobus* &c. & superiùs n. 8. *Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Spiritus Filij, non compositione aliquâ quemadmodum in nobis anima & corpus, sed inter Patrem & Filium medius, ex Patre & Filio appellatione tertius.* Et ante n. 7. *Spiritus S. ex eadem substantia Patris & Filij.* & num. 71. *Spiritus S. à Patre & Filio.* S. Athanas. lib. de humana natura pag. 469. ubi combinat illa Joan. 7. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant in eum credentes.* & illa Ps. 35. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ita ait. *Noverat David apud Patrem Filium esse Fontem Spiritûs S.*

PARS POSTERIOR

Spiritus S. non procedit à Filio. Est quorundam Græcorum.

1. QUia Joan. 15. 26. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittã à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Itaq; nõ procedit à Filio. R. imò verò procedit, quia à Filio mittitur, juxta n. 3. partis hîc prioris; dicitur etiam Spiritus Veritatis, itaq; procedit, juxta num. 2. dicitur autem specialiter à Patre procedere, quia, ut docet S. Aug. lib. 3. contra Maximum cap. 14. *Pater est tam Filij quàm Spiritus S. Principium.* R. 2. Illa Joannis propositio est affirmativa, quæ id affirmat quod sonat non autem alia negat; proinde sicut cùm dico. Est in templo Petrus, non licet inferre: Ergo in templo nõ est Paulus. Ita cùm dicitur: Spiritus Sanctus à Patre procedit, non sequitur: Ergo à Filio non procedit.

2. Quia Isai. 11. 2. dicitur de Filio. *Spiritus Domini requiescet super eum.* Itaq; ab illo non procedit. R. Isaiam loqui de humanitate Christi supra quam Spiritus S. in donis suis quie-

quievit. Ita hoc exponit S. Athanaſ. orat. 2. in Arrium cùm dicit: *Ipſemet demiſit Spiritũ S. in quantũ Deus, accepit in quantum homo: ut Luc. 1. 15. dictum eſt: Spiritu S. replebitur ab utero.*

3. Quia S. Andreas Apoſtolus docuit Eccleſiam Achaicam quòd Spiritus S. non procedat â Filio, ſic enim iſta Eccleſia loquitur in vita ejuſdem S. Andreæ. *Pax vobis, & omnibus qui credunt in unum Deum in Trinitate perfectum, verũ Patrem ingenitum, verum Spiritum S. procedentem â Patre & ſupra Filium permanentem, ut manifeſtetur idem eſſe Spiritus in Patre & Filio, & quod unum ſit unigenitus Filius, & hic qui eum gignit, hancq; fidem didicimus â S. Andrea Apoſtolo.* R. Cùm iſta Eccleſia confiteatur eundem eſſe Spiritum Patris & Filij, dicit, licèt obſcuriùs, procedere â Filio, juxta num. 2. partis prioris; explicatiùs autem confitetur procedere â Patre, quia Pater eſt utriuſq; principium. Non pauca autem in primitiva Eccleſia credebantur implicitè, quæ poſtea ſunt explicata. Neq; obſtat, quòd dicat Spiritum S. requieſcere in Filio: nam etiam Filius requieſcit ſive eſt in Patre, juxta illud Joan. 14. 20. *Ego ſum in Patre.* & tamen procedit â Patre; imò Dionyſ. Alex. citatus ab Athanaſio tom. 1. in epiſt. de Sententia Dionyſij contra Arianos pag. 437. dixit. *In Patris Filijq; manibus eſſe Spiritum S., ſed ita ut neq; â mittente, neq; â ferente ſegregetur.* Itaq; etiam in Patre Spiritus S. quieſcit, licèt ab eo procedat: atq; ita quies nihil officit proceſſioni.

4. Quia Concilia non docuerunt Spiritum S. procedere â Filio. Nam 1. Nicænum id non docuit. R. Neq; docuit procedere â Patre, quia rem iſtam non tractavit. 2. Conſtantinopolitanum primum docuit Spiritum S. procedere â Patre. R. Quia egit contra Macedonianos qui â ſolo Filio volebant Spiritum S. procedere idq; ut creaturam. Inde Concilium in eo eſt totum ut oſtendat procedere â Patre, non laborat autem de proceſſione â Filio, de quo tunc nullum erat dubium. 3. Conc. Epheſinum tom. 2. cap. 33. &

Chalcedonense art. 5. in 2. definition. Fides prohibet ne quis aliam fidem profiteatur, quàm quæ proposita â Conc. Nicæno & Constantinop. primo. Ibi autem nihil de processione Spiritûs S. â Filio. R. Prohibuit aliam fidem, sed nō prohibuit ut id credamus explicitè quod illa Concilia crediderunt implicitè. Ita licèt Nicænum non posuit explicitè quod Spiritus S. procedat â Patre; posuit id Constantinopolitanum, & postea Chalcedonense paris authoritatis cum Ephesino novum symbolum edidit, in quo non pauca posuit explicitè, quæ in prioribus tantùm implicitè proponebantur.

5. Quia illa verba. *Qui â Patre Filioq; procedit*, symbolo Nicæno quod in Missa legunt Latini inseruerunt, cùm tamen illa non sint in eo symbolo. Imò Leo III. Papa postquam symbolum Nicænum sine illo additamento in tabulis argenteis descriptum proposuisset, vetuit sub anathemate ne quidquam illi apponatur. R. Illas voces appositas ab eo qui potestatem habuit illas apponendi, neq; anathemate comprehendebatur, scilicet â Papa, idq; in Concilio Romano sub Damaso habito cum consensu Græcorum sub idem tempus Constantinopoli contra Macedonium & Eunomium celebrantium Concilium, qui ad Papam illa ipsa verba in confessione suæ fidei miserunt, uti acta utriusq; Concilij testantur, & Nicephorus Græcus lib. 9. hist. tripart. cap. 16. Et cùm postea aliqui Græci verba supra memorata è symbolo ejecissent: Concil. VII. Nicænum Oecumenicū illa restituit. Receperunt autem cum illis verbis additis prædictum symbolum Concil. IV. Chalcedonense Generale: Quintum & Sextum Constantinop. Non est autem novum ut Concilia posteriora addant aliquid symbolo priorum: ita addidit Nicænum Apostolico Nicæno Constantinopolitanum primum.

6. Quia S. Athanas. tom. 2. quæst. 4. dicit. *Deus & Pater ipse solus est causa utriusq;* (id est principium) *& ingenitus Spiritus â Patre solo causatus & procedens.* R. 1. Locum hunc esse

esse suppositìtium, quia ubiq; aliter docet Athan. sed ex abundanti demus esse Athanasij, tum dicendum loqui eum de principio non principiato quale solus est Pater, & sic à contradictione liberabitur Athanasius.

7. Quia ex Græcis Patribus colligitur quòd Spiritus S. nō procedat à Filio. Nam Dionys. de div. nomin. cap. 2. Patrem vocat fontem totius Deitatis; sed si Spiritus S. procederet à Filio, Pater non esset fons totius Deitatis. Basil. epist. 45. *Nullam secundùm propriam notionem communicationem habet Filius cum Patre.* Sed si Filius spiraret Spiritum S. haberet communem cum Patre notionem Spiratoris. Nazianz. orat. 24. ad Episcopos Ægypti. *Omnia quæ Pater habet, habet Filius exceptâ causalitate.* Damasc. lib. 1. Fidei cap. 11. negat Spiritum S. ex Filio esse. R. Dionysium loqui de fonte qui non ab alio oriatur. Filius est Fons, sed à Patre ortus, & ut Epiph. hær. 69. loquitur, est Fons de fonte. Basilius agit non de quavis notione, sed de illa, quæ sit proprietas, qualis non est spiratio; nam ibid. dicit: *Spiritum S. esse à Patre per Filium.* Nazianzenus dicit de causalitate sive principiatione quæ est Paternitas; sic enim habet textus si citetur integrè. *Omnia quæ habet Pater, habet Filius præter causalitatem, id est Paternitatem.* Et jam est locus pro Catholicis. Damasc. docet: tutiùs esse dicere Spiritum S. esse per Filium quàm ex Filio; quia existimabat cum quibusdam Græcis, quòd, si diceret procedere Spiritum S. à Patre & Filio, se constituturum hoc modo duo principia Spiritûs S. Præterea Damasc. obijt ante VII. Synodum in qua hæc veritas magis fuit explicata. Nihilominùs in vita Barlaam & Josaphat quam scripsit posteriùs, profitetur, quòd & à Filio procedat.

8. Quia Theophilactus ita argumentatur: Si Spiritus S. procederet à Patre & Filio, procederet à duobus principijs, quod est absurdum. Resp. Nullam in hoc negotio esse Theophilacti authoritatem, qui in hoc puncto erravit, & cùm

schi-

schismati participaret, Latinos insectatus. Hinc etiam dixit in 3. Ioan. *Sanè Latini malè sunt exponentes, & minùs rectè intelligentes, dicunt quòd Spiritus & â Filio procedat*, ubi locutus contra Concilia, quæ vide hìc n. 5. Resp. 2. Id non sequi: quod Theophilactus putat; nam Pater & Filius unum sunt principium Spiritûs S., quia in utroq; una & eadem est voluntas. Ita Greg. Nyssen. orat. 1. *Una in utroquè forma & principium*. Sicut ergo tres Personæ non possunt dici tres Dij, quia in omnibus una Deitas, ita neq; Pater & Filius duo principia Spiritûs S. quia in utroq; eadem voluntas. Cum Nysseno consonat Athanas. orat. 5. contra Arianos. Gregor. Nazian. serm. in Concil. Constantinop. Adduci possunt contra processionem Spiritùs S. â Filio, Theodoret. Euthymius, & quidam alij: sed illi vel fuerunt in hac opinione ante declarationem hujus articuli, vel fautores hæreseos.

9. Quia Damasc. lib. 1. de Fide cap. 11. Cyrill. lib. 11. in Joan. cap. 25. & alij Græci docēt Spiritū S. procedere per Filiū, itaq; non â Filio. R. Idē esse procedere *â* & *per* uti professi sūt Gennadius Patriarcha Constantinop. & Bessarion in Conc. Florentino: particula enim *δια* significat tam *per* quàm *ex*: & in scriptura *per* sumitur pro *a* vel *ab* ita 1. Cor. 11. *Fidelis est Deus per quem vocati sumus*, id est, *â quo*. Gal. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, nec per homines, sed per Iesum Christum & Deum Patrem*, id est, â Christo, â Deo Patre. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. id est, ab ipso. Utuntur autem Græci illa particulâ *per*, cùm de Filio loquuntur: quia *ab*, Patri tanquam principio non principiato appropriant. Procedit autem Spiritus æquè immediatè â Filio atq; Patre, quia in utroq; eadem voluntas, æquè necessaria spiratio.

10. Filius per Spiritum S. operatur, ergò hic est ejus instrumentum: Ergò ab illo non procedit. Resp. Ut manus operatur per digitum, qui ab illa procedit. Ita Cyril. Alex. apud Corderum in Catena in Ioan. 11. 20. *Quemadmodùm digitus manui adhæret, non tanquam diversus ab illa, sed ut illi naturaliter insitus, sic & Spiritus S. tametsi & ex Deo Patre procedat*

cedat, consubstantialiter connexus est cum Filio, & per eum Filius omnia operatur. R. 2. Nego id sequi quod infertur. Quia etiam Pater per Verbum fecit omnia, tamen Verbum â Patre procedit. R. 3. Ex hoc argumento sequi Spiritum S. non esse Deum, sed Dei instrumentum.

CONTROVERSIA III.

De Concursu Dei ad peccatum.

PARS PRIOR

DEUS non est author & causa peccati, proinde neque ab æterno decrevit peccata, neq; ad illa impellit, aut cogit. Est Catholicorum.

1. QUia Exod. 23. 7. prohibet peccata. *Mendacium fugies insontem & justum non occides, quia aversor impium.* Exod. 20. *Non occides, non furtum facies.* &c.

2. Quia Deus peccata odit, aversatur, Prov. 11. 24. *Abominabile est Domino cor pravum.* Prov. 15. 9. *Abominatio est Domino via impij.* 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ,* Sap. 14. 9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Abacuc 1. 13. *Mundi sunt oculi tui* Domine, *ne videant malum & ad iniquitatem respicere non potes.* scilicet, ut svadeat illa, approbet.

3. Quia si Deus ad peccata impelleret, esset immisericors & injustus, contra illud Ps. 24. 10. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas,* id est justitia. Atqui ut ait S. Aug. 3. Conf. 2. *Malevola prorsus benevolentia est, si quis miserum velit esse, ut ei misereatur.* Fulgent. lib. 1. ad Monymum cap. 22. *Justitia justa non erit, si puniendum reum, non invenisse sed fecisse dicatur quin potiùs major erit injustitia, si lapso Deus tribuat pœnã, quem stantem prædestinâsse dicitur ad ruinam.* Prosper lib. ad object. Gallorum cap. 12. *si Deus hominem sibi obedientem â veritate deturbat, & bene currentem cadere facit. Ergo pro bonis mala retribuit, & injustè punit, ad quod ut fiat impellit. Quid tam perversum, quid tam insanum dici, aut excogitari potest?* Hinc Euseb. de præp. Evang. cap. 5. Impius profectò judicabitur,

 imò

mò & pessimus omnium, qui â Creatore universi alios ad adulteria, alios ad rapinas &c. impelli arbitratur.

4. Quia Scriptura clarè negat Deum esse peccati authorem. Eccl. 15. 11. *Non dicas, ille* (Deus) *me implantavit, nō enim necessarij sunt illi homines impij.* &c. *nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi:* hoc est, spatium, eâ intentione, ut in eo peccet. Jacob. 1. 13. *Nemo, cùm tentatur, dicat, quòd â Deo tentatur. Deus enim intentator malorum &c.*

PARS POSTERIOR.

Deus est causa & author peccati, ad illud impellit, cogit. Est Calvinistarum.

1. QUia sunt quidam textus scripturæ, in quibus dici videtur, quòd Deus creet impios, ut in eorum pœnis suam manifestet justitiam. Nam Exod. 9. 16. de Pharaone legitur. *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* S. Paul[9] Rom. 9. 17. hunc locum ita legit. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Prov. 18. 4. *Omnia propter semetipsum operatur Dominus, impium quoq; ad diem malum.* Rom. 9. 21. *An non habet potestatem figulus facere, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* R. Deus non creat homines ut peccent, sed quos prævidit suâ malitiâ peccaturos, creat ad manifestationem justititiæ, & potentiæ suæ: non creat ut sint impij, sed creat quos vidit fore impios. Ita S. Aug. pluribus locis, sed præcipuè epist. 106. ad Paulinum. *Deus non fecit peccatum, sed fecit naturas per se bonas, quibus tamen ex arbitrio voluntatis suæ futura essent vitia peccatorū, & in multis talia, quibus reddenda esset pœna æterna.* & epist. 105. ad Sixtum. *Deus non creat homines ad malitiā, sed malis utitur ad ostendendā iram, & demonstrandam potentiam suam, quâ bene utitur etiam malis.* Et hoc modo locus Exodi accipi debet, sicut & Proverb. Locus S. Pauli non dicit, quòd Deus faciat quosdam ut sint mali, sed tales facit quales natura peccato primi hominis vitiata fieri

ri poſtulat, neq; dare illis gratiam, quia illam natura eſt demerita, licèt aliàs det ex ſua miſericordia; ita exponit S. Aug. epiſt. cit. ad Sixtum.

2. Quia ſunt aliqui textus ſcripturæ in quibus dici videtur quòd Deus efficiat mala opera hominum. Ita 2. Reg. 12. ad Davidem Deus loquitur. *Tu feciſti occultè, ego autem in conſpectu ſolis hujus faciam verbum iſtud:* ſcilicet, quòd Filius tuus Abſolon dormiet cum uxoribus tuis. Epheſ. 1. 11. *Deus qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Reſp. In priori textu *Ego faciam* ſignificat, *ego permittam* juxta regulam Damaſc. lib. 4. de fide cap. 40. *Scire illud attinet, in ſcripturæ more poſitum eſſe, ut Dei permiſſionem actionem ejus appellet.* Idem notat Proſper ad capitula Gallorum cap. 11. & 12. & patet ex Job. cap. 1. 12. ubi ait Dominus. *Ecce univerſa quæ habet in manu tua ſunt;* quod eſt permittere, & tamen cap. 2. 3. Dominus loquitur dœmoni: *Tu me commoviſti, ut affligerem eum.* Locus S. Pauli non facit ad propoſitum; quia ibi ſolùm dicit, Deum non temerè operari, quæ operatur, ſed ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, id eſt ſapienter; ita Hieron. explicat in comment. illius epiſtolæ.

3. Quia peccatum ſæpè eſt pœna peccati, ut ex ſcripturis deducit S. Aug. lib. 5. contra Julianũ cap. 3. Atqui Deꝰ infligit pœnas pro peccatis, ergo & peccata infligit. Reſp. Infligit peccatum non poſitivè, ſed negando gratiam efficacem cum qua illud vitaretur infallibiliter: dat tamen ſemper gratiam ſufficientem, cum qua homo vitare poſſit peccatum ſi velit, quanquam ob ſuam malitiam infallibiliter nõ ſit vitaturus.

4. Deus aliqua fecit ut ſint ad peccatum provocatio: itaq; ad peccatum ſollicitat. Nam Sap. 14. 11. dicitur. *Creaturæ in odium Dei factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum.* & de Chriſto dicitur Luc. 2. 24. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam multorum.* Reſp. ad locum priorem. Creaturas non eſſe factas ut tentent, ſed factas eſſe, quas prævidit Deus tentaturas. Unde additur: *& in muſcipulam inſipientium*, qui ſci-

cet per insipientiam utuntur creaturis ad aliud quàm ad id, ad quod factæ sunt. Eodem modo & secundus textus accipi debet. Sic Theodoret. quæst. 12. in Exod. postquam locos prædictos adduxit, & præterea illud Joan. 9. 39, *Ego in judicium veni, ut qui non vident videant, & qui vident cœci fiant.* Monet, non fuisse scopum Dei Christum mittentis, ut videntes cœci fierent, & stantes ruerent: sed solùm indicâsse id quod futurum erat. Scriptura verò frequenter ponit *ut fiat* loco *futurum est*. Sicut de Passione Christi dicit. Hoc factum est, ut implerentur scripturæ, cùm non sit ideo factum; nam scriptura prædixit, quia etsi illa non prædixisset, futurum erat; & sensus est. Hoc factum est, & impletæ sunt Scripturæ.

5. Quia scripturâ teste videtur Deus aliquos impulisse ad peccandum. Nam 2. Reg. 16. dicitur Deus præcepisse Semei ut malediceret Davidi. Semei autem ut est Eccl. 15. impiè fecit maledicendo, & promeruit justam pœnam quæ illi inflicta 3. Reg. 2. R. David cognovit justo Dei judicio fuisse permissum ut malediceret Simei, quod respectu sui David accepit pro præcepto non respectu Simei. Ita S. Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 20. qui pro eo, quod nos legim⁹ *præcepit*, legit, *dixit*: & explicat. *Nec tacita causa est, cur ei Deus eo modo dixerit maledicere Davidi, hoc est, cor ejus malũ miserit vel dimiserit*. In Scriptura enim *præcipere* aliquando sumitur pro *permittere*, ut Marci 4. Cùm dixissent Pharisæi: Moyses permisit libellum repudij scribere, & dimittere; mox respondit Dominus: *ad duritiem cordis vestri scripsit vobis præceptum istud*: quod tamen Matth. 19. ipsemet appellat permissionem, dicens. *Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis.* Similis explicatio alijs similibus scripturæ locis adhibenda. Alter locus scripturæ est 2. Reg. 24. 1. *Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitq̃ David in eis dicentem. Vide, numera Israël & Judam* &c., quod fuit peccatum. Resp. *Commovit* sumi debere pro *permisit* id enim patet ex 1. Paralip. 21. ubi ita ponitur. *Consurrexit autem Sathan contra Israël, & incita-*

vit

vit David ut numeraret Israël. Diabolus igitur incitavit Davidem, quia tamen id Deus permisit, dicitur commovisse eo modo ut superiùs de Job diximus. Tertius locus Ps. 104. 25. *Convertit cor eorum* Ægyptiorum, *ut odirent populum ejus*. Resp. id Deus fecit non aliter quàm benefaciendo populo suo, ex quo magis sponte Ægyptij ruebant in odium populi ita exponit Aug. & Theoderet. in Psalmum istum. Quintus locus Ps. 43. *Declinâsti semitas nostras à vijs tuis.* Resp. ibi subintelligi juxta phrasim Hebr. particulas, *non*, *non*, ut sit sensus, *nõ retrocessit cor nostrũ, & non declinâsti semitas nostras à vijs tuis.* & ita hunc locum ex Hebr. transfert Hieron. Inter blasphemias verò Theodoreti refertur in V. Synodo Generali quòd dixerit disposuisse Deum, ut homines peccârunt: ex quo patet in sensu Catholicorum non Calvinistarum locos istos & similes Scripturæ acceptos fuisse ab ejus temporis Ecclesia.

6. Quia S. Aug. lib. 5. contra Julianum postquam retulit sententiam Juliani his verbis. *Quid est quod dicis? cùm desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam impulsi.* Sic ipse opponit. *Quasi non simul hæc duo posuerit Apostolus idem & patientiam & potentiam.* Itaq; per potentiam Deus impellit in peccata: & infra. Cùm dicitur Deus quosdam tradere in passiones ignominiæ; addit Aug. *Facit hoc miris & ineffabilib⁹ modis, quos novit justa judicia sua, non solùm in corporibus hominum, sed etiam in cordibus ipsis operari.* Et lib. de gratia & arbitrio cap. 20. *Deus voluntatem proprio suo vitio malam in hoc peccatum judicio justo suo inclinavit.* & cap. 21. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunq; voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* Resp. loco primo reprehendit Aug. Julianum, quia negabat unum peccatum posse esse pœnam alterius, quod existimat se satis probavisse ex eo, quia Deus tradit malis desiderijs homines, eos deserendo. Deserere, non esse destituere auxilio, sed tolerare ut maneat in peccato: contra asserebat Aug. quòd deserere sit destituere auxilio efficaci, & hoc modo tradere concu-

piſcentijs, & hoc ſpectat ad Dei potentiam, quia ſæpè in tali caſu circa hominem, aut in homine Deus aliquid operatur, quod licèt ſit ex ſe bonum, tamen ob malitiam hominis fore homini in ruinam, & diſtingvit Dei potentiam Aug. â patientia quam non diſtingvebat Julianus; nunquam autem dixit Aug. hominem â Deo impelli in peccata; imò tr. 53. in Joan. de Judæis dicit. *Fecerunt peccatum quod eos non cõpulit facere cui peccatum non placet, ſed facturos prævidit quem nullum latet.* Ad illud ex lib. de gratia. Reſp. ibi ſolùm docet Aug. quòd Deus operetur motus in cordibus hominum, vel bonos, directè illos intendendo, vel malos, non intendendo ſed permittendo, & non impediendo.

CONTROVERSIA. IV.

De Adventu Meſſiæ.

PARS PRIOR

Jam venit Meſſias. Eſt Chriſtianorum.

1. QUia impleta eſt jam prophetia Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio Gentium.* Sed jam pridem ablatum eſt ſceptrum & Dux de Juda, ergo jam venit Meſſias.

2. Quia tempus jam effluxit, quo venturus prædicebatur Meſſias: nam ubi Daniel. 9. Gabriel Angelus Danieli prædixit in hunc modum tempus quo erat venturus. *Animadverte ſermonem, & intellige viſionem, ſeptuaginta hebdomadæ abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam, ut conſũmetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Hoc neq; de Cyro neq; de Agrippa intelligi poteſt ut volunt Judæi, quia neuter illorum fuit Sanctus Sanctorum, neuter delevit peccatum, aut juſtitiam ſempiternam adduxit, neutri congruunt hebdomadæ. Hebdomadæ autem illæ faciunt annos 490.; per hebdomadam enim intelliguntur anni ſeptem

ut

ut patet ex Gen. 39. *Implevit hebdomadam Jacob serviendo.* Et Levit. 25. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum.*

3. Quia signa adventûs Messiæ jam præteriêrunt. Malach. 2. quòd cessare debuit Sacrificium Judæorum, quod offerri non poterat nisi in Jerusalem. 2. Quòd Sacerdotium auferri debuit, de quo Ps. 35.

PARS POSTERIOR.

Nondum venit Messias. est Judæorum.

1. QUia non sunt impleta signa adventûs ejus. Isai. *Accubabit Leo cum Agno.* &c. Resp. In scriptura per has bestias intelligi homines juxta Gen. 49. *Isachar asinus fortis, Beniamin lupus rapax.* Addo: si nondũ venit Messias, templũ Salomonis non est dirutum. Quia juxta Malach. 3. 1. & Aggæi 2. 7. Statim ac nascetur Messias, veniet ad templum, quod non est aliud apud Judæos nisi Salomonis.

CONTROVERSIA V.

Messias est Christus. est Christianorum.

1. QUia impletum in Christo quod Moyses prædixit populo Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de Fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Christus verò de gente illa, similis Moysi quia legislator.

2. Quia descriptio Messiæ facta â Prophetis congruit Christo. Natus est in Bethleem quod prædixit Micheas cap. 5. Habuit præcursorem quod Malach. 3. Natus ex Virgine quod Isai. 7. Super asinam ingressus Jerosolymam quod Zach. 9. Mores ejus fuerunt quales Isai. 61. Pauper fuit & venditus triginta argenteis, quod Zach. 11. Morte turpissimâ mortuus, quod Sap. 9. Crucifix⁹, quod Ps. 24. Felle & aceto potatus, quod Ps. 68. Super vestem ejus missæ sortes, quod Ps. 21. Mortuus est quia se Filium Dei dixit, quod Sap. 2. Resurrexit â mortuis, quod Ps. 56. *Exurgam diluculò.* Resurrexit tertio die, quod Oseæ 6. *Vivificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos.* Legem aliam tulit, quod Baruch 2. *Statuam illis testamentum alterum sempiternum.* Negatus â Judæis

dæis, quod Jer. 5. *Negaverunt Dominum & dixerunt non est ipse.* Docuit Gentes, quod Isai. 55. *Ecce testem populi dedi eum, & præceptorem Gentibus.* Exterminata sunt ejus adventu idola, quod Zach. 13. *Erit in illa die, dicit Dominus, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra.* Post ejus mortem vastata Jerusalem, quod Dan. 9. *Post hebdomadas septem, & hebdomadas 62. occidetur Christus, & non erit populus qui eum negaturus est, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Sepulchrum ejus est gloriosum, quod Isai. 11. Ascendit in cœlos, quod Ps. 67. Misit de cœlo Spiritum S. quod Joël 2. Quæ omnia jam contigisse fatetur ipse Josephus Judæus hist. lib. 18. cap. 8.

PARS POSTERIOR

Christus non est Messias. est Judæorum.

1. QUia Messias nasciturus erat de tribu Juda, at verò Christus est ex tribu Levi, fuit enim cognatus Elisabethæ, quæ fuit de filiabus Aaron. Resp. Christum fuisse ex tribu Juda; nam Joachim Pater B. Virginis fuit ex tribu Juda, accepit autem Annam ex tribu Levi in uxorem quæ erat cognata Elisabethæ, & ratione illius, non ratione aliâ cognatus fuit Christus Elisabethæ.

CONTROVERSIA VI.

De Messiæ Natura.

PARS PRIOR

Messias debuit esse Homo-Deus. est Christianorum.

1. QUia de illo dicitur Isai. 9. *Parvulus est natus nobis, &c. & vocabitur Deus fortis. Pater futuri sæculi. Princeps pacis, solium ejus erit sempiternum.* Judæi hæc volunt intelligi de Ezechia, sed nihil horum congruit Ezechiæ: nam neq; ille dici potest Deus fortis, erat enim homo: neq; Pater futuri sæculi, quomodo enim? nec Princeps pacis, quia contra Assyrios bella gessit, nec solium ejus sempiternum, quia paulò

lò poſt â Babilonijs vaſtatum, præterea addit Chaldaica verſio quòd iſte ab Iſaia deſcriptus eſſet Meſſias.

2. Quia Iſai. 36. ubi ponuntur ſigna per quæ cognoſcendus eſſet Meſſias, additur. *Deus ipſe veniet & ſalvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum. &c.*

3. Quia Baruch 3. *Deus Iſraël inter homines viſus eſt, & cum hominibus converſatus*, & additur, *poſt hæc in terra viſus eſt.*

4. Quia Zach. 2. Dominus exercituum dicit, ſe miſſum â Domino exercituum ad ſalvandas Gentes, & congregandam Eccleſiam ex Gentibus & Judæis.

5. Quia Jerem. 23. dicit Deus. *Suſcitabo David germen juſtum & regnabit &c. & vocabunt eum Dominus juſtus noſter.* In Hebr. loco Dominus eſt Jehova, quod eſt nomen Dei.

6. Quia Pſ. 2. Meſſias de ſe loquitur. *Ego autem conſtitutus ſum ab eo Rex ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Sed qualis Rex? *prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* & in Pſ. 44. Deus alloquitur Meſſiam. *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis virga regni tui, dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea te unxit Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*

7. Quia Baruch. 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum, hic adinvenit omnem viam juſtitiæ & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſraël puero ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus.* Certè hìc de Meſſia ſermo, quem tamen Propheta agnoſcit Deũ noſtrum. Uti & Oſeas cùm dicit cap. 1. *Hæc dicit Dominus, ſalvabo illos in Domino Deo ſuo.* Itẽ Mich. 5. *Et tu Betbleem terra Juda, &c. ex te egredietur qui ſit dominator in Iſraël, egreſſus ejus ab initio â diebus æternitatis ejus.* Talis autem egreſſus non eſt niſi ſolius Dei.

PARS POSTERIOR

Meſſias non debuit eſſe Deus. Eſt Judæorum.

QUia dictum eſt. *Audi Iſraël &c. non erit in te Deus recens.* Si verò Meſſias eſſet Deus, eſſet in Iſràël Deus recens. Reſp. Meſſiam non eſſe recentem Deum, ſed recenter factũ

 ho-

hominem; ſicuti cùm nobilis ſenex fit recens miles, non fit recens per hoc nobilis.

CONTROVERSIA VII.

De Spiritûs S. Deitate.

PARS PRIOR

Spiritus S. eſt Deus. Eſt Chriſtianorum.

1. QUia Deus locutus eſt per ora prophetarum, unde verba eorum dicuntur â ſcriptura eſſe verba Dei. Sed 2. Reg. 23. 2. dicit David. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per lingvam meam.* Itaq; Spiritus S. eſt Deus.

PARS POSTERIOR

Spiritus S. non eſt Deus. Eſt Judæorum.

QUia ſi Pater eſt Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus, erunt tres Dij. Reſp. Nego id ſequi, quia in omnibus eſt eadem & una natura Divina, ſicut ſi homo idem â Deo reproductus in tribus locis poneretur, eſſet unus homo, & ſi tres perſonalitates diſtractas haberet, eſſent tres perſonæ.

CONTROVERSIA VIII.

De Chriſti Divinitate.

PARS PRIOR

Chriſtus eſt Deus. Eſt Chriſtianorum.

1. QUia Rom. 9 dicitur de Chriſto. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.*

2. Quia 1. Joann. 5. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Filius, & Spiritus S., & hi tres unum ſunt.* Si ergo Pater eſt Deus, certè & Filius, & Spiritus S., quia hi tres unum ſunt.

3. Quia qui in uno loco ſcripturæ dicitur Deus in altero dicitur Chriſtus. Exod. 12. dicitur verus Deus eduxiſſe de Ægypto populum Iſraël. S. Judas in ſua Canonica dicit id

Chri-

Christum fecisse. Et rursus idem dicit Eundem Jesum *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum dominatum, in judicium magni Dei viventis vinculis æternis sub caligine reservâsse.* At 2. Petr. 2. dicitur hoc fecisse Deo. Num. 21. Populus Hebræus murmuravit contra verum Deum, & ideo per ignitos serpentes punitus est. At 1. Cor. 10. *Neq; tentemus Christũ sicut quidam eum tentaverunt & à serpentibus periêrunt.* Ps. 67. de vero Deo dicitur. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* At S. Paulus Ephes. 4. asserit hoc dictum esse de Christo. Isaiæ 6. dicit de se Propheta. *Vidi Dominum sedentem super solium &c.* At verò Joan. 12. dicitur is fuisse Christus cujus gloriam vidit Isaias, & de ea locutus est. Rursus Isai. 40. Præcursor dicitur parare viam Deo: hoc autem Matth. 3. & Joan. 1. exponitur de Christo cui viam præparavit Joannes. Isai. 45. dicit de se Deus. *Mihi curvabitur omne genu, & sonabit omnis lingva:* vel ut S. Paulus eundem locum ponit Rom. 14. *Omnis lingva confitebitur Deo.* Idem autem Paulus ibid. applicat hoc Christo dicens istud futurum quando stabimus omnes ante tribunal Christi. Zach. 12. dicit Deus de se. *Et aspicient ad me quem confixerunt.* At Joan. 19. dicitur hanc Prophetiam impletam esse in Chisto cùm ejus latus perforatum est.

4. Matth 16. dum interrogat Christus quem illum homines esse dicerent: respondit Petrus. *Tu es Christus Filius Dei vivi:* per quod non voluit dicere quòd Christus sit Filius Dei adoptivus: nam etiam Elias & Jeremias hoc modo fuerunt Filij; & hanc confessionem Petri Christus approbavit verbis illis *Beatus es Simon Bariona quia caro & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Imò ipse Christus Marci 14. dum â summo Sacerdote interrogaretur, an verè esset Filius Dei, neq; erat sermo de adoptione, affirmavit, dicens. *Ego sum.*

5. Quia Joan. 1. dicitur, *Deus erat Verbum*, & de hoc ipso dicitur inferiùs, *Verbum caro factum est.*

6. Quia Joan. 8. interrogantibus Christum Judæis, *Tu,*

quis es? respondit, *Principium, & loquor vobis*, & paulò post adjecit. *Antequam fieret Abraham, ego sum:* certè juxta humanitatem non fuit ante Abrahamum, nec si fuisset creatura, esset *Principium.*

7. Quia Joan. 9. postquam Cristus interrogavisset cæcum illuminatum, *Tu credis in Filium Dei?* & ille respondisset, *Et quis est Domine?* dixit illi Christus. *Et vidisti eum, & qui tecum loquitur ipse est.* Hoc idem confessus Thomas Joan. 20. dicens. *Dominus meus & Deus meus.*

8. Quia Christus acquisivit Ecclesiam sangvine suo. At verò act. 20. dicitur. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sangvine suo.*

9. Quia S. Paulus prædicat Christum esse Deum. Nam Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem qui est benedictus in sæcula.* Gal. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per homines, sed per Dominum nostrum JESUM Christum.* Ubi Paulus secernit Christum à purè hominibus: de quo loquitur Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Tit. 2. *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei.* &c. *Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei honorent in omnibus.* Et paulò infra. *Expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris JESU Christi.* Heb. toto 1. & 2. cap. hanc ipsam veritatem ex professo demonstrat.

10. Quia 1. Joan. 5. *Ut simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus.* 1. Joan. 8. 16. *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Itaq; Christus est Deus qui animam suam pro nobis posuit. Deniq; Paulus 1. Cor. 8. Chistum confitetur Deum. *Nobis unus Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus JESUS Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* De particulis *per, ex,* vide quæ dicen. controv. 2. parte post n. 9.

PARS POSTERIOR

Christus non est Deus. Est Arianorum.

1. Quia

1. Quia Joan. 14. dicit Christus. *Pater major me est.* Atqui non potest esse Deus major & minor. Resp. Etiam Joan. 10. Christus dixit. *Ego & Pater unum sumus*: quocirca locus prior, & similes quos adducunt Ariani de humanitate Christi intelligendus, juxta quam sine dubio est minor Patre. *Sed hic non moror, cùm Ariani è Polonia sint proscripti.*

CONTROVERSIA IX.

De Christi descensu ad Inferos secudùm animam

PARS PRIOR

Christus verè descendit ad Inferos. Est Catholicorum.

1. Quia ut S. Aug. argumentatur epist. 99. *Dominum venisse in infernum satis constat, neq; enim contradici potest, vel Prophetiæ quæ dixit Ps. 15. 10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno; quod ne aliter quisquam sapere auderet, in Act. Apostolorum 2. 24. Petrus exponit illis verbis, quibus illum asserit solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negaverit apud inferos fuisse Christum? &c. Quamobrem teneamus firmissimè quod fides habet fundatissimâ authoritate firmata, quòd apud inferos fuit.*

PARS POSTERIOR

Christus non descendit ad inferos. Est Calvinistarum. Textus nullus scripturæ pro ea affertur.

CAPUT II. DE VERBO SCRIPTO ET TRADITO.

CONTROVERSIA X.

De Libris S. Scripturæ.

PARS PRIOR

Omnes libri quos recepit Ecclesia Catholica sunt recipiendi. Est Catholicorum.

1. Quia Innocentius Papa ante Augustini tempora recepit eos in Canonem librorum sacrorum, & post eum

Papa Gelaſius: ad Eccleſiam verò ſpectat ea quæ ſunt Fidei declarare ſi non ſint clarè poſita in Scriptura, & hic mos fuit ſemper in Eccleſia; ita ab Apoſtolis ſtatutum eſt de abolenda circumciſione. A Victore Papa an. 193. de Paſchate non celebrando cum Judæis. De abſolvendis ijs qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, â Conc. Romano an. 255. De tribus perſonis, â Conc. Alexandrino an. 319. Quòd Chriſtus non ſolùm ſit homo, â Concil. Antiocheno an. 266. Quòd Chriſtus ſit Verbum Patris â Conc. Nicæno an. 325 Quòd una ſit Perſona in Chriſto, â Conc. Epheſino an 434. Quòd duæ ſint naturæ in Chriſto, â Côc. Chalcedon. an. 454. Quòd in Chriſto non ſit unica voluntas, â III. Conc. Conſtantinop. an. 679. Quòd Spiritus S. ſit Deus, â I. Conc. Conſtantinop. an. 383. Quòd Baptiſmus repeti non poſſit, â Conc. Romano an. 313. Quòd homo viribus naturæ non poſſit mereri præmium ſupernaturale, â Conc. Cartaginien. an. 416. Quòd parvuli naſcantur in originali peccato, â Conc. Milevit. &c. &c. quæ cùm pleraq; aut omnia recipiant Diſſidentes, non eſt cur de libris ſacris dubitent.

PARS POSTERIOR

Non omnes libri quos recipit Eccleſia Catholica ſunt recipiendi. Eſt variorum Diſſidentium.

1. QUia Eſdras confecit canonem ſacrorum librorum, & tamen quorundam non meminit. Reſp. Non minoris eſſe authoritatis Innocentium aut Gelaſium, ſatis ergo eſt quòd iſti illos libros in canonem receperint.

2. Quia aliqui PP. quoſdam libros rejiciunt. Reſp. Illos eſſe pauciſſimos neq; ſibi in rejiciendis cohærere, idq; feciſſe antequam Canon librorum ab Eccleſia ſit confectus.

CONTROVERSIA XI.

De claritate S. Scripturæ.

PARS PRIOR

Sacra Scriptura non ubiq; eſt clara Eſt Catholicorum.

1. QUia in act. 8. Non poterat Eunuchus intelligere Isaiam.

2. Quia de epistolis S. Pauli S. Petrus dicit 1. Petr. 3. *Sicut & charissimus noster Frater Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit, sicut & in omnibus epistolis loquens eis, in quibus sunt quædã difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant.*

3. Luc. 24. 45. Christus aperuit oculos discicupulis, ut intelligerent scripturas, insuper ipsemet explicuit illis quid in Moyse & Prophetis de se scriptum esset.

4. Quia David petebat â Deo ut daret illi gratiã intelligẽdi scripturas. Ps. 118. 18. *Revela oculos meos & considerabo mirabilia tua.* ibid. 34. *Da mihi intellectum & scrutabor mandata tua.* Unde S. Ambr. in Luc. 2. *Verendum est, ne lector ignarus magis vulnus ex impudentia, quàm salutẽ ex lectione Scripturarum sentiat.* Quam etiam ob causam tantopere PP. in conciliandis Evangelijs laborârunt.

5. Quia 2. Cor, 4. *Opertum est Evangelium ijs qui pereunt.* & 1. ad Tim. 1. *Quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.*

PARS POSTERIOR

Scriptura S. ubiq; est clara. Est variorum Dissidentium.

1. QUia Joan. 10. 27. dixit Christus. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Ergo intelligunt, ergo illis clara scriptura. Resp. Christum ibi loqui non de scriptura, sed de sua prædicatione quæ non est scripta, & reprehendere Pharisæos qui illam non audiebant, quia non erant oves Christi; alioqui si omnes intelligerent scripturam, omnes eam interpretarentur, & tamen 1. Cor. 12. 13. dictum. *Nunquid omnes interpretantur?*

2. Quia Deut. 30 11. *Præceptum quod ego tibi præcipio hodie non est supra te, nec procul positum.* Resp. ibi Deum loqui non de tota scriptura, sed solùm de legibus cæremonialibus, quas nec dicit esse claras, sed non impossibiles observatu, sive

illæ

illæ interim à quovis per se intelligantur, sive proponantur ab his qui habent donum interpretandi.

3. Quia Pſ. 18. *Præceptum Domini ſanctum illuminans oculos.* Prov. 6. *Præceptum lucerna eſt, lex lumen.* Pſ. 118. 115. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Reſp. Eſſe lucernam illuminantem verbum Dei, poſtquam eſt intellectum. Nam ibid. Pſ. 118. 105. addit. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* Neq; dum verbum lucernæ aſſimilatur, in omnibus eſt illi ſimile; quia dum res una alteri aſſimilatur, non in omnibus ei debet eſſe ſimilis, ſed ſolùm in eo in quo aſſimilatur. Ita verbum non debet per ſe ita clarum ut lucerna, ſed ſolùm ubi eſt intellectum, declaratum, illuminare inſtar lucernæ. Sic Chriſtus dixit ſe vitem, neq; tamen in omnibus viti ſimilis. &c.

4. Quia Iſaias vidit legis veteris: Joannis novæ Apoc. 5. libros apertos: itaq; omnibus ſunt aperti ac patent. Reſp. In Apoc. non novæ libros legis aperuit Agnus, ſed veteris, quia prophetias in illo de ſe ſcriptas implevit; ideo verſu 9. Seniores dicunt. *Dignus es Domine aperire librum & ſolvere ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos.* Iſaias verò prædicit excæcationem Judæorum, quòd illis claudendæ eſſent prophetiæ, ne illas intelligerent.

5. Quia omnibus præceptum eſt ut legant ſcripturas. Joan. 5. 39. *ſcrutamini ſcripturas.* Sed fruſtra legerent, ſi non intelligerent. Reſp. Certè non eſſe dictum cæcis, & legere neſcientibus. Et 1. Cor. 14. 35. Mulieribus dicitur. *Si quid volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Reſp. 2. Apud Joannem dici à Chriſto Judæis negantibus illum Filium Dei: verſ. 36. *Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Verſ. 38. *Huic vos non creditis, ſcrutamini ſcripturas &c. quæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me.* Id eſt, nec propter miracula, nec propter prophetias quas in me videtis completas, vultis in me credere. Ex quo patet quòd locus propoſitus non ſit ad rem; neq; in eo dicitur *Scrutemini*, ſed ſcrutamini.

6.

6. Quia fides acquiritur ex verbo Dei ut patet Act. 17. 11. de Beroënsibus; omnes autem egent fide, itaq; omnes debent legere scripturas, & ut intelligant, debent esse scripturæ claræ. Resp. Fidem esse ex auditu ut Rom. 10. ubi etiam: *Quomodo credent ei quem non audièrunt?* & Beroënses audito Paulo crediderunt, nihilominùs ut se in fide firmarent vers. 12. erant *quotidie scrutantes scripturas an se hæc ita haberent.* An scilicet prophetiæ de Christo essent in scripturis, quas Paulus allegaverat. Sed inquies saltem Timotheus fidem ex lectione Scripturæ didicit. Resp. Didicisse fidem â Matre & Avia quæ erant fideles. Ita 2. Tim. 1. 5. *Recordationem accipiens ejus fidei quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primùm in Avia tua Loide & Matre tua Eunice, certus autem quòd & in te.* & 2. Tim. 3. 15. non dicitur quòd fidem â scriptura didicerit, sed solùm quòd ab infantia sacras literas noverit: quo tamen loco Diffidentes probant Timotheum didicisse fidem ex scriptura. Jam verò Noë, Abraham, Job, Enoch sine scriptura, quæ tunc nulla erat, fuerunt fideles. Et multi crediderunt in Christum ante scriptum novum testamentum, multi item cæci, idiotæ, qui legere non poterant, ut patet ex Joan. 7. 31.

7. Nulli potest prohiberi lectio scripturæ: itaq; est clara. Resp. Etsi clara esset scriptura, adhuc lectio illius quibus prohiberi posset, quia si Atheus legat, occasionem peccandi ex Abrahamo, Davide, Cantico Cant. sumet. Pastorum autem est legitimorum juxta Hebr. 13. 17. pervigilare quasi rationem sint reddituri pro animabus nostris. Et ideo Ephes. 4. 14. *ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum*, quam quidem depravant juxta 2. Petr. 3. Sic Arrius, Nestorius &c. etsi viri docti ad ruinam suam legerunt scripturas; multò magis rudes errabunt si legant, nam dum se credent intelligere, alios consulere contemnent. Ita facti hæretici, Manes mancipium, Ebion mendicus, Theodotus lanio, Jo. Walde mercator, Georgius David Vitriarius &c.

8. Quia Catholici ideo docent scripturam difficilem,

quòd ipsi eam non legant, imò contemnant. Resp. Non contemnunt scripturam Catholici quam eorum Monachi toties summâ diligentiâ descripserunt antequam esset typus, quo primùm impressa est Moguntiæ anno 1472. In cantu Monachorum semper scriptura & in lectionibus fuit, semper in Academijs prælegebatur, ut patet ex tot in eam factis commentarijs quod fassi ipsi Dissidentes in colloquio Ratisbonensi.

9. Quia Rom. 10. 6. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum?* Resp. Hunc locum nihil facere ad propositum. Quia ibi agitur de Judæis qui ad fidem & justificationem requirebant præsentiam Christi, quam Paulus ostendit non esse necessariam: sed sufficere si credant in Christum & profiteantur illum mortuum ac resuscitatum.

CONTROVERSIA XII.

De sufficientia Scripturæ ad Fidem.

PARS PRIOR

Non omnia quæ sunt credenda continet Scriptura. Est Catholicorum.

1. QUia nullibi scriptum est quo remedio utebantur fœminæ, & mares qui ante octiduum moriebantur, contra originale peccatum. Nullibi quòd B. Virgo manserit Virgo post partum. Quòd Pascha die dominico celebrandum sit. Quòd dies dominicus habendus sit festus. Quòd Baptismus ab infideli & hæretico collatus non sit iterandus. Quòd Baptisans debeat proferre verba, Ego te baptiso &c. Quòd Eucharistia debeat confici in pane triticeo. Quòd hæc Evangelia sint vera Evangelia. Luth. etiam in Genesim putat se ostendere quòd nullibi in novo testamento prohibita sit polygamia. &c. &c. quæ tamen credimus.

PARS POSTERIOR

Scriptura S. continet omnia quæ credi debent. est ferè omnium Dissidentium.

1. Quia 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, arguendum, erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Resp. Dici utilem ad hoc, sed non dici sufficientem.

CONTROVERSIA XIII.

De Verbo DEI tradito.

PARS PRIOR

Præter Verbum DEI scriptum debet recipi traditum

Est Catholicorum.

1. Quia præcipitur Job. 8. 8. & 10. *Interroga generationē pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam, & ipsi docebunt te, loquentur tibi, de corde suo proferent eloquia.* Non loquitur hic certè de verbo scripto. Idem Deut. 32. 7. *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* & quasi ad hæc respiciens David Ps. 77. 6. *Quanta mandavit Patribus nostris nota ea facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera; Filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt Filijs suis.*

2. Quia Jer. 6. 16. *State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis.* Quæ sint de quibus interrogandum? certè traditiones Apostolicæ; quæ verò illæ? Aug. lib. 5. cōtra Donatistas cap. 23. *Quæ universa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non inveniantur.*

3. Quia Ecclesia primitiva tradita verbo se regebat in fide. Nam Matthæus qui primus Evangelium scripsit, octavo post mortem Christi scripsit anno, interim multi bene credebant ob solum verbum traditum. Antequam scriptura extitisset, fideles fuerunt Nòé, Job, Abraham. Quidsi scriptura periret, jamne fides cessare deberet? cur verò perire non posset cùm aliqui libri ejus perierint? Ubi enim sunt tria millia parabolarum Salomonis, quarum fit mentio 1. Paralip. ult.? Ubi libri Nathan. & Videntis Gad, de quibus 2. Paralip. 9.? Ubi libri Ahiæ, & Ado Prophetarum? Ubi alij quos enumerat Becanus? an Nathan non verbum Dei dice-

bat Davidi, an non Apostoli nationibus quamvis non ex charta recitarent?

4. Quia non omnia sunt scripta quæ Christus & Apostoli credenda proponebant. De Christo D. dicitur Joan. ult. *Sunt autem & alia multa quæ fecit JESUS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Act. 1. 3. *Per dies quadrag.* locutus Apostolis de regno: quæ tamen non habemus omnia scripta. Quod attinet Apostolos. 1. Cor. 11. *Cætera cùm veniam ad vos ordinabo.* 2. Thessal. 2. *Tenete traditiones quas docti estis, sive per verbum, sive per scientiam.* Sed & Joan. 14. 26. *Paracletus Spiritus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* Hinc Iren. lib. 3. cap. 4. *Quid autem, si neq; Apostoli scripturas tradidissent, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiuntur multæ Gentes Barbarorum eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum S. in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* Sed & ipse Paulus 1. Cor. 11. 2. *Laudo vos Fratres, sicut tradidi vobis, mea præcepta servatis.* 2. Tim. 2. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* 3. Joan. 13. *Multa habui tibi scribere sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi, spero autem protinùs te videre, & os ad os loquemur.* 1. Cor. 11. 23. *Quod accepi à Domino tradidi vobis:* certè non per scripturam. Meminit Paulus act. 20. 35. verbi Domini, quod tamen nullibi antea fuit scriptum. *Beatiùs magis est dare quàm accipere.*

PARS POSTERIOR

Præter verbum Dei scriptum non debet recipi traditũ.

Est omnium Diffidentium.

1. QUia id Christus reprehendit. Matth. 15. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Resp. Tales procul dubio sunt rejiciendæ, nec sunt verbum Dei

quæ sunt contra mandatum Dei. Resp. 1. Ibi reprehendi non Apostolicas sed Pharisaicas traditiones: de lavandis manibus, &c. legatur caput ab initio.

2. Quia Col. 2. 8. Cavet Paulus, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Resp. Hic nihil esse de traditionibus Apostolicis, istæ enim sunt secundùm Christum. Sermo est de ijs quæ Mosaicæ legis jugum instaurabant; vel per quas proponebantur Angeli loco Christi, vel Christo præponebantur tanquam veri Mediatores per sophismata id probando argumentis aliquibus è Philosophia petitis. Irenæus qui certè vixit etiam juxta, dissidentes in vera Ecclesia; nam anno 180. hæc habet lib. 3. cap. 4. *Oportet quæ sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere & apprehendere, veritatis traditionem: quid enim? si aliquibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas Ecclesias recurrere, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quid certum, & reliquendum est? Quid autem si neq; Apostoli reliquissent scripturas, nonne oportet ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ Gentes Barbarorum, eorum qui in Christum crediderunt sine charta & atramento, scriptam habentes per Spiritum S. in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* Tertull. qui vixit anno 200. lib. de Corona Militis cap. 4. *Harum & hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Certè scriptura non dicit Baptismum esse Sacramentum, aut ejus formam ore proferendam; aut Diem Dominicum celebrandum, non dicit Marcionitas, Cerdonianos esse Hæreticos. &c. Non gratis dixit 2. Tim. 1. 13. *Formã habe sanctorum verborũ quæ à me audisti.* & 1. Cor. 11. 2. *Laudo vos Fratres quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* At ubinam hæc præcepta sunt in scriptura? Certè ipse Lutherus epist. ad Mar-

 chi-

chionem Brandeburg. quæ extat tomo 2. Germanico fol. 243. ait. *Periculosum est & horridum quidquam audire vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei & doctrinæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam illa inde ab initio per annos plùs 1500. servavit.* Philippus Melancton ad Cratonem medicum Vratislav. *Existimo ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimùm valere: & optimi Magistri atq; Duces nobis esse possunt, Irenæus, Tertullianus, Augustinus, qui plurima hujus generis Posteritati reliquerunt. Ex his monumentis quis cognoscere poterit, ipsos inprimis adhibuisse Fidei, quam vocabant, Regulam. Huic jungebant piorum atq; eruditorum suffragia consensumq; Apostolicarum Ecclesiarum, hoc est, earum quas ab ipsis Apostolis, vel Apostolicis viris originem duxisse constabat.* Neq; his opponi potest Deut. 12. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Quia 1. non dicit, quod præcipio in scripto, 2. Quia solis Judæis dicit, nam si & Christianis: deberent Dissidentes observare legales cæremonias, circumcisionem, &c.

3. Quia idem Paulus monet Gal. 1. 8. *Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangeliset, præterquam quod Evangelisavimus vobis, anathema sit.* Resp. Neq; hic est aliquid contra verbum; nam etiam oretenus evangelisabat Paulus, ut patet hic parte priore n. 4. neq; hic dicit, quod vobis evangelisavimus in scripto: sed ibi loquitur de ijs qui evangelio volebant addere circumcisionem, & docere ultra id quod docet fides Christiana. Neq; prohibet aliquid non repugnans fidei docere aut scribere, nam post hanc epistolam prodijt Apocalipsis S. Joannis. addetis

4. Quia Deut. 4. 2. dicitur. *Non ad verbum quod vobis loquor.* Apoc. 22. 18. *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet super illum Deus plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de libris prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Itaq; nihil debet admitti præter verbum scriptum. Resp. Locus Deut. non impugnat sed potius probat traditiones, non enim dicit *quæ scribo,*

scribo, sed, *quæ loquor vobis.* Nec prohibet aliquid apponi supra Deutoronomium, nam post illud multi libri scripti sunt scripturæ: imò cap. 4. v. 32. dicit. *Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te.* Solùm ergo ibi prohibet alios ritus & idololatriam. Joannes prohibet falsificari suam Apocalipsim, & ei subtrahi aliquid, aut ipsi addi per modum partis.

5. Quia Isai. 29. 13. improperat. *Timuerunt me mandato hominum & doctrinis.* Resp. Ibi sermonem esse de Ethnicis non de Apostolicis traditionibus.

6. Quia 1. Petr. 1. 3. *Redempti estis à vana traditione Patrũ.* Resp. Redempti à vana Judaica non ab Apostolica, quæ non est vana. Confirmat autem nos Chrysost. in observatione traditionum Apostolicarum in epist. ad Thessal. ad verba 2. 15. &. orat. 4. edit. Basilien. Anno 1547. *Non omnia per epistolam tradidit Apostolus, sed multa etiam sine literis, eādē verò fide digna sunt tam illa, quàm ista.* & Basil. lib. de Spiritu S. cap. 27. *Dogmata quæ in Ecclesia servantur & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolica traditione ad nos delata recipimus, quæ utraq; eandem vim habent ad pietatem.* Hic sensus fuit Ecclesiæ de traditionibus tempore horum SS. Patrum. Sed & Epiph. hær. 61. *Oportet autem & traditione uti, non enim omnia à divina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scriptis, aliqua in traditione S. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apostolus: sicut tradidi vobis.*

7. Quia Deut. 12. 32. *Quod præcipio tibi hoc tantùm facito, nec addas quidquam, nec minuas.* Resp. si iste locus probat nihil observandum nisi quod Moyses præcepit, tum neq; Evangelium observandum esset: præcipit ergo ibi ritus circa sacrificia, & prohibet ne quidquam illis addatur, aut ex illis dematur: ut patebit totum hoc caput legenti. Solent â Diffidentibus allegari textus Patrum, qui videntur cum traditionibus pugnare, sed si rectè intelligantur nullo modo sunt contrarij: nam aliqui

Primò

Primò. Solùm docent, privatos sensus non esse scripturis adjiciendos tanquam ex scriptura desumptos. Ita S. Hilar. lib. 2. ad Constantium ait. *Sub scripturis ea quæ non sunt scripta non esse prædicanda.* Catholici autem verbum Dei traditum non prædicant sub scripto.

Secundò. Certos articulos esse in scriptura sufficienter expressos, quod & Catholici fatentur: & ita Tertull. adv. Hermogenem dixit. *Adoro plenitudinem Scripturæ, quæ mihi Factorem manifestat & facta scriptum esse doceat. Hermogenis officina si non scriptum inveniat, væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum, &c.* Loquitur enim ibi Tertull. de uno articulo, scilicet, quòd Deus omnia ex nihilo, non ex præjacente materia creavit: quod probans & dicens & docens, non de tota scriptura, sed de illo loco. *In principio fecit Deus cœlum & terram*, nominat plenitudinem scripturæ, scilicet, quoad hunc articulum de creatione mundi, cui contrarium docebat Hermogenes, meritò illi væ interminat, non ideò quòd aliquid non scriptum docuerit; sed quia rem non scriptam scripturæ contrariam asseruerit. Sic S. Hilar. lib. 3. de Trinit. *Bene habet, inquit, ut iis contentus sis, quæ scripta sunt.* Loquitur ibi non de omnibus fidei mysterijs, sed de solo mysterio Trinitatis, quod cùm sufficiēter scriptura declaret quoad cognitionem ejus omnibus necessariā, meritò quoq; scripturâ quoad illud contentus esse debet. Similiter quando aliqui Patres docent omnia esse in scriptura quæ ad mores & dogmata sufficere putarunt scriptores illius, aut quæ saluti credentium sufficere videbantur; quomodo loquitur Aug. tr. 49 in Joan. & Cyrill. lib. 12. in Joan. cap. 68. Vel in ijs quæ apertè in scriptura posita sunt inveniri illa omnia, quæ fidem continent moresq; vivendi: ut loquitur Aug. lib 2. de doctr. Christiana cap. 9. Vel, omnia Evangelium continere, ut Chrysost. hom. 1. ad Tit duplici modo explicandi sunt. 1. Quòd loquantur de illis articulis, qui sunt simpliciter ad salutem scitu necessarij, non de omnibus verò. 2. Quòd dicant scripturam continere *omnia*

quo-

quodammodo, ſcilicet, partim immediatè, partim mediatè. Quòd autem particulam *omnia* ab illis uſurpatam, non pro omnibus abſolutè myſterijs, ſed tantùm pro abſolutè neceſſarijs benè explicemus; hinc patet 1. Quia cùm ijdem Traditiones â Scriptura diverſas admittant ex quibus quædam neceſſaria petantur, clarè ſequitur illos, per particulam *omnia* non intelligere prorſus omnia, ſed præcipua omnibus ſimpliciter neceſſaria. 2. Quia pari modo Act. 1. eandem partic. uſurpat S. Luc. quo etiam ſenſu 2. Reg. 17. 14. Omnes viri Iſràel dicuntur fuiſſe cum Chuſai & Abſolone, cùm tamen ibid. cap. 15. 17. Omnis Iſràel dicatur fuiſſe cum Davide contra Abſolonem, quia nimirum pars Abſoloni, pars Davidi favebat. Quanquam in priore loco Aug. & Cyril. non loquuntur de ſcriptura ſed de Chriſti rebus geſtis quas Joannes ait non omnia eſſe ſcripta; & tamen Patres iſti ſcribunt illa eſſe ex eis ſcripta quæ ad mores & dogmata ſufficiebant, quod certum eſt non poſſe intelligi niſi de rebus abſolutè neceſſarijs, nam in epiſtolis ſuis multa ſcripſerunt Apoſtoli neceſſaria ſecundùm quid ad credendum quæ Evangeliſtæ non ſcripſerunt. Porrò in ſecundo loco Aug. non de omnibus fidei articulis loquitur, ſed de illis qui ſunt in ſymbolo; nam ibid. addit poſt verba ex lib. 2. de doctr. Chriſti cap. 9. *de quibus libro ſuperiore tractavimus.* Atqui libro ſuperiore tantùm Auguſtinus tractavit de artic. Trinitatis, Incarnationis, Aſcenſionis Chriſti, Reſurrectionis noſtræ, & Chriſti paſſionis, Eccleſiæ Catholicæ, remiſſionis peccatorum in Eccleſia, vitæ æternæ & ſupplicij, Judicij futuri, quòd charitas ſit fide præſtantior & ſpe. De alijs autem articulis, ut de Sacramentis, de ſcripturæ ſufficientia, &c. nihil. Tantùm ergo de illis articulis verba S. Auguſtini ſunt intelligenda qui poſiti ſunt in ſymbolo Apoſtolico, quos in ſcriptura ſufficienter haberi concedimus.

Tertiò. Nihil admittendum quod ita ſit extra ſcripturam ut ei ſit contrarium. Sic S. Baſil. tomo 2. de Fide ait. *Manifeſtum eſſe Fidei lapſum, vel reſpuere aliquid eorum quæ ſcriptu-*

 ro

ra habet, vel inducere quidquam quod ſcriptum non eſt. Quod ita ut dixi intelligendum eſſe, patet ex verbis Baſilij ſequentibus, dicit enim. *Omnem igitur alienam à doctrina Domini, vocem vitare ſtatuimus.* Doctrina autem de Traditionibus habetur in ſcriptura, nec ab ea eſt aliena. Sic exponendus eſt idem dum epiſt. 74. ad Epiſcopos Occidentis taxat Apollinarium quod haberet in ſuis libris quædam ad Theologiam ſpectantia non ex ſcripturæ traditionibus, ſed ex humanis argumentis adſtructionem habentia &c. Habebat enim Apollin. quædam à fide Catholica aliena. Catholicæ autem traditiones non ex humanis argumentis ſed ex ſcripturæ probationibus adſtructionem habent. Pari modo exponendus eſt S. Aug. cùm lib. 5. contra lit. Petiliani cap. 6. cum Apoſtolo ad Gal. 1. ait. *Nihil accipiendum præterquam quod in ſcripturis legalibus & in Evangelio dicitur.* Non enim ſcripſit, nihil præter ſcripturas accipiendum, ſed nihil quod ſit ſcripturæ contrarium, aut à ſcriptura commendatum, quod traditionibus Catholicorum non convenit, ideo idem Aug. tr. 98. in Joan. citatum Apoſtoli locum explicans ita ſcribit. *Non ait* Apoſtolus, *pluſquàm accepiſtis, ſed præterquàm quod accepiſtis; nam ſi illud diceret, ſibi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, ut ſuppleret quæ illorum fidei defuerunt; ſed qui ſupplet quod minus erat, addit: non quod inerat tollit.* & infra. *Quando ait Dominus, adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo; adjicienda illis fuerunt quæ neſciebant, non quæ didicerant evertenda.* Similia habet lib. 12. contra Fauſtum cap. 3.

Quartò. Dicunt aliqui Patres, omnia corroboranda eſſe ex ſcriptura. Sic S. Baſil. in Ethic. punct. 28. ait. *Quodcunque vel verbum vel factum corroborandum eſſe divinæ ſcripturæ teſtimonio.* Sic Chryſoſt. in Pſ. 95. *Non oportere dicere quidquam ſine teſtibus & ſcriptura, ſine qua Auditores hæſitant circa ea quæ audiunt.* Quod & Catholici faciunt dum & doctrinam de traditionibus in communi, & traditiones particulares ſcripturæ teſtimonio corroborant.

Quintò

Quintò. Aliquando Patres agentes cum hæreticis qui solâ scripturâ utebantur & Ecclesiæ ac Conciliorum authoritatem spernebant, ad scripturas solas recurrunt eos impugnantes. Sic Basil de Spiritu S. cap. 7. *Non sufficit nobis quòd Patrum est traditio, nam & illi scripturæ authoritatem secuti sunt.* Et tamen idem eodem libro cap. 27. & 29. Traditiones non scriptas paris ait esse cum scriptura authoritatis. Sic sæpè S. Aug. lib. de unitate Eccles. cap. 3. 10. 16. agens contra hæreticos qui Catholicam Ecclesiam, & Concilia, & Patres spernebant, ait. Ex scripturis disputamus, causam nostram relictis Concilijs, Episcopis, & miraculis &c. non quòd ea repudiet, nam aliàs multùm eis tribuit, sed quòd illa frustra attulisset contra dictos hæreticos; quanquam interdum est etiam usus testimonijs Patrum etiam contra ejusmodi agendo; nam lib. 1. contra Julianum cap. 2. & 25. Patrum testimonio probat parvulos per Baptismum purgari ab originali peccato; idem facit toto libro 2. & in alia materia Basil. lib. 1. contra Eunomium.

Sextò Aliquando Patres, non ab Apostolicis Traditionibus, aut Ecclesiæ communibus, sed à privatis consuetudinibus certæ regionis maximè ab Ecclesia Romana non approbatis provocant ad scripturam, scilicet, quòd ex particularibus illis quæstio decidi cum sufficienti authoritate non poterat. Sic S. Basil. epist. 80. ait. *Non æquum esse ut quod apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo* (scilicet non dicendi tres esse in Deo hypostases & unam naturam) *pro lege & canone veræ doctrinæ habeatur. Scriptura ergo divinitùs inspirata inter nos arbiter & Judex esto.*

Septimò. Quidam sufficientem vocant scripturam ad veritatis indagationem, ut Athanas. contra Gentiles: aut, exactissimam omnium regulam, ut Chrysost. hom. 13. in cap. 7. Cor. Sed non dicunt solam scripturam hoc habere, aut esse sufficientem per se immediatè ad omnis veritatis indicationem. Non negant Catholici respectu aliquorum articulorum esse sufficientissimam, & respectu omnium saltem me-

 diatè

diatè. Athan. non loquitur de omnibus articulis sed tantùm de duobus, scilicet, quòd idola sunt execranda: & quòd Christus sit verus Deus & Homo; quæ in scriptura sufficienter exprimuntur.

Octavò. Aliqui PP. dicunt morem fuisse hæreticorum, cùm à Catholicis premerentur ad scripturas confugere. Ita Iren. lib. 2. cap. 3. legatur ibid. hic Pater loqui invenietur non de traditionibus Apostolicis sed de confictis ab Hæreticis, Apostolicas autem ibi laudare, & ijdem hæretici dicebant scripturas esse fallaces. Similiter dum ChrYsost. hom. 49. in Matth. paria cum Iren. videtur dicere. Sed istæ homiliæ non sunt Chrysostomi, sed alicujus Arriani aut ab Arriano corruptæ, nam hom. 9. negat Filium Patri consubstantialem, hom. 4. negat Spiritum S. æqualem Patri; & negat eandem substantiam in tribus personis & Spiritum Filio parem, hom. 48. doctrinam de consubstantialitate personarum vocat hæresim, similiter hom. 45.

Nonò. Aliqui videntur PP. rejicere quæ à scriptura non commendantur ut Aug. tr. de Past. cap. 11. & Hieron. in 23. Matth. & in 1. Titi. Sed hi non sunt contra Catholicos, nam scriptura commendat traditionem, fictam autem rejiciunt Catholici de qua idem Hieron. in 1. Aggæi & in Ps. 86.

Decimò Aliqui ex toto rejecerunt rraditionem ut Cypr. in epist. ad Pom. Sed ibi suum errorem de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis tuetur, unde non est mirũ quòd eum a. lio errore defendat, quem tamen alijs locis rejicit. Theophilus lib. 2. Paschali, non traditiones, sed libros apocryphos insectatur. Constantinus Imp. in Concilio Nicæno apud Theodoret. lib. 1. cap. 7. videtur rejicere traditiones, sed ibid. cap. 10. easdem clarè admittit tanquam à Salvatore datas.

Deniq; PP. qui allegari contra traditiones solent: aut commendant scripturas, sed non ideo sequitur solas ab ijs commendari: aut ad illas ablegare solent, sed non tantùm propter ea quæ in se continet immediatè; vel si quando ad illa

sola

ſola remittant, non in omnibus prorſ⁹ fidei articulis remittunt, ſed vel in certis tantùm, vel in omnibus ijs quæ fide explicitâ credi debent ab omnibus & ſingulis tanquam ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: aut dum aliquam obſcuriſſimam à ſcriptura nec mediatè nec immediatè declaratam per Eccleſiam aut traditiones tractando dicunt, eâ tacente ſe quoq; ſilere debere; quomodo loquitur Ambroſius lib. 2. de vocatione gentium cap. 3. diſputans, cur tam diverſa hominibus genera conceſſa ſunt ante legem ſcriptam, & in lege, & poſt legem. Et Aug. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 36. differens de origine animarum. Et Theodoret. Dial. 2. dicens, non audere ſe aliquid affirmare quod S. Scriptura ſilentio prætcrijt. Id non ideo dicunt, quòd ex ſola ſcriptura petenda ſit omnis cognitio, ſed quòd nulli particulari membro Eccleſiæ licet propriâ authoritate de rebus decernere, aut res fidei morumq; explicare, præterquam Romano Pontifici. Aliquando verò Patres ſcripturam commendantes docent, nullius authoris ſcripta eſſe tantæ authoritatis quanta eſt ipſa ſcriptura, quod verum eſt. Patrum enim ſcripta non ſunt immediatè â Deo dictata ſicut libri ſcripturæ. Atq; ita omnes Patres explicandos certum eſſe debet. 1. Quia ipſimet ferè omnes commendant expreſſè traditiones & Eccleſiæ decreta â ſcriptura diverſa. 2. Quia ſi in ſenſu Diſſidentium explicarentur, docerent aliquid ſcripturæ contrarium traditiones & Eccleſiæ decreta commendanti. 3. Quia hunc ſenſum eorum quem attulimus apparet ex ipſorum textu ſi attentè legatur, & tam antecedentia quàm conſequentia verba, & materia de qua agunt, & occaſio quâ moti aliquid ſcripſerunt, conſiderentur.

CAPUT III. DE JUDICE CONTROVERSIARUM.

CONTROVERSIA XIV.

De Scriptura in ordine ad judicanda fidei dubia.

PARS PRIOR

In dubijs circa fidem non esse recurrendum ad solam Scripturam. Est Catholicorum.

1. QUia in dubijs circa fidem Deus remittebat ad Moysen, qui ante Aaronem fuit summus Sacerdos, juxta Ps. 96. patet hæc remissio Exod. 28. & 29. Hoc ipsum judicium postea exercuit Aaron jam factus summus Sacerdos, ut est Exod. 24. Postea Judices Sacerdotes Levitici generis, ut est Deut. 17.

2. Quia certis personis, non autem omnibus, munus explicandi scripturas est commissum. Nam 1. Cor. 12. *Nunquid omnes interpretantur?* Ita & in primitiva Ecclesia Act. 15. Apostoli de dubijs circa fidem exortis judicârunt.

3. Quia Malach. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam legis, & legem requirent ex ore ejus.* Ezech. 44. 23. *Populum meum docebunt Sacerdotes, quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum, ostendent eis, & cùm fuerit controversia stabunt in judicijs meis, & judicabunt, &c.*

PARS POSTERIOR

In dubiis circa fidem ad solam scripturam recurrendũ. Est Dissidentium.

1. QUia Isai. 8. 20. dicitur. *Ad legem magis & ad testimonium*, scilicet; attendite. Resp. patet ex v. 19. Quòd prohibeat recurri ad pythones, & jubet ut recurrant ad Deum, & legem ejus. De dubijs autem in fide hic non agit,

CONTROVERSIA XV.

De homine Judice dubiorum Fidei.

PARS PRIOR

Non quisq; potest judicare de dubijs Fidei. Est Catholicorum.

1. QUia 2. Petri 1. *Hoc intelligentes quòd omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit.* Unde S. Aug. de verbis Domini serm. 18. *Quomodo intellexerunt Sancti sic accipien-*

pienda sunt divina testimonia.

2 Dictum est. *Nunquid omnes interpretantur?*

3. Quia etiam in lege veteri non quivis in dubijs fidei decidebat, sed ad summos Sacerdotes recurrebatur.

PARS POSTERIOR

Quisq; potest judicare de dubijs Fidei. Est variorum Dissidentium.

1. QUia 1. cor. 2. dicitur. *Spiritualis judicat omnia.* Resp. Sed non quisq; est spiritualis, sunt enim & multi animales qui non ea sapiunt quæ Dei sunt. Neq; nobis constat quis sit hoc modo spiritualis, cùm inveniantur hypocritæ, & sathanas se transfigurat in Angelum lucis. Paulus certè erat spiritualis & tamen Gal. 2. 2. consuluit Apostolos. Vocat autem ibi *spiritualem* Apostolus eum qui habet Spiritum S. ad discernendum ea quæ Dei sunt, & tales non sunt omnes.

2. Quia Joan. 10. dicitur. *oves meæ vocem meam audiunt.* Resp. Hunc locum non esse ad propositum, solùm enim in eo dicitur, quòd qui sunt oves Christi vocem Christi audiant, non verò dicitur, quòd ipsæ dijudicent si in fide occurrat dubium.

3. Quia Joan. 7. 17. *Si quis voluerit facere voluntatem ejus qui misit me, cognoscet de doctrina mea utrùm ex Deo sit.* Resp. Neq; hic dici, judicabit de dubijs quæ in fide occurrerint. Sed dicit, quòd talis agnoscet eum Messiam missum â Deo, ideo vos me non recipitis, qui pessimè vivitis. Unde addit v. 19. *Nonne Moyses vobis dedit legem: & nemo ex vobis facit legem? quid quæritis me interficere?*

4. Quia 1. Joan 2. 27. *Unctio docet vos de omnibus.* Resp. Si omnia docet unctio, itaq; Apostolorum prædicatio non fuit necessaria, ut fidem discerent. Solùm ergo ibi dicitur. Postquam accepistis fidem adhuc gratiâ Dei opus est, quæ vos internè illustret, ut omnia intelligatis: nam v. 21. *Non scripsi vobis tanquam ignorantibus veritatem, sed scientibus eam.*

5.

5. Quia Isai. 54. promissum. *Ponam omnes Filios tuos doctos à Domino.* Resp. Fiunt docti à Domino, quando post auditam per hominem doctrinam ipse Spiritus S. illustrat: ita explicat S. Aug. lib. de spiritu & litera 24.

6. Quia Jer. 33. *Non docebit vir proximum suum dicens, cognosce Dominum, omnes enim scient à maximo ad minimum.* Resp. Ante hæc verba præmittitur. *Dabo legem meam scriptam in cordibus vestris.* & prædicit finem idololatriæ, ut non opus futurum, ut quis dicat alteri. *Contemne idola, cognosce Dominum:* jam enim omnes contemnent idola, & cognoscent Dominum. Alioqui, si ibi promittit, quòd quisq; judicaturus sit de fidei dubijs, æquè dicitur promisisse superfluam futuram Apostolorum prædicationem.

7. Quia Paulus dat omnibus facultatem: nam 1. Cor. 14. 29. *Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri autem dijudicent.* Resp. eodem cap. non omnibus donum interpretandi concedit. *Dijudicent*, ergo ibi sumitur pro *audiant*: ita enim textus procedit. *Prophetæ duo vel tres loquantur, cæteri dijudicent, quod si alij revelatum fuerit sedenti, prior taceat.*

8. Quia 1. Joan. 4. 1. omnibus dictum. *Nolite omni spiritui credere sed probate spiritus.* Resp. Additur ibi *probate spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetæ exiêrunt in mundum:* dicit ergo Joan. cùm aliqua affertur doctrina nova, non temerè esse recipiendum, sed inquirendum esse an is qui eam affert sit â Deo missus. Non autem dicit quòd quisq; dubia in fide occurrentia possit solvere.

9. Quia Joan. 5. dicit Christus. *Scrutamini scripturas* Præter illa quæ ad hunc locum diximus controv. 11. parte post num. 5. addo quòd illa responsio quam ibi dedimus sit Cyrilli lib. 4. in Joan. Iren. lib 4. cap. 23. Deinde illud dictum Pharisæis Præpositis Ecclesiæ, non vulgo promiscuo. Demum aliud est scrutari scripturas, aliud dubia circa illas orta solvere: proinde hic locus alienus est â proposito.

CONTROVERSIA XVI.

De eo an aliquis sit constitutus in Ecclesia qui judicet de dubijs circa fidem.

PARS PRIOR

Constitutus est aliquis in Ecclesia cujus officium est solvere dubia circa fidem. Est Catholicorum.

1. QUia Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram venies ad Sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit tempore illo, quæresq; ab eis & indicabunt tibi judicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint & docuerint te juxta legem.* Hic agitur de omnibus causis concernentibus legem, dicit enim, *docuerint.* & ex hoc ipsum patet ampliùs ex 2. Paralip. 19. 10. occasionem enim huic dicto Moysis dederunt, quia delapsi fuerant ad idololatriam, ut patet ex initio capitis; cùm remittit ad Sacerdotes; remittit ad Concilium Sacerdotum, quia ibi est sermo de concilio, & additur. *Qui superbiêrit nolens obedire Sacerdotis imperio*, quem penes scilicet erat definitiva sententia: *punietur &c.*

2. Quia ista fuit praxis continua in Ecclesia ut ad certas personas, id est ad Sacerdotum concilia, recurreretur in dubijs fidei, ut illi resolverent. Ita circa annum 50. orta fuit Controversia de Circumcisione: miserunt Fideles Paulum & Barnabam ad Apostolos Jerosolimam, & his congregatis, Petrus de causa tulit decretum. Post ann. 100. orta fuit Cõtroversia de tempore celebrandi Pascha, eam Pius I. & Victor I. Pontifices definiverunt, & contrariã opinionẽ damnarunt hæreseos ut patet ex Epiph. hær. 50. Post an. 200. orta fuit dubitatio an conversi ab hæresi baptisandi essent etsi priùs fuissent apud hæreticos baptisati, res definita est à Stephano Papa, & contraria opinio inter hæreses rejecta ut patet ex Aug. lib. de Baptismo contra Donatistas. Orta fuit hæresis Arrij post ann. 300., damnata à Concilio Nicæno, ita ut doctrina Arrij deinceps pro Hæretica habe-

atur. Orta fuit opinio Macedonij, quòd Spiritus S. non esset Deus, definitum contra illam in Conc. Constantinop. primo. Ad dijudicandam Nestorij doctrinam convocatū Conc. Ephesinum: ad Eutychetis Calcedonense: ad Sabell. Alexandrinum. Vide Eccles. 12. 11. Agg. 2. Malach. 2. 7.

PARS POSTERIOR

Nemo est in Ecclesia constitutus cujus sit officiū definire in dubijs Fidei. Est Dissidentium.

1. QUia cùm Deut. 17. Populus in dubijs fidei remittitur ad Sacerdotes, additur: *Facies quodcūq; docuerint te juxta legem.* Ac si diceretur: *dijudica tamen an ille doceat juxta legē.* & sic ultimatum judicium relinquetur populo. Resp. si populo relinquitur hoc judicium, cur jubetur occidi ibid. si non obediêrit sacerdoti? cur additum est. *Non declinabis neq; ad dexteram neq; ad sinistram*, à dictis sacerdotis? solùm ergo ibi innuitur, quòd sacerdos juxta legem sit responsurus, & populus certus de hoc esse jubetur.

2. Quia in rebus Fidei sacerdotes errare possunt. Nam Aaron fuit sacerdos, & Exod. 32. jussit vitulum conflari. R. Aaronem nondum eo tempore fuisse sacerdotem, nam id munus demum ult. Exodi accepit, scilicet post factum tabernaculum: vitulus autem ille conflatus ante factum tabernaculum. Præterea Aaron non docuit adorari debere vitulum, sed permisit, & licét de illo dicatur: *Voce præconis clamavit:* hoc potest intelligi de permissione non de imperio, sicut illud Joan. 9. *solvite templum hoc.* & Joan. 19. *Quod facis fac citiùs.* & Marc. 70. *Ad duritiam cordis vestri præcepit vobis Moyses dare libellum repudij.* Demum error Aaronis fuit in vita, non in doctrina, egit malè sed non docuit. 2. Quia Urias summus erat Sacerdos, & erravit: nam 4. Reg. 16. jussu Achaz Regis erexit altare idolo, & altare Domini loco movit. Resp. Hi errores fuerunt facti non doctrinæ: præterea hi actus quos Urias fecit non erant proprij summi Sacerdotis, uti est dubia fidei decidere, sed à quovis laico fieri poterant, atq;

atq; ita ut privata persona, non ut Pontifex illos exercebat & in illis errabat. Quæ responsio solvit alios similes errores Pontificum qui allegari possent. 3. Quia Caiphas summus Pontifex non solùm in moribus suis seu vita, sed etiam in doctrina erravit. definivit enim, idq; cum Concilio, Christum blasphemâsse. Resp. & addo, quòd non solùm in hoc erravit, sed & totam Christi vitam damnando. Verùm non erat legitimus Pontifex, non enim erat ex tribu Levi, imò nec Judæus natione sed Proselyta & ab Herode contra legem Dei in cathedram intrusus. Solis autem ex tribu Levi competebat sacerdotium & potestas controversias definiendi, ut patet ex Deut. 17. hìc allegato parte priore n. 1. patet & ex Num. 11. Præterea etsi fuisset verus Pontifex, adventu Christi cessabat illius sacerdotium & potestas, ut patet ex Act. 4. & 25. 4. Quia sacerdotes multa contra legem Dei esse docebant ut Matth. 23. 25. docebant non esse perjurium, jurare per templum & altare Dei &c. Resp. Hos non fuisse summos sacerdotes quibus data potestas definiendi; sed fuisse Scribas & Pharisæos: licet autem Matth 23. dicantur, super Cathedram Moysi sedisse Scribæ & Pharisæi, nullus tamen sedit in summo Pontificatu.

3. Quia ut in Ps. dicitur. *Omnis homo mendax*. Itaq; & sum⁹ Pontifex errare potest. Resp. Si juxta illos Pontifex errare potest, multó magis quisq; Diffidentium, atq; ita neminem habent qui illis controversias definiat, atq; ita nihil certi in eorum fide relinquitur. Resp. Omnis homo errare potest si non habeat certam sibi Spiritûs S. assistentiam: at Pontifex & vera Ecclesia habet. Nam Joann. 14. promisit Christum. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis* Matth. ult. *Ego vobiscũ sum usq; ad consummationem mundi.* Unde Act. 25. dicit Concilium. *Visum est Spiritui S. & nobis.* Hinc hortatur Aug. lib. contra Cresconium cap. 23. *Quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat.* & ante illum Cypr. lib. de Unitate credendi. *Compendium probandæ veritatis Petro & ejus Successoribus in Ecclesia tribuitur.*

4. Quia 1. Cor. 3. *Fundamentum nemo potest ponere præter id quod positum est.* Fundamentum autem sunt articuli Fidei. Resp. Hic locus cum sua expositione nihil agit contra definitionem dubiorum, sed solùm ostendit, quòd nemo possit aliam fidem condere præter illā quæ à Christo tradita. Resp. 2. per fundamentum ibi intelligi non fidem, sed Christum, qui est causa meritorum & origo omnis gratiæ, ut patet legenti illud caput, additur enim expressè, *quod est JESUS.* Nihilominus etiam Ephes. 2. Apostoli dicuntur suo modo fundamentum *superædificati super fundamentum Apostolorum &c.*

CONTROVERSIA XVI

De certa persona quæ infallibiliter definiat controversias Fidei.

PARS PRIOR.

S. Petrus & ejus Successores, sive cum, sive sine concilio quando agunt ut publici Doctores infallibiliter definiunt Controversias Fidei. Est Catholicorum.

1. QUia Luc. 22. Petro dixit Christus. *Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Confirmare autem, quod sumatur pro *docere* ut patet ex Act. 15. & 16. & 1. Thessalon. 3. Ad docentem verò spectat dubia solvere. 2. Quia Joan. 21. dictum Petro: *Pasce oves meas.* Ad Pastorem verò spectat discernere pabulum à veneno.

3. Quòd hæc potestas transit ad Successores Petri, sequitur ex Matt. 16. ubi de Petro dicit Christus. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Itaq; Ecclesia durat, itaq; & petra cui Ecclesia superædificata, & cùm jam sit Petrus mortuus, debent esse Petra ejus Successores. Ita ex hoc loco argumentantur Cyrill. lib. 2. in Joan. 1. Hilar. in Mat. 16. Ambros. serm. 47. Leo serm. 1. de Anniversario assumptionis suæ.

PARS POSTERIOR

S. Petrus & ejus Successores non definiunt Controversias Fidei infallibiliter. Est Diffidentium.

1. Quia

1 QUia Petro Christus dixit. *Vade post me Sathana.* Resp Hinc sequi quòd Petrus, quando id ipsi dictum, peccaverit in aliquo, non autem quòd non possit definire in dubijs Fidei. Resp. 2. Dixit Christus Petro ante suam resurrectionem, quando nondum illum constituit Pontificem, neq; supra illum ædificavit Ecclesiam, neq; illi claves dedit; nam illas demum Joan. ult. tradidit, ut docet Chrisost. in hunc locum, Ambros. in Luc. 24. & ita textum citatum explicat Hieron. in Matth. 16.

2. Quia in lege veteri Exod. 18. a. v. 14. Moyses summus sacerdos infallibiliter definiebat ea quæ sunt ad Deum: dicit enim v. 16. suam sententiam esse Dei sententiam, proinde infallibilem; fuit autem Moyses sacerdos Ps. 109. 6. sicut Aaron, & supremus Ecclesiæ Rector, quo solo titulo jus habuit definiendi controversa in fide, non alio, sed etiam Pontifex est Rector Ecclesiæ, cujus etiam Moyses & non solius Christi fuit typus; sicut & alij Rectores synagogæ fuerunt typi Rectorum Ecclesiæ: omnia enim illis in figura contingebant. 1. Cor. 10. 11. Et si illi habebant jus infallibiliter definiendi, multò magis Pontifex, quia Heb. 8. 16. Novum testamentum *in melioribus repromissionibus sancitum est.*

3. Quia Deus Deut. 17. 8. remittit in dubijs circa legem ad judicem Ecclesiasticum, qui præsidebat concilio Sacerdotum, ita ut ad eum appellare possent à sententia inferiorum. Et *ille indicabat judicij veritatem*: ut ibid. & jubentur ejus decretum recipere. Et praxis hujus decreti extendebatur ad omnes causas circa legem Dei, ut expressè dicitur 2. Paral. 19. 11. Sacerdotes autem minores judicabant in portis. In jus autem veniebant etiam causæ sangvinis, sed cùm Judæi judicarentur juxta legem Dei ad Sacerdotes spectabat videre an Reus verè fuisset legem Dei transgressus: & legem explicare, lato autem à Sacerdote decreto ad Judicem Politicũ spectabat ferre sententiam de pœna, qui in suo decreto non habebat eam infallibilitatem quam Sacerdos. In lege autem Veteri non habebant Sacerdotes prohibitionẽ juris Canonici, ne de

 pœna

pœna ſangvinis judicarent, imò ipſi aliquando illam exequebantur ut Exod. 32. 28.

4. Quia ſcriptura definiret controverſias vel juxta literam, aut juxta ſenſum, accepta. Non juxta literam, quia 1. Cor. 3. 6. *Litera occidit*, id eſt, inducit in errores. Hinc Judæi adhuc Meſſiam expectant, quia Iſai. 11. potentiam Meſſiæ deſcriptam ad literam accipiunt: de quibus 2. Cor. 3. 15. Sabellium in errorem induxerunt verba Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus.* quæ ad literam accipiendò docebat unam eſſe in Trinitate Perſonam. Arrium verba Joan. 14. 28. *Pater major me eſt.* Non ſecundùm ſenſum. Quia de ipſo ſenſu dubium eſt, quis verus? Nec ſpiritus privatus decernere poteſt quis ſit verus ſenſus, quia ab adverſa parte litigante nec videri nec audiri poteſt; imò utraquè pars poterit aſſerere ſe habere ſpiritum: & unde alter falſi convincetur? Neq; Spiritum habens quævis omnia dijudicat, ſed ſola illa ad quæ datus eſt illi Spiritus. Epheſ. 4. 11. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas &c.* Neq; huic obſtat Iſai. 54. *Dabo omnes Filios tuos doctos à Domino.* quia ibi prophetat, quod Dominus, id eſt Chriſtus, docturus eſſet non per alios tantùm, ſed per ſeipſum, ut dicitur Hebr. 7. *Multifariam multisq; modis &c.* De ipſa enim ſcriptura non poſſunt eſſe certi Diſſidentes. Unde enim? Nam de illa certi eſſent, quòd ſit à Spiritu S. dictata, incorrupta, non apocrypha, verum ejus ſenſum habeant, certi inquam eſſent vel ex teſtimonio Eccleſiæ, ſed hæc apud illos errare poteſt: vel ex teſtimonio Prædicantium, ſed hoc eſt humanum adeoq; fallibile: vel ex privato Spiritu, ſed nullibi dicit ſcriptura te v. g. Joannem habere verum Spiritum: vel ex efficacia ſcripturæ, quia hanc æquè ſentirent Calviniſtæ ac Lutherani, qui tamen ſecum diſſident. Non ex hoc ipſa ſcriptura, quia hoc nullibi dicit ſcriptura.

5. Quia aliqui Pontifices fuerunt Hæretici. Reſp. Imprimis id falſò dici: deinde dico cũ Bellar. ſi quis Pontifex in hæreſim laberetur, eo ipſo amitteret ſuam dignitatem.

6. De

6. De Pontificis authoritate non possumus esse securi, nã Joannes VIII. fuit fæmina & tamen habebatur pro Pontifice seditq; in Cathedra Petri post Leonem IV. ante Benedictum, VIII. qui vixit an. 855. uti testatur Sigebertus Gemblacensis, qui vixit anno 1101. testantur etiam hunc Pontificem fuisse fæminam Marianus Scotus, qui vixit anno 1083. & alij posteriores illo. Resp. Si fuit fæmina, non fuit Papa, & sedes ejus tempore vacavit. Sed de hoc Joanne quidquid scribitur, fabula est; cujus primus author fuit Scotus, qui ferè annis 200. post hunc assignatum Joannem vixit, fuerunt autem hoc tempore historici varij qui de Pontificibus scripserunt, neq; ullus quidquam tale meminit: hoc est Ado, Rhegino, Lambertus, Hermannus Contractus, qui vixit anno 1050., Abbas Usbergensis, Otto Frisingensis, Zonaras, Cedrenus, Anastasius Bibliothecarius, qui vixit an. 858. Ado Viennensis, qui vixit anno 879. Nicolaus I. qui vixit eodẽ tempore cum Bibliothecario, & omnes Pontifices numerant, nec quidquam meminerunt Joannis, Curopalates. Et tamen horum aliqui adversarij erant Pontificum, neq; in illos probris abstinebant, horum omnes qui Pontifices numerant, dant totidem annos Leoni quot Scotus, & statim post Leonẽ ponunt Benedictum VIII. sed & ipse Scotus non affirmat Joannem fuisse fæminam, dicit enim, *qui ut asseritur fuit mulier.* Sed neq;, si hoc verum fuisset, in epistolis ad Michaëlem potuisset tam audacter Leo IX. objicere Græcis ut probrum, quòd in sede Constantinopolitana sedissent Eunuchi & Fæminæ, si Romanam sedem aliquando mulier occupavisset. Sed & advertit Baronius, quòd antiqui codices Sigeberti & Mariani nihil habeant de Joanne, adducit hujus ipsius rei testem Bellarmin. lib. 3. de Pontif. cap. 24. Coloniensem illum qui Metropolim Crantzij edidit Codex originalis Mariani, qui etiam hujus fabulæ scriptor citatur, est in Monasterio S. Catharinæ Tremoveensis, quem curavit excudi Joan. Fabrij Cæsar Canon. ord. Præmonstratensis. neq; in eo reperitur dicta fabula, & è posterioribus

qui hanc falsitatem tradiderunt, nemo se reducit ad Marianum. Solus Palmerius se revocat ad Sigebertum. Alij verò non affirmant, ut S. Antoninus, Volaterranus, Crantzius, Tritemius, imò Nauclerus asserit hanc fabulam in nullo certo authore reperiri. Refert illam & Rhodigin. sed aliâ simili additâ illam evertit, addit enim quòd Joanna pepererit an. 853. existens Papa, quo tempore adhuc Leo vivebat. Platina etiam ejusdem fabulæ meminit, sed fatetur se errare cum vulgo. 2. Quia aliquando plures simul Pontifices. Resp. Tum vel eorum nullus fuit Pontifex, & vacavit sedes: vel fuit unus, idq; ille quem maxima & præcipua pars Ecclesiæ recepit, cœteri verò fuerunt Antipapæ. 3. Quia aliqui Pontifices in doctrina errârunt. Resp. Id probari non posse. Allegatur Felix II. qui communicavit cum Arianis; sed id comisit antequam esset Papa. Allegatur in simili errore Vigilius, sed erravit cùm nondum fuisset Papa, verùm Antipapa. Allegatur Marcellinus qui perculsus metu sacrificavit idolis, sed sacrificare non docuit; error fuit in facto non in doctrina. Allegatur Liberius qui similiter ex metu subscripsit Arianis contra Athanasium, sed & hic damnaverat Athanasium ob crimina falsò illi ab Arianis afficta, fidem autem Catholicam reliquit indemnem, nec Arianismum docuit, unde & hic error fuit facti. Idem communicavit cum hæreticis qui se finxerant Catholicos, sed & hic error fuit facti, non doctrinæ. Ita peccavit & Stephanus qui ex odio alterius qui quosdam Sacris ordinibus ritè initiaverat, jussit illos de novo ordinari, & Sergius III. qui hoc factum Stephani ratum habuit. De cœtero qui errores objiciuntur Pontificibus, vel non sunt errores sed dogma Catholicùm, vel sunt errores personarum non Pontificum, qui non sunt impeccabiles, quia sunt in hac dignitate, sed solùm in definiendo circa res Fidei, & morum salutarium errare non possunt, idq; solùm quando, & non aliàs, agunt ut Pontifices, sive ut publici Doctores, & ex Cathedra, atq; obligant totam Ecclesiam ad credendum. Vel deniq; errores

qui allegantur non à veris Pontificibus, sed Pseudopapis Antipapis, sunt commissi.

7. Etiam aliqui Catholici Doctores docent non esse de fide, hunc numero Papam esse verum Papam, quomodo ergo propter ejus authoritatem potest quis fide Divinâ aliquem articulum credere? Resp. Nemo credit articulum ob authoritatem Papæ sed ob verbum Dei. Papa verò solùm declarat quòd de hoc articulo sit verbum. Unde ad præsens nihil facit, sive sit de Fide hunc numero hominem esse verum Papam sive non sit, dummodò constet eum non posse errare in proponendis fidei articulis: quia etsi certum esset non esse de fide Divina illum esse Papam, adhuc de jure Divino Pastori supremo obligaremur ad obediendum per fidem in ijs quæ proponit in rebus fidei ac morum salutarium: sicut licèt fide humanâ hunc hominem credas esse tuum Patrem, tamen lege Divinâ illum obligaris honorare.

CAPUT IV. DE FIDE DIVINA

Quædam præmittuntur.

1 FIdes Divina Heb. 11. sic definitur. Est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. Fidei actus est cognitio. Nam ibid. v. 3. *Fide* intelligimus aptata sæcula.

2. Fides est necessaria ad salutem. Quia Hebr. 11. 6. *Sine fide est impossibile placere Deo.* Et v. 33. fides dicitur scutum & galea per quam vicerunt Sancti regna. Marci 16. Qui non crediderit, condemnabitur.

3. Fidei veræ signa sunt esse antiquam. 1. Joann. 2. *Quod audistis ab initio maneat in vobis.* Esse per totum mundum cognitam. Rom. 1. 8. *Fides vestra annunciatur in universo mundo.* Oppugnari ab Hæreticis. Marci 13. *Videte ne quis vos seducat, quoniam multi venient in nomine meo, & multos decipient.* Ibid. 16. 17. Esse unam non variari. Ephes. 4. 6. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Ita 1. Reg. 5. Arca non patitur Dagonem, Nec ut 1. Cor. 1. Dominus est divisus. Reccurrunt fi-

deles in dubijs ad Ecclesiam Gal. 2, 2. *Ascendi (Jerosolymam) secundùm revelationem & contuli cum illis Evangelia &c.*

4. Fidei Divinæ virtus est infusa. Joan. 6. 29. *Hoc opus Dei est ut credatis.* v. 44. *Nemo potest ad me venire*, id est credere, *nisi Pater traxerit illum.* Philip. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto* scilicet in fide.

5. Fides miraculorum justificat. Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* De fide autem miraculorum est sermo, quia additur. *Signa autem eos qui crediderint, sequentur hæc. &c.* 1. Cor. 13. 13. *Nunc autem manent tria hæc, Fides &c.* loquitur de fide justificante; sed est sermo de fide miraculorum, quia v. 3. *Si habuero omnem fidē ita ut montes transferā &c.*

6. Fides hystorica quâ credimus vera esse quæ narrat scriptura, justificat. Rom. 10. 9. *Si in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* 1. Cor. 15. 1. *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepistis, & in quo statis, per quod & salvamini.*

7. Fides quâ ferimur in Dei promissiones est salvifica. Joan. 3. 36. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.*

8. Fides justificat. Joan. 1. 12. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus.*

9. *Vera Fides datur sine charitate.* Matth. 7. 22. *Multi dicent in illo die: Domine, Domine nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus prophetavimus? &c. discedite à me qui operamini iniquitatem.* Sine fide autem nemo invocat juxta illud: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem &c. charitatem autem non habuero, nihil sum.* Joan. 12. 42. dicuntur multi credidisse in Christum, qui magìs dilexerunt gloriam hominum quàm Dei.

CONTROVERSIA XVII.

De Justificatione Fidei.

PARS PRIOR

Non sola fides justificat. Est Catholicorum.

1. QUia vim justificandi non minùs tribuit Scriptura alijs virtutibus quàm Fidei. Nam Eccl. 1. *Timor Dei expellit peccatum.* & cap. 11. *Qui sine timore est non poterit justificari.* Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* Matth. 9. *Confide Fili remittuntur tibi peccata tua.* Act. 11. *Pœnitentiam Deus dedit ad vitam,* 2. Cor. 7. *Quæ secundùm Deum est tristitia pœnitentiam in salutem stabilē operatur.* Ezech. 18. *Cùm averterit se impius ab impietate sua ipse animam suam salvabit.* Luc. 7. 47. *Dimittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* Jacob. 2. *Quid prodest Fratres mei si fidem se quis dicat habere opera autem non habeat?* ubi sermo est de tali fide qualem habuit Abraham, id est de Fide propriè dicta. Item Eccli. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est non poterit justificari.* Prov. 14. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* 1. Joan. 3. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se.* Ps. 36. 40. Prov. 26. 25. *Justificatio Pœnitentiæ adscribitur.* Act. 11. 18. & 2. Cor. 7. 10. Cùm etiam fidem Apostolus nominat includit virtutes quæ â fide velut radice pullulant. Gal. 5. 6. *Fides per charitatem operatur.* 2. Thess. 1. 11. *Impleat Deus opus fidei in virtute.*

2. Quia datur fides sine charitate, ut in præmittendis tractavimus n. 9. Sed talis non justificat. 1. Cor. 13. *Si fidem omnem habuero, charitatem autem non habuero, nihil sum:* & fidem sine operibus comparat Jacob fidei dœmonum, non quoad substantiam, quia in illis non est vera fides, sed quoad effectum, quia utraq; infructuosa. Patet etiam ex hoc fidem posse separari à charitate, quia distinguuntur. 1. Cor. 13. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, major autem horum charitas,* de fideli autem Vidua, sed charitate destituta dicitur 1. Tim. 6. *Vidua in delicijs vivens mortua est:* de alijs Tit. 1. 16. *Factis fidem negant* sicut malus Judex opere se Judicem negat, non tamen desinit esse Judex; sic peccans 1. Joan. 4. Deum dicitur non nosse quia non agit juxta fidem. Sed clarissimè in hanc rem Rom. 2. 8. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

3. Quia Matth. 25. damnantur fideles quia bonis ope-

ribus caruerunt. Ex quo loco in hunc modum argumentatur S. Aug. lib. de fide & operibus cap. 15. tomo 4. circa medium. *Si mandatis non servatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est, illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est, dicet: Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus, nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt? Nam profectò ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat vitam æternam; propterea omnes gentes segregaturũ se dixit, quæ permixtæ eisdem utebantur pascuis, ut appareat eos illi dicturos: Domine quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministravimus tibi? qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua perveniretur ad vitam æternam.*

PARS POSTERIOR

Sola Fides justificat. Est Dissidentium.

1 QUia á negotio justificationis clarè opera excluduntur Rom. 3. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem sine lege justitiæ manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Justitia autem Dei per fidem JESU Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum &c.* Et 28. *Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Gal. 2. 16. *Scientes quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi, & nos in Christo JESU credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Eph 2. *Gratiâ estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Philip. 3. 9. *Non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est JESU Christi.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus legis quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrũ regenerationis. &c.* Resp. Nullum ex his locis facere ad propositum. Nam solùm in epist. ad Romanos 1. Paulus & ad Ephes. excludit à justificatione Christianorum opera legis

Mosaicæ & ceremonias. Item opera moralia quæ non fiunt ex gratia Christi, sed solis viribus naturæ, ita Aug. lib. de gratia cap. 7. & lib. de prædestin SS. cap. 7. & hoc ipsũ patet ex intentione illarum epistolarum, in quibus opera excludit à justificatione. Intentio enim erat illarum, neminem justificari sine fide Christi, sine qua & sine gratia, lex ipsa est potiùs occasio peccati. Nec posse gloriari Judæos adversùs Gentes quòd legem habeant, quia opera legis sine Spiritu Fidei Christi non valent ad justificandum, quæ sine dubio valerent, si ijs factis ex sola virtute naturæ & notitia legis posset homo apud Deum justificari. Unde ad Gal. addit: Si ex operibùs legis, factis scilicet ex sola notitia legis, sine Spiritu gratiæ Christi potest quis justificari, gratis fuit Christus mortuus, quia ante Christum fuit eadem notitia legis: in eundem sensum ad Rom. 4. *Abraham si ex operibus justificatus est habet gloriam, sed non apud Deum.* Si scilicet ex operibus virtute naturæ sine gratia fidei factis; ut explicat S. Jacob. 2. & ita conciliandus Paulus, dum à justificatione excludit opera, & Jacobus qui admittit S. Aug. lib. 83. qq. quæst. 76. *Quapropter non sunt sibi contrariæ Apostolorum sententia Pauli & Jacobi, cùm unus dicit justificari hominem sine operibus per fidem, & alius dicit; inanem esse fidem sine operibus, quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de ijs quæ fidem sequuntur.* Ad Titum loquitur, quòd non propter opera nostra quæ fecimus ante fidem Deus nos justificavit, sed propter misericordiam quâ nos ad fidem vocavit. Ad Philipp. similiter docet quòd justificatio non sit ex operibus legis Mosaicæ, sed ex fide Christi. De cætero Apostolus opera in fide & gratia Christi non excludit à justificatione. Nam Rom. 2. dicit; *Factores legis justificabuntur.* & cap. 8. *Deus misit Filiũ suum ut justificatio legis in nobis impleretur.* Unde Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7. *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus, arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etsi malè vivat, & opera bona non habeat, quod absit ut sentiret Vas*

electionis. Nunquam etiam Scriptura dicit, quòd sola & unica fides justificet, imò Jacob. 2. *Videtis quòd ex operibus justificatur homo, & non ex fide.* Præterea quando attribuit justificationem fidei, loquitur de fide quæ est formata charitate, sine qua non justificat; ita Jacob 2. explicat: & Paulus Gal. 5. *Fides quæ per dilectionem operatur*, id est, informatur, ut hoc ipsum clariùs patet in Græco textu. Ita Gen. 15. *Abraham credidit & reputatum est illi ad justitiam.* Fidem habuit sed cum obedientia, credidit, sed fecit quod illi imperatum, sine quo non fuisset justificatus. Quòd fidei præcipuè meminit Scriptura in justificatione, inde est, quia illa est fundamentum totius justificationis, ut docet S. Aug. lib. de prædestin. SS. cap. 3. quæst. 2. ad Simplicium juxta illud Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere &c.* Quòd autem cùm agit de justificatione solius fidei meminit, inde est. Quia dum eundem effectum producere possunt sufficit meminisse unius. Ita aliquando etiam fidei non meminit in justificatione. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Tobiæ 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata.* Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,*

2. Patres præcipui docent per solam fidem justificari hominem; ut Orig. in 3. ad Rom. Hilar. can. 8. in Mat. Basil. hom. de humilitate. Aug. & Ambr. in 3. ad Rom. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Titu. Bern. Serm. 1. de Annuntiatione quæ est ante Domin. Palmarum, quem citat Luther. tom. 1. Jenensi fol. 119. in respons. ad articulum 2. de fide. Resp. Origenem eo loco solùm asserere, non esse necesse ad justificationem, ut quis priùs legem Moysi expleverit. Hilar. addit *solam*, ut excludat opera legis Mosaicæ de quibus ibi loquitur. Basil. excludit opera viribus naturæ facta, quod ipsum Aug. facit, & ita semper explicat S. Paulū cùm dicit nos fide justificari. Ambr. excludit opera cæremonialia legis Veteris, item merè externa, eadem & Chrysost. patebit hoc totum legenti hos Patres. Bernardi locus cit. nusquam

in

in Bern. reperitur. Sciendum etiam duplicem esse justificationem *primam* in qua primò datur justitia, & ad hanc opera non concurrunt, & de hac subinde Paulus loquitur, ut cùm Rom. 4. Gal. 3. ex Gen. 15. de Abrahamo dicit, quòd non ex operibus sit justificatus. *Secunda*, quando jam habent justitiam additur plùs justitiæ juxta Apoc. 22. *Qui justus est justificetur adhuc.* & de hac Ephes. 5. 8. *Ut Filij lucis ambulate, fructus enim lucis est, in omni bonitate, & justitia, & veritate.* & de hac loquitur Jac. quando asserit Abrahamum ex operibus justificatum. Et ibid. v. 25. *Rahab meretrix nonne ex operibus est justificata?* & Hebr. 11. 31. *Fide Rahab meretrix non periijt cum incredulis excipiens exploratores cum pace.* quod erat opus bonum fecisse. Quæ distinctio observata tollit difficultates circa textus qui ex scriptura, vel Patribus in hac materia adduci possunt.

3. Quia si etiam opera concurrerent ad justificationem non diceretur Rom. 1. *Justitia Dei* in Evangelio *revelatur ex fide in fidem:* potiùs diceretur, *ex fide in opera.* Deinde Abacuc. 2. non diceretur: *Justus ex fide vivit.* Resp. Primùm locũ intellige cum Aug. lib. de Spiritu & litera cap. 11. Ex fide annuntiantium Evangelium, in fidem obedientium Evangelio. Vel ex fide Prophetarum, in fidem Apostolorum, vel ex fide obscura Veteris testamenti in fidem clariorem novi; vel ex fide mortua in fidem vivam operibus ex qua justus vivit, unde subdit, *Justus ex fide vivit*, ex fide autem formata ut explicat Jacob 2. & Paulus Gal. 2. & hoc modo locus Abacuc intelligendus.

4. Si non ex sola fide justificaremur sed etiam ex operibus, non justificaremur gratis, sed ex merito, quod est cõtra Rom. 34. 11. Resp. Etsi ex operibus justificemur, adhuc gratis, quia opera ante primam justificationem facta nõ merentur justitiam de condigno, & primum auxilium divinum necessarium ad actum fidei & alios actus supernaturales, datur omnino gratis.

5. Charitas à fide separari non potest, igitur ubi fides

ibi charitas, ac consequenter justificatio; nam charitas est fructus fidei. Resp. Ostendimus fidem posse esse sine charitate; & Gal. 5. 22. non fidei sed *fructus Spiritûs est charitas, fides*: & cap. eodem. *Charitas per fidem operatur.* non è contra.

6. Quia Luc. 8. 50. dicitur. *Fides tua te salvam fecit.* & 51. *Crede tantùm & salva eris.* Resp. Locos non esse ad rem, in illis enim agitur non de justificatione, sed de sanitate corporum.

CONTROVERSIA XVIII.

De Fide remissionis peccatorum.

PARS PRIOR

Non possumus credere nobis esse remissa peccata

Est Catholicorum.

1. QUia nullum de hoc verbum Dei extat: imò Prov. 20. 9. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Eccle. 9. 1. *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.* Sciret autem amore se dignum si sciret peccata sibi esse dimissa. Ps. 18. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Job. 21. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima.* Imò Eccli. 5. 5. *De propitiato peccato noli esse absque metu.* quia Prov. 12. 2. *Omnis viri via recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus.* Unde 1. Cor. 4. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* & monet Philip. 2. 12. *Charissimi cum metu & tremore vestram salutem operemini.*

2. Quia similiter cum timore præcipit de nostra salute sentire prov. 20. 14. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Sed quid timeremus, si credere possemus nobis remissa esse peccata? & 1. Pet. 1. 15. *Etsi Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat, secundùm uniuscujusque opus, in timore incolatûs vestri convertamini.* Rectè monet & Hieron. dial. 2. contra Pelagium. *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem, quamdiu enim vivimus in certamine sumus, & quamdiu in certamine nulla certa victoria.*

3. Si fidelis poteſt ſibi credere dimiſſa peccata, poteſt & cathechumenus ante Baptiſmum, atq; ita ſine Baptiſmo ſalvari.

PARS POSTERIOR.

Poteſt Fidelis credere ſibi remiſſa peccata. Eſt Lutheranorum.

1. Quia ſcriptum eſt Ezech. 18. 5. & 33. 44. Quòd qui doluerit de peccatis, remittuntur ei peccata, ſcio autem me doluiſſe de peccatis, igitur poſſum credere peccata mihi remiſſa; deinde apud Joan. Quòd qui veſcitur carne Chriſti & bibit ſangvinem ejus, vitam habet. Item Matth. 19. 17. Quòd qui obſervat mandata, ad vitam ingreditur, ſcio autem me illa obſervaſſe. Reſp. Etiam Moyſes mandata ſervavit, & credidit, & tamen per ſpecialem favorem dictum illi Exod. 33. 12. *Novi te ex nomine, & gratiam coram me inveniſti.* Non enim ſcimus an amorem & fidem ſupernaturalem habuerimus, item an dolorem, an verò naturalem; item an dignè communicaverimus corpori & ſangvini Chriſti. Deinde cùm in his argumentis una propoſitio fidei, altera ponatur ſcientiæ, concluſio non ſequitur fidei divinæ.

2. Quia Rom. 8. 16. Ipſe Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſumus Filij Dei. Reſp. Ibid. addit. *Si tamen compatimur.* Præterea nos aliquando putamus agi Spiritu Dei, cùm non agamus ut Nathan 2. Reg. 7. 3. & 2. Cor. 11. 14. Sathanas ſe transfigurat in Angelum lucis. Præterea dat teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſimus Filij adoptivi per Baptiſmum, ita hanc Filiationem explicat ad Gal. 3. 27. *Quicunq; baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* &c. *Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes:* at verò multi baptizati manent in peccatis. Hic Spiritus facit fiduciam ut Deum vocemus *Abba Pater*, quod eſt verum teſtimonium; interea neſcimus an charitas iſta ſit ſupernaturalis, teſtatur idem Spiritu, & dat per ſigna quædã quòd ſimus in Dei gratia, 1. Joan. 14. *Nos ſcimus quoniam*

translati sumus de morte ad vitam. & 4. 15. *Quisquis confessus fuerit quoniam JESUS est Filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo.* & 5. 13. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo non pereat, & scimus quia ex Deo sumus.* Sed an hæc sint dicta de nobis nescimus: quia in materia morali propositiones universales, solùm id dicunt quod fit plerumq;, & admittunt exceptionem, sicut Esteri dictum: *Pro omnibus ista lex lata est, sed non pro te.* Unde solùm moralem certitudinem de nobis habere possumus, quæ omninò fallere potest, cum hac notitia possumus accedere licitè Sacramenta, sed non possumus credere nos in gratia esse; & hoc modo cum spe conjungitur damnationis metus, & ad sollicitudinem de salute excitat. Tum etiam in his propositionibus tacitè includitur conditio, ita act. 27. certos reddidit nautas S. Paulus de evasione naufragij, cùm tamen nautæ cœperunt dilabi dixit Centurioni, qui nautis præerat. *Nisi hi manserint in navi,* ut juvent navim, *non potestis evadere.* Ita nobis cum fide promittitur salus, sed cum conditione, ne peccemus juxta Matth. 5. 21. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* & Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* De conditionis autem hujus impletione non sumus omninò certi.

3. Quia 2. Cor. 13. 5 dicitur. *An non cognoscitis vosmetipsos, quia JESUS Christus in vobis est, nisi fortè reprobi estis.* Resp. Hoc tenemus ne fortè reprobi sumus, & hoc nescimus. Ibid. additur. *Spero autem quòd cognoscetis, quia nec nos reprobi sumus.* Sicut ergo cognoscebant Paulum non esse reprobum solùm secundum moralem certitudinem, ita & seipsos poterant tales esse opinari, non autem credere. Nam si credidissent se non esse reprobos. Paulus non præmisisset. *Vosmetipsos tentate & probate si estis in fide.* Quod enim indubitatum est, non debet tentari & probari.

4. Quia Hebr. 10. 22. *Accedamus ad eum corde in plenitudine fidei.* Ephes. 3. 12. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem.* Resp. Nihil hic esse, quòd possimus credere

dere nobis remissa esse peccata; sed solùm in primo textu quòd debeamus accedere ad Deum cum plena fide; in secundo, quòd cum confidentia.

5. Quia Ephes. 1. 13. *Credentes signati estis spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Resp. Sumus signati, sed sub conditione salus promissa, si nos signationi vitâ correspondèrimus; unde statim ut sequitur. *Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino JESU, & dilectionem in omnes Sanctos &c.* fidei apponit dilectionem.

5. Quia Rom. 8. 37. Apostolus credebat fide divinâ se in gratia perseveraturum, ut patet ex eo quod dicit: *Certus sum.* Resp. 1. Si credebat, habuit de hoc revelationem. Resp. 2. Etiam hoc verbo, *Certus sum*, usus ad Romanos 15. 14. *Certus sum & ego Fratres mei de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientiâ, ita ut possitis alterutrum monere.* At quis persvadebit sibi, omnes Romanos ita fuisse plenos scientiâ & dilectione, ut hoc fide divinâ crediderit Apostolus? proinde in utroq; loco de morali certitudine est sermo.

6. Quia 1. Joan. 5. 13. *Vitam æternam habetis, qui creditis in nomine Filij Dei.* itaq; nos possumus credere esse Filios Dei. Resp. Vitam habemus in spe, non in re; uti Rom. 8. 14. *Spe salvi facti sumus.*

7. Non debemus diffidere de bonitate Dei, ergo debem' credere dimissa nobis peccata. Resp. Non sequi quod infertur, quia non diffidimus, sed cum timore speramus, nec Deo diffidimus, sed nobis, ne fortè in oculis ejus alij compareamus, quàm in nostris.

8. Matth. 9. 2. dicitur: *Confide Fili remittuntur tibi peccata tua.* Resp. Dicitur, *Confide*, sed non dicitur, *crede hoc.* Aliud autem est confidere, seu fiduciam habere, aliud credere. Præterea parùm nobis prodesset, etsi possemus credere, nos esse in gratia, si incerti sumus an in ea simus usque ad finem permansuri. Certè Rom. 11. 20. dicitur *Tu autem qui in fide stas, noli altum sapere, sed time.* & 1. Tim. 1. 19. Etiam *quidam circa fidem naufragârunt.* Credidit Act. 8. Simon Magus. Crede-

 dide-

diderunt Act. 6. Nicolaus, tamen ambo periêrunt; & dictū Matth. 10. 12. *Qui perseveraverit usq; in finem, salvus erit.* Si etiam Fidem amittere non possum juxta Dissidentes nullo peccare possum, quia justus sum. Præterea, si credere possum mihi peccata remissa, frustra est absolutio quæ datur à Ministris, jam enim justus sum, & nihil retinere potest Minister contra illud: *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt eis.*

CAPUT V. DE ECCLESIA.

CONTROVERSIA XIX.

De Visibilitate Ecclesiæ.

PARS PRIOR.

Ecclesia in terris est visibilis. Est Catholicorum.

1. Quia Ecclesia est cœtus Fidelium. Fideles sunt visibiles Act. 19. 32. *Erat enim Ecclesia confusa, & plures nesciebant ex qua causa convenissent.* 1. Cor. 11. 15. *Nos talem consvetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.* 1. Thessal. 2. 34. *Vos imitatores facti estis inter Fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa.* Act. 20. 17. *Vocavit majores natu Ecclesiæ*, illis dixit v. 8. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sangvine suo.* Invisibilis autē ab illis regi non poterat, & visibiles homines fideles acquisivit sangvine suo; ad visibile certè dicit Rom. 16. *Vos Dei ædificatio estis.* 1. Cor. 3. *Templum Sanctum Dei.* Unde Aug. lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 5. *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissione Dei Ecclesia declarata, quæ super montem constituta, abscondi non potest.*

2. Quia Scriptura ad Ecclesiam nos remittit ut ipsi loquamur Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiæ.*

3. Quia Actor. 15. 3. *Paulus & Barnabas deducti sunt ab Ecclesia.* & v. 4. *Suscepti ab Ecclesia* & 1. Cor. 15. 9. *Persecutus sum Ecclesiam Dei.* itaq; illam vidit. 1. Cor. 10. 17. *Unū corpus multi sumus qui de uno pane participamus.* Sed hi sunt Ecclesia, & sunt visibiles.

4. Quia

4. Quia Matth. 5. Ecclesia dicitur supra montem ædificata quæ non potest abscondi. Et certè si Ecclesia esset invisibilis, Pastores ejus essent invisibiles, & nemo sciret quis sit Pastor.

5. Quia Num. 20. 4. de populo visibili dicit. *Cur eduxistis Ecclesiam Dei in solitudinem?* 3. Reg. 8. 14. *Convertitq; Rex faciẽ suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israël.* & Act. 18. 20. *Salutavit Ecclesiam.* & in epist. Paulus Ecclesias alloquitur, Philip. 3. 6. *Ecclesiam Dei persequens.* Isai 2. 2. prædicitur affluxus gentium ad Ecclesiam. Similiter Mich. 4. 1. & 1. Cor. 12. 13.

PARS POSTERIOR.

Ecclesia est invisibilis, Est Dissidentium.

1. QUia Ecclesia creditur, at Hebr. 11. Fides est non apparentium, itaq; Ecclesia non est visibilis. Resp. Et cœlum & terram videmus, tamen credimus á Deo facta, & Christum videbant Apostoli, tamen credebant. & Joan. 9. 3. dicitur cœco illuminato: *Credis in Filium Dei?* & ille. *Quis est?* Quem vides, & qui loquitur tecum. Videmus ergo Ecclesiam, sed credimus hanc esse Ecclesiam, sanctam, duraturam, infallibilem.

2. Quia Jer. 51. 33. dicitur. *Dabo legem in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Resp. Textum hunc non facere ad rem de lege enim interna dicit quam Spiritus S. scribit in cordibus, non de Ecclesia.

3. Quia Luc. 17. 20. de Ecclesia dicit, *Non venit regnum Dei cum observatione, neq; dicent, ecce hîc, aut ecce illîc, ecce enim regnum Dei intra vos est.* Resp. Non esse ibi sermonẽ de Ecclesia, sed die judicij, ut patebit si consequenter legatur textus.

4. Joan. 4. 23. de Fidelibus dicit. *Adorababunt Patrem in Spiritu & veritate.* Hæc signa sunt ex quibus noscuntur fideles, & hæc sunt invisibilia. Resp. Hoc signum non esse fidelium, signum enim debet rem notificare. Signa verò. Confessio exterior fidei, frequentatio templi, quam faciebat Petrus & Paulus Act. 3. & similia.

5. Quia Hebr. 12. 18. Ecclesiam per montem intelligens ait. *Non accessistis ad montem tractabilem & accessibilem.* Resp. Si per quemvis montem debet intelligi Ecclesia, etiam per montem Gelboë maledictum &c. De lege ergo est sermo, & nomine montis intelligitur Sinai in quo lex data vetus: nova autem de cœlo allata ut patet ex v. 22. ubi apponit. *Sed accessistis ad Jerusalem cœlestem, multorum millium frequentiam.* &c.

6. Quia 1. Petr. 2. dicit *Tanquam lapides vivi, superædificamini domus spiritualis.* Resp. Ita spiritualis, sicut dicitur. *Vos qui spirituales estis.* Item 1. Cor. 10. Manna fuit spiritualis cibus, tamen videbatur. Spiritualis dicitur Ecclesia, quia desiderat omnes spirituales non animales, & qui rebus spiritualibus intendant. Manna verò fuit res spiritualis, quia ad res spirituales designandas ordinata.

CONTROVERSIA XX.

De Fidelibus constituentibus Ecclesiam.

PARS PRIOR

Non soli Electi sunt in Ecclesia. Est Catholicorum.

1. QUia Matth. 3. 12. Ecclesia comparatur areæ in qua sunt grana & paleæ, Matth. 21. Comparatur nuptijs quibus interfuit non habens vestem nuptialem. Matth. 25. Decem Virginibus quarum aliquæ fuerunt fatuæ 2. Tim. 2. 20. Domui in qua sunt aurea & fictilia vasa.

PARS POSTERIOR

In Ecclesia soli sunt Electi. Est Dissidentium.

1. QUia Ecclesia comparatur arcæ Noë in illa autem fuerunt soli Electi Resp. In Arca Noë fuit & Cham, & & animalia immunda. In hoc autem solo comparatur Ecclesia illi arcæ, quòd sicut extra arcam omnes periêrunt, ita extra Ecclesiam.

2. Quia de Ecclesia dicitur Ephes. 5. 27. *Ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Resp. Tamen 1. Cor. 5. Inventus est in Ecclesia incestuosus, & v. 11. avari, ebriosi.

3. Quia Ecclesia est Ovile Christi, soli autem Electi sunt oves. Resp. Ubi Joan. 10. vocatur ovile, ibidem alias oves additur quæ non sunt ex hoc ovili, & quasdam rapi à lupo. Et Matth. 10. 6. dicitur. *Oves periêrunt de domo Israël.* Sunt & hœdi in hoc ovili, quos Matth. 25. 32. segregabit in die judicij ab ovibus. Fuit in Ecclesia Judas & non fuit ovis: fuit Simon cùm credidit, Nicolaus &c. neq; oves fuerunt.

4. Quia 1. Joan. 2. 19. De lapsis in hæresim dicitur. *Ex nobis prodiêrunt, non erant ex nobis.* Resp. Imò si ex nobis prodiêrunt, fuerunt in nobis, sed non permanserunt in nobis. Non erant autem *ex nobis*; quia non fuerunt ex Electis.

CONTROVERSIA XXI.

De Stabilitate Ecclesiæ.

PARS PRIOR.

Ecclesia non potest deficere. Est Catholicorum.

1. QUia Matth. 16. 18. de Ecclesia dicitur. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Prævalerent verò si deficeret.

2. Quia Matth. ult. 20. promittit Christus Ecclesiæ. *Ero vobiscum usq; ad consummationem mundi.* Ergo & illi erunt cùm quibus futurus est Christus.

PARS POSTERIOR.

Ecclesia potest deficere, & defecerat. Est Dissidentium.

1. QUia vetus Synagoga defecerat Exod. 32. 4. *Omnes adoraverunt vitulum.* Itaq; lapsi in idololatriam cessaverunt esse Ecclesia. Resp. Ibi summitus *omnes* pro *maxima parte.* Nam Moyses caput Ecclesiæ non adoravit, neq; Levitæ adorârunt.

2. Quia 3. Reg. 19. defecit Synagoga, ut queritur Elias, & v. 10. dicit se solum relictum. Resp. Solam defecisse Samariam, sed & Prophetis solùm fuisse Eliam, qui Jezabel evasit gladium; ex alijs veró superfuerunt fideles centum quinquaginta viri.

3. Quia

3. Quia Isai 1. 3. de toto Israël dicitur. *Israël non cognovit me.* & Jer. 2. 29 *Omnes dereliquerunt me.* Resp. Per *omnes* intelligi *plurimos*. ita Ezech. 9 4. *Omnis domus Israël* &c. & tamen multi fuerunt, quos jussit signari literâ *Tau.* Ita Gen. 6. 13. *Omnis caro corruperat viam suam*, & tamen Noë cum suis fuit incorruptus. Isaias non loquitur de Juda qui mansit fidelis, sed de solo Israël.

4. Quia 2. Paralip. 15. 3. *Transibunt multi dies in Israël absq; Deo vero, & absq; Sacerdote, Doctore, & absq; lege.* Resp. Tamen antecedenter excepit ab hoc Judam & Beniamin.

5. Quia Luc. 18. 8. *Putas quòd Filius hominis veniens inveniet fidem.* Itaq; fides deficiet, & consequenter Ecclesia. Resp. De plurimis id dici non de omnibus, sed de plerisq; dici; ita patet ex S. Paulo 2. Thes. 2. 3. ubi dicit venturam discessionem; si discessio, ab aliquibus futura est discessio

CONTROVERSIA XXII.

De Sanctitate Ecclesiæ.

PARS PRIOR

Sanctitas est nota Ecclesiæ. Est Catholicorum.

1. QUia Matth. 13. 20 de Ecclesia dicitur similis homini semen bonũ in agro seminanti, licèt deinde per malitiã creverint zizania; itaq; est triticum in Ecclesia, sive personæ sanctæ licét inter illas inveniantur & malæ.

2. Quia Luc. 1. 74. *In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Joan. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Tit. 2. 14. *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* 1. Petr. 2. 9. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, populus acquisitionis &c.*

3. Quia doctrinam habet sanctam. Psal. 118. *Lex Domini immaculata &c.*

4. Quia fructus sanctitatis in Ecclesia reperiuntur, qui sunt obser-

obſervatio mandatorum juxta illud Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Caſtitas. *Sunt Eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei.* Voluntaria paupertas, ibid. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, fratres, &c.* Mortificatio. Gal. 5. 24 *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* & 1. Cor. 9. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* Hebr. 11. 37. *Circuiêrunt in melotis &c.*

PARS POSTERIOR

Non eſt nota Eccleſiæ Sanctitas. Eſt Quorundam.

NUlla ſcriptura profertur, ſed ſolùm aſſerunt puritatem verbi Dei eſſe notam Eccleſiæ, quod eſt diverſum à propoſito.

CONTROVERSIA XXIII.

De *Infallibilitate Eccleſiæ.*

PARS PRIOR

Eccleſia in doctrina de fide & moribus errare non poteſt. Eſt Catholicorum.

1. QUia Chriſtus præcepit ut audiatur Eccleſia Matth. 18. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Si verò poſſet errare, Chiſtus hoc non præciperet Luc. 10. 16. *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.*

2. Quia deciſio Eccleſiæ eſt deciſio Spiritûs 1. Act. 15. *Viſum eſt ſpiritui S. & nobis.*

3. Quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, quòd illam regit. Epheſ. 1. 22. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Unde Apoſtolus nomine Chriſti exercet manus Paſtoris 1 Cor. 5. 4. *In nomine Domini noſtri JESU Chriſti congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini noſtri JESU, tradere hujusmodi Sathanæ &c.*

4. Quia 1. Tim. 3. Eccleſia eſt *Columna veritatis.*

PARS POSTERIOR

Eccleſia poteſt errare in doctrina de fide & moribus.
Eſt Diſſidentium.

1. QUia 3. Reg. 22. Omnes Prophetæ, qui erant quadringenti erraverunt, præter Micheam. Resp. Erraverunt non circa fidem aut mores ad salutem spectantes. sed prædicendo victoriam: præterea non erant hi Prophetæ Dei, sed Baal.

2. Quia Isai 16. 10. de Ecclesia dictum. *Custodes ejus cœci omnes.* Resp. Erant circa se cœci vitia sua non videndo, non autem falsi aliquid docendo.

3. Quia tota Synagoga erravit Christum occidendo. Resp. Non tota, quia Joseph ab Arimathæa non consenserat in mortem Christi. Luc. 13. 51. Nicodemus Joan. 19. 39. Gamaliel Act. 5. præterea cum illa Ecclesia desinebat.

4. In Passione Christi omnes discipuli defecerunt. Resp. Defecerunt in fide non tota, sed circa resurrectionem Christi, qui articulus eo tempore nondum sufficienter fuit propositus.

5. Quia Jerem. 4. 5. monet. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, Templum Domini.* Resp. Sermonem esse de templo materiali propter quod Judæi putabant se à Deo deseri non posse: non est autem sermo de doctrina Ecclesiæ.

CAPUT VI. DE CAPITE ECCLESIÆ.

CONTROVERSIA XXIV.

De Uno qui regat Ecclesiam.

PARS PRIOR

Unus debet esse qui regat Ecclesiam. Est Catholicorum.

1. QUia Synagoga ab uno regebatur.

2. Quia illa quibus comparatur Ecclesia ab uno reguntur Cant. 6. 3. & 9. exercitui. hic ab uno regitur. Comparatur regno. Dan. 2. 44. hoc uni paret. Comparatur uni Ovili cujus unus Pastor est. Joan. Comparatur familiæ cujus est unus Paterfamilias. Luc. 12. Similiter Domui 1. Tim. 3. 15. Arcæ Noë quam unicus Noë regebat 1. Petr. 3. 21.

3. Quia unicus à Christo Pastor Ecclesiæ constitutus Joan. 21. 15. Supra unum ædificata est Ecclesia Matth. 16. 18.

PARS POSTERIOR

Non debet esse Unus qui regat Ecclesiam. Est Dissidentium.

1. Quia sine Rectore aliquo potest esse Ecclesia, ut patet apud Catholicos dum moritur Pontifex, itaq; & aliàs id fieri potest. Resp. Etiamsi in Regnis non moriatur, & sint brevi tempore absq; Rege, non ideò jam nunquam debent habere Regem.

CONTROVERSIA XXV.

De S. Petro.

PARS PRIOR

S. Petrus fuit caput Ecclesiæ.

1. Quia ille est constitutus Pastor Ecclesiæ à Christo Joan. 24. 15. supra Petrum ædificata est Ecclesia Matth. 16. 18. Petræ autem nomine debet accipi Petrus supra quem structa Ecclesia, juxta S. Aug. serm. de Cath. Petri & serm. 16. de Sanctis.

PARS POSTERIOR

S. Petrus non fuit caput Ecclesiæ. Est Dissidentium.

1. Quia si fuisset S. Petrus caput Ecclesiæ, fuisset Romanæ. Sed 1. Romæ nunquam fuit S. Petrus. Resp. Fuit Romanæ Ecclesiæ caput S. Petrus. Resp. Ostendatur ergo ubinam alibi sit crucifixus. Præterea per nomen Babilonis Romam intelligit S. Petrus, ut ipsi agnoscunt Dissidentes. At verò 1. Petr. 5. *Salutat vos Ecclesia quæ est Babilone collecta, & Marcus Filius meus.* Itaq; Romæ scripsit hanc Epistolam. 2. Quia Romana Ecclesia non est vera Ecclesia. Resp. Habet notas veræ Ecclesiæ: quæ sunt Sanctitas, de qua Controv. 22. Unitas, per se patet Universalitas. Nam ad Rom. 1. *Vestra fides prædicatur in universo mundo.* Hoc ipsum probat ex professo S. Aug. toto lib. de Unitate Ecclesiæ tom. 7. á pag. 141.

ad 160. edit. Parisien. edit. verò Basilien. tom. 11. littera Y. contra Donatistas, de ea autem Ecclesia agit in qua ipse fuit. Confitetur id S. Maximus epist. ad Petrum Illustrem. *Beatissimus Pater SSmæ Ecclesiæ Romanæ, hoc est sedis Apostolicæ, ab ipso Verbo Dei incarnaato, sed & ab omnibus S. synodis, juxta SS. Canones & limites omnium quæ sunt in mundo Ecclesiarum Dei, in omnibus rebus & omni modo, accepit & habet superioritatem, authoritatem, & potestatem, ligandi & solvendi.*

2. Christus est caput Ecclesiæ Eph. 4. itaq; non Petrus. Resp. Etiam Christus erat *lux mundi* Joan. 8. 12. & tamen etiam Apostoli erant lux mundi. Matth. 5. 14. Est *fundamentum*. 1. Cor. 3. 11. & tamen etiam Apostoli fundamentum. Ephes. 2. 20. ita ipse Pastor, & tamen etiam Pastor Petrus. Caput est Christus etiam de facto quoad internos influxus gratiæ, & hoc modo etiam Petrus ejus erat menbrum: Rom. 12. 5. Sed non est caput de facto quoad externam gubernationem, quia hoc Petro commisit.

3. Quia Christus noluit inter Apostolos esse quenquam Regem aut Principem. Luc. 22. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Et addit. *Qui major inter vos, fiat sicut minor.* Et seipsum in exemplum adduxit. Resp. Tamen Christus inter illos major erat, voluit ergo solùm ambitum dominandi regaliter amovere, non autem prohibuit, quin aliquis esset major.

4. Omnes Apostoli erant æquales. 1. Nam omnibus æquè dictum Joan. 20. 21. *Ecce ego vos mitto* &c. Omnibus Matth. 18. 18. *Quodcunq; solveritis super terram.* Resp. Sed non omnibus *Super hanc Patram ædificabo Ecclesiam meam.* Non omnibus, *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Non omnibus *Pasce oves meas &c.* sed soli Petro. 2. Quia hanc æqualitatem agnoscit S. Cypr. tract. de Unit. Eccles. *Hoc erant utiq; cæteri Apostoli quod erat Petrus, pari consortio prædito honoris, & potestatis.* Resp. Hoc loqui Cyprianum de Petro considerato antequam constitueretur Pontifex ut patebit legenti.

5. Quia Gal. 2, 5. Non agnovit S. Paulus in Petro superioritatem

titatem. Et ibid. v. 11. illi contradixit. Et cap. 2. 7. *Creditum mihi Evangelium præputij, ficut & Petro circumcifionis.* Et cùm Ephef. 4. 4. & 1. Cor. 12. 27. defcribit Hierarchiam Ecclefiafticam non meminit Petri, quem non omififfet, fi effet caput. Refp. Etiam Gal. 2. 2. Afcendit Jerofolymam ad Petrum ut conferret de Evangelio ne in vacuum curreret, non agnovit fuperioritatem falforum Fratrum fic enim eo loc dicit *Propter fubintroductos falfos Fratres &c. quibus nec ad horam ceffimus fubjectione* &c. verfu 11. Monuit Petrum non tamen ut fuperior, poteft enim & inferior monere prudenter: ita & Joab Davidem. Neq; fe comparat Petro Gal. 2. 7. nam Pauli non funt omnes Gentes, Act. enim 10. Primus Petrus cœpit baptizare Gentes. & Matth. ult. 19. etiam alij Apoftoli funt miffi ad Gentes ut patet etiam ex Act. 9. 15. Sed datū fibi dicit Evangelium Gentium, quia fpecialiter circa Gentes laboravit. In defcriptione Hierarchiæ Ecclefiafticæ non meminit unius capitis, quia Ecclefiam defcribit fub figura corporis humani, quod fi fit vifibile, nemo dubitat caput habere vifibile, neq; de hoc de quo non dubitabant inftruendi erant aut Ephefij aut Corinthij. Cœterùm omni tempore agnofcebat Ecclefia Petrum fuum fuiffe caput. S. Aug. tom. 4. quæft. 75. *Petrum conftituit Dominus caput, ut effet Paftor Dominici gregis.* Ambr. in 12. cap. 2. ad Cor. *Primatum non accepit Andreas fed Petrus.* Hieron. lib. 4. in Jovinian. *Inter duodecim unus eligitur ut capite conftituto Schifmatis occafio tolleretur. Cur non Joannes electus eft? Quia Petrus Senior erat.* Chryfoft. hom. 11. in Mat. *Petrum univerfo orbi terrarum Chriftus præpofuit.* Quòd in fede Romana fedit Petrus Aug. lib. 2. cap. 11. contra Petilianum. *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclefiæ in qua fedit Petrus, in qua nunc fedet Anaftafius, quibus nos Catholicâ unione connectimur.* Hieron. epift. ad Domafum Papam. *Cum fucceffore Pifcatoris tecum & cum Crucis difcipulo loquor, ego Beatitudini Tuæ, id eft cathedræ Petri communione confocior.*

6. Quia Petrus inferior cæteris Apoftolis. Nam Act. 8. *Cùm audiviffent Apoftoli quòd Samaria recepiffet verbum Dei, mi-*

ſerunt ad eos Petrum & Joannem. Reſp. Etiam Pater æternus miſit Filium, & Filius Spiritum S. tamen nec Filius Patre inferior, nec Spiritus S. Filio. In Scriptura enim *mittere* non ſignificat Superioritatē, ita Joſve 2. Filij Iſraël miſerunt ad inveſtigandū de quodam altari Phineen, quo non erant Superiores, patet enim ex 1. Paralip. 9. Phineen fuiſſe Summū Sacerdotem.

7. Quia Gal. 3. Petrus Paulo dedit dexteram, itaq; non agnoſcebat ſe illo ſuperiorem. Reſp. Junctio dexteræ ſignificat æqualitatem in Apoſtolatu non in primatu.

8. Quia Act. 1. Electionem Matthiæ in Apoſtolatum non exercuit Petrus, ſed permiſit. Reſp. Eligere in Apoſtolum non eſt munus Pontificis, ſed Dei, neq; alij Apoſtoli elegerunt, ſed cum Petro orârunt, ut Deus eligeret.

9. Quia Aug. lib. 1. retract. cap. 21. illa verba: *Tu es Petrus ſuper hanc petram* &c. explicat *Per petram non Petrum ſed Chriſtum intellige.* Reſp. epiſt. 162. & 92. Petrum vult intelligi per petram, & in retract. l. c. non id aſſerit, ſed refert alienam ſententiam dubitantium, an ex eo loco poſſit inferri Petrum eſſe caput Eccleſiæ. Petrus & petra in Græco idē ſunt. Syriacè etiam Cephas tam Petrum quàm Petrum ſignificat. Ita S. Hieron. in Gal. 11. lingvarum harum peritisſimus. Levinus interpres maſculinum Petrus dedit *Petro*, fæmininum *Petra* Eccleſiæ. Et ita Gregor. Nazianz. orat. de moder. Athanaſ: epiſt. ad Felicem. Chryſoſt. homil. 55. in Matth. Cypr. epiſt. ad Julianum. Hieron. ad Damaſum epiſt. 57. Aug. in Pſal. conrra partem Donati, quòd ſcilicet hoc loco per Petram intelligatur Petrus. Verba ſunt Chriſoſt. in 16. Matth. hom. 55. *Ego tibi dixi, tu es Petrus, & ego ſupra te ædificabo Eccleſiam meam.* Græca Eccleſia in trifolio 29. Jun. in parvis Veſperis. *Petra fundamentum Apoſtolorum, lapis Eccleſiæ ab initio.* In magnis verò Veſp. pro S. Petro & Paulo. *Quibus vos ſertis coronabimus Petre & Paule &c. Dei prædicatores illum tanquam Principem, à quo regimen & poteſtas incipit, tanquam proëxarchon quem ſupra gregem conſtituit pimenarchos*, id eſt

primus Paſtor Chriſtus. Idem confirmat, quia Petro datæ ſunt claves Matth. 16. per claves autem poteſtas ſummi Sacerdotij ſignificatur. Iſai. 22. *Dabo* Eliacim ſummo Sacerdoti *clavem domûs David, & aperiet, & non erit qui claudat.* Per clavem ſignificatur ſummum Chriſti Sacerdotium, cùm de illo dicitur Apoc. 3. *Qui habet claves David, qui aperit & nemo claudit.* Confirmat item, quia Joan. 21. dictum Petro: *Paſce oves meas*, in Græco legitur *paſce, rege*; & in Pſal. *Reges eos in virga ferrea*, pro *reges*, in Hebr. *paſces*; proinde idem eſt paſcere ac regere, & cùm dicitur Petro paſce, proinde eſt, ac ſi diceretur *rege.* Unde Chryſoſt. in ult. Joan. *Cæteris omiſſis ſolùm Petrum alloquitur, curam ei committit Fratrum ſuorum.* & lib. 2. de Sacerdot. *Petrum authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquis item Apoſtolis præcellere.* & homil. de pœnitent. *Petro Eccleſiæ primatus, & gubernatio, quæ per univerſum mundum eſt, concredita.* & Cypr. de Unit. Eccleſiæ. *Petro poſt reſurrectionē ſuam dicit: Paſce oves meas, ſuper illum unum ædificat Eccleſiam ſuam.* Aug. tr. 123. in Joan. alludendo ad trinam Petri negationem & trinam confeſſionem. *Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem ejus.*

10. Quia etiam alijs Prælatis Eccleſiæ commiſſus eſt grex Chriſti. 1. Petr. 1. *Paſcite gregem qui inter vos eſt.* Reſp. Non totum gregem ut Petrus. *Sed qui inter vos eſt.* Petri ſucceſſores ut ex eorum Epiſtol. patet hanc uiverſalitatem retinebant & per ſucceſſionem à Petro ſe accepiſſe teſtati. Clemens. Epiſt. 1. Anacl. epiſt. 3. *Hanc S. Romanam Eccleſiam non ab Apoſtolis ſed ab ipſo Salvatore primatum obtinuiſſe.* Julius I. epiſt. ad Orient. quæ extat in Apolog. 2. Athanaſij. Evariſtus epiſt. 1. Lucius, Marcellus, Melchiades, Marcus &c. Julius Gelaſius in Concilio LXX. Epiſcoporum, udi dixit: *Romana Eccleſia multis Synodicis conſtitutionibus præclara eſt cæteris, ſed voce Domini primatum obtinuit.* Concilia Nicen. Calced. Sed & Ignatius epiſt. ad Rom. Iren. lib. 3. cap. 3. Cypr. epiſt. 15. Athan. in eo epiſt. quam cum Epiſcopis Ægypti ſcripſit ad Marcum. Optat. lib. 3. contra Parmen. Hieron. lib. 1. contra Jovian. ſed & Prudentius.

Sedes Romana Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

II. Quia Greg. damnat titulum Oecumenici seu universalis Pastoris. Resp. Sed non damnat Universalis Ecclesiæ, quia prior titulus excludit alios Pastores, posterior non excludit.

CONTROVURSIA XXVI.

De Majestate Pontificis.

PARS PRIOR

Pontifex potest ferre Coronam auream, & admittere pedum oscula, &c. Est Catholicorum.

I. QUia Exod. 28. 36. Jussu Dei usus corona Aaron: at illud sacerdotium solùm fuit umbra nostri. Quòd verò illa corona fuerit triplex, testatur Josephus lib. 3. antiq. c 7. ubi etiam illam asserit fuisse auream. Meminit ejus Ammianus Marcellin. lib. 29. Prætera si corona aurea non obest sanctitati Cæsarum & Regum, neq; oberit sanctitati Pontificum:

2. Oscula etim pedum admittere potest, quia de hoc Isai. 49. 23. prophetavit. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Ita & Christus à Magdalena osculum pedum & Act. 4. ad pedes Apostolorum abjiciebant pecunias Christiani ex reverentia, ut docet Chrysost. hom. II. in Act.

PARS POSTERIOR

Non potest Pontifex Coronam deferre, oscula pedum admittere &c. Est Diffidentium.

I. CHristus non habuit comitatum. Resp. Comitatus Christi pro eo tempore tam honoratus fuit, quàm esse poterat: nam plures quàm 80. viri eum antecedebant & sequebantur, scilicet discipuli 72. Apostoli 12. &c. Nobiles in comitatum non admisit, quia fugiebat suspicionem affectati regni. Et certè si Pilatus & Herodes in eum credidissent, etiam secuti fuissent, sed si hoc factum fuisset, nunquam Dominum glo-

gloriæ crucifixissent, & sic fuisset impedita redemptio. Odorem etiam nardi non rejecit, & honorem sepulturæ. Episcoporum modò domus sunt scholæ nobilis juventutis. Abusus personarum est vitium, non status.

2. Quia Paulus ad Timoth. dicit. *Nemo qui militat Deo, sæcularibus se implicat negotijs* Atqui tantam aulam alere, prædia habere est implicare se negotijs sæcularibus. Resp. Aliud esse, suæ rei attendere, aliud se negotijs implicare. Paulus pro sua utilitate manibus laborabat, idem fecisset pro publica, si opus fuisset.

3. Diversæ sunt res status civilis & sacerdotalis. Ergo Pontifex non debet attingere negotia civilia. Resp. Etiam Medicina & Jurisprudentia sunt res diversæ, non raro tamen in eodem homine reperiuntur. Sic Moyses simul erat Princeps & sacerdos, Melchisedech Rex erat Salem. Heli, Samuel, simul Judices, & Sacerdotes. Addo obiter. Cur etiam in Polonia sacerdotes non spectent ad Comitia cum in ijs salus & incolumitas Ecclesiarum tractetur? nam cadente Repub. Ecclesia non stabit. Prophetæ ipsi multa scripserunt quæ pacem Reipub. spectabant, imò nihil statui solebat inconsultis Prophetis & sacerdotibus. Sed & Ministri Dissidentium n exercent opificia sine dispendio sui ministerij.

4. Saltem Pontifex non deberet pœnas exercere in Dissidentes circa fidem. Resp. 1. Tim. 1. 20. Paulus Hymæneum & Alexandrum qui dissidebant in articulo resurrectionis tradidit Sathanæ. Deut. 13. 1. 5. *Si surrexerit in medio tui Propheta, qui somnium se vidisse dicat, &c. Propheta ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro.* Legatur totum caput. Neq; obstat quòd Dissidentes allegant 1. Quia Isaiæ 11. 9. *Non nocebunt, neq; interficient in universo monte sancto meo.* Resp. Esse sermonem de aspide & regulo, qui notant hæreticos, & promittitur quòd hi non conficient Ecclesiam. 2. Quia Lucæ 9. 55. Increpat Christus Jacobum & Joannem, qui volebant ultionem sumere de Samaritanis. Et Joan. 18. Petrum quòd sumpserit gladium.

Resp. Petrus eo tempore, & illi duo fuêre privati, non Pontifices. 3. Quia dictum. *Sinite utraq; crescere usq; ad messem.* Resp. zizania debere tolerari quando est periculum, ne cum illis eradicetur triticum: quia potior habenda ratio boni conservandi, quàm mali extirpandi.

CAPUT VII. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

CONTROVERSIA XXVII.

De Effectu Sacramentorum qui est gratia.

PARS PRIOR

Sacramenta novæ legis verè conferunt gratiam. Est Catholicorum.

1. QUia per Baptismum renascimur, quod est dicere, atq; gratiam vivificam accipimus. Joan. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cælorum.* Tit. 3. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. Petr. 3. 21. *Salvos facit Baptisma.* Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Act. 22. 16. *Exurge & baptizare & ablue peccata tua.* Neq; dici potest, quòd Baptismus solùm excitet fidem, ut patet ex allegatis textibus: præterea, antequam baptizatur aliquis habet fidem *Matth. ult. Docete omnes gentes baptizantes eos. &c.* Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Priùs est credere & docere, quàm baptizare & baptizari. Priùs in Act. Eunuchus credidit quàm baptizatus. Nam cùm dixisset. *Ecce aqua &c.* Priùs interrogavit Philippus. *Si credis ex toto corde.* Ita & Act. 19. 2. Baptizabantur qui jam à Joann. edocti fuerant fidem, & baptizati. Nam Joannes docuit, *in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in JESUM.*

2. De Confirmatione dicitur Act. 8. *Cùm vidisset quòd per impositionem manuum daretur Spiritus S.*

3. Quia de Eucharistia Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me.*

4. De

4. De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remit tuntur eis.*

5. De Ordine 2. Tim. 9. *Reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.*

6. De Extrema Unctione Jacob. 5. *Oratio fidei ſalvabit infirmum, alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Oratio fidei,* quia forma hujus Sacramenti fit per Orationem fidelem.

7. De omnibus ſacramentis Auguſt. enarrat in Pſal. 73. ex traditione Eccleſiæ: ubi hanc ait differentiam inter vetera, & nova Sacramenta. *Vetera promittebant Salvatorem, nova dant ſalutem.*

8. Quia de Baptiſmo quòd conferat gratiam paſſim docent SS. PP. nec eſt diverſa ratio de alijs cùm æquè Sacramenta, & Baptiſmus non aliunde conferat, quàm quòd ſit Sacramentum. Juſtinus M. in Apolog. ad Anton. poſtquam dixit. *Neminem adduci ad Baptiſmum niſi qui priùs crediderit* addit *remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequi per aquam.* Clemens Alex. lib. Pædag. cap. 1. *Baptiſmum vocari lavacrum, quia per eum peccata abſtergimus.* Baſil. lib. de Spiritu S. cap. 12. *Inenarrabilem virtutem eſſe, per quam materiale ſignum animam ſanctificat.* Et cap. 15. *Quòd aqua depurget animam, non eſſe ex ipſius natura, ſed ex Spiritûs præſentia.* Gregorius Nyſſen. lib de Baptiſmo. Quomodo Baptiſmus ſit cauſa regenerationis, explicans: comparat jam Virgæ Aaroni quæ miracula faciebat, jam ſemini quod juxta eum eſt cauſa efficiens hominis. Chryſoſt. homil. 24. & 25. in Joann. *Quod eſt matrix embroyni, hoc Fidelibus aqua, nam primò dictum, producant aquæ reptile vivum. Ex quo autem Chriſtus alveum Jordanis ingreſſus eſt, animas rationales & ſpirituales producit ſcilicet quoad gratiam.* Cyrill. Alex. lib. 2. in Joan. *Spiritum S. per Baptiſmum acquiri, quo in priſtinam pulchritudinem reformati, & ad novam vitam renati, in Filios Dei adoptamur.* S. Cypr. lib. 3. epiſt. 5. docet eſſe infantes baptizandos ut peccati remiſſionem accipiant. Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Non omnis aqua ſanat*

sed ea quæ habet gratiam Christi, nec sanat gratia nisi Spiritus S. descenderit, & aquam consecraverit. S. Leo serm. 5. de Nativit. Domini. *Virtus Altissimi quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.* Optatus Milevit. lib. 5. contra Parmenian. *Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam.* Conc. Nicœnum. *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

PARS POSTERIOR

Sacramenta novæ legis non conferunt gratiam. Est Dissidentium.

1. QUia sicut scriptura tribuit Sacramentis vim conferendi gratiam: ita tribuit Evangelio: Sed Evangelium confert ratione fidei, itaq; & Sacramenta ratione fidei quam excitant. Patet prima propositio ex Rom. 1. *Est virtus Dei in salutem omni credenti* Resp. Dici ibid. *Est virtus in eo, & revelatur justitia Dei de fide in fidem*, in quo replicat quomodo Evangelium conferat gratiam, scilicet per fidem. At in Sacramentis sine mentione fidei absolutè dicitur. Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Per hæc Deus dimittit peccata ut Isai. 43. 11. *Ego sum qui deleo peccata.*

2. Quia Sacramentum nihil est aliud nisi sigillum obsignans promissiones Christi, itaq; ex se non confert gratiam, sed ratione fidei quam excitat. Resp. Id nullibi esse scriptum. Et 1. Cor. 6. 11. Ephes. absolutè dicit, Baptismo sumus *sanctificati, justificati.* Hoc verò non est sigillum. Baptismo *abluti*, hoc verò non est testari. In infantibus etiam & amentibus non potest alere fidem Baptismus. Neq; Scramenta sunt signa electionis. Nam Simon Magus habuit Baptismum, neq; fuit electus.

3. Quia Circumcisio Abrahæ vocatur signaculum justitiæ Rom. 4. 11. Hæc verò fuit Sacramentum. Resp. Ibid. dicitur, quòd signabat futurum, *ut sit Pater multarum gentium*, præterea *signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio* & istam promissionem meritus est ibid. v. 14.

per

per justitiam fidei unde circumcisio non fuit signaculum Fidei, sed obsignabat Dei promissiones, neq; de illa ita dictum quòd conferret gratiam, atq; de novis Sacramentis. Præterea etsi circumcisio Abrahæ in signum dictæ promissionis, non tamen dabatur alijs ad hoc signandum. Deniq; Gal. 4. 9. Sacramenta vetera fuêre infirma & egena elementa.

4. Quia Joannis Baptismus excitabat fidem. Resp. Quia non erat Sacramentum non enim baptizabat in spiritu & igne.

5. Baptismus est miraculum. Resp. Visis miraculis Gentes conversæ ad fidem, nullus autem viso Baptismo est conversus.

6. Quia Aug. tr. 55. in Joan. *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quod dicitur, sed quod creditur?* Itaq; Baptismus ex fide suscipientis confert gratiam. Resp. Etiam infantium, amentium abluit corda, tamen isti non possunt credere. Virtus ergo Baptismi est ex fide verborum, id est, ex significato, non ex sono: nam ibid. additur. In ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud verbum manens.

CONTROVERSIA XXVIII.

De Charactere Sacramentali.

PARS PRIOR.

Quædam Sacramenta imprimunt Characterem, ut Baptismus, Confirmatio, Ordo. Est Catholicorum.

1. Quia Ephes. 1. dicitur. *Signati estis credentes Spiritui promissionis sancto.* In Græco. *Sigillati estis.* de quo S. Aug. epist. 44. ad Donatistas desertores veræ Fidei. *Characterem Dominicum portatis quem accepistis in Sacramento, sed erratis, & peritis:* in his non erat gratia, fuit tamen character, qui est inamissibilis. Epes. 4. *Nolite contristare Spiritum Dei in quo signati estis in diem redemptionis.* Quod Hieron. sic explicat. *Signati in Spiritu Dei, ut in spiritu nostro & anima imprimatur Dei signaculum, & illam recipiamus imaginem ad quam ab initio conditi sumus: hoc signaculum Deo imprimente significatur.*

2. Quia 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat vos nobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus, qui & signavit nos & dedit pignus in cordibus nostris.* Per *unxit nos* significatur gratia, unde per *signavit* debet aliud significari. Ambr. lib. 1. de Spiritu *S.* cap. 6. *Spiritu signamur, ut splendorem; atq; imaginem, & gratiam ejus tenere possimus.* Ex quo etiam patet, quod aliud sit signum, aliud gratia. Per *signavit* characterem, intelligunt Ambr. lib. c. Cyrill. Jerosol. cathech. 17. Haymo, Theodoretus.

3. Quia ita fuit creditum in Ecclesia antiqua. Hoc enim ab universa Ecclesia credebatur tempore S. Aug. ut testatur lib. 6. de Bapt. contra Donatistas cap. 1. ita Concil. Toletanum VIII. cap. 7. Innocent. III. in cap. *Majores.* Aug. lib. 2. contra epist. Parmenion. *Non minùs hærent Sacramenta Christiana, quàm notæ corporales, cùm videmus nec Apostatas carere illis, quæ propterea illis resipiscentibus non restituuntur, quia tolli non poterant.*

4. Agnoscit in Baptismo imprimi characterem Aug. epist. 50. ad Bonifac. & ex eo infert illum non posse iterari. Et in Joan. tr. 5. *Baptizatus est, etsi characterem non habeat, characterem quidem impressum habet, & tamen desertor vocatur.* Et lib. 2. epist. Parmeniani. Characterem Baptismi comparat tesseræ militari. Agnoscit idem in Confirmatione imprimi lib. 2. contra literas Petiliani: ubi de illa ait. *Sacramentum Christiano sicut & Baptismi semel datum manet etiam in pessimis.* Cyrill. Jerosol. cathech. 3. *Spiritus S. obsignavit animas nostras in militiam magno Regi.* Eph. 1. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis, qui pignus est hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis*: quæ verba Dionys. Hierarch. cap. 2. & Beda in hunc locum de charactere Confirmationis intellexerunt: quia dicitur, *Credentes signati in laudem gloriæ ipsius.* ad promissionem scilicet Fidei ad Deum glorificandum, quæ est intentio Confirmationis, sicut explicat S. Ambr. lib. 1. de Spiritu S. cap. 6. Characterem Ordinis agnoscit S. Aug. lib. de bono conjugij cap. 14. *Licet quis ob culpam ab officio* sacerdotij *removeatur sacramento tamen Domini semel imposito non*

care

carebit. Similia habet lib. 2. contra Petilian. cap. 13. & in serm. de rebus gestis cum Emerito, sed & 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, & per impositionem manûs præsbiterij.* Quæ verba Basil. non de gratia sanctificante, quæ in aliorum bonum non ordinatur sed de signaculo sive charactere accipit.

PARS POSTERIOR

Nulla Sacramenta Characterem imprimunt. Est Dissidentium.

1. QUia veteris legis Sacramenta non imprimebant characterem. Resp. Quidquid sit de illis; de nostris habemus testimonium scripturæ, fidem totius Ecclesiæ.

CONTROVERSIA XXIX.

De numero Sacramentorum.

PARS PRIOR

Sacramenta sunt septem. Est Catholicorum.

1. QUia ita credidit & credit universalis Ecclesia; hanc fidem professi Latini ac Græci, Armeni in Conc. Florentino quod patet ex literis Eugenij, & totidem Patres docuerunt. *Contra consensum verò Ecclesiæ disputare, insolentiæ est: negare verò, insaniæ* ut docet Aug. epist. 118. ad Innocentium: de singulis verò sacramentis, licet non sub hoc nomine, habemus scripturas, & quidem Baptismum & Eucharistiam, licet nullibi à scriptura vocentur sacramenta, admittunt ut sacramenta Dissidentes, ita ut de illis non sit controversia.

De Confirmatione dicitur 1. Cor. 1. 21. *Qui confirmat nos Deus, & unxit nos, & signavit, & dedit pignus in cordibus nostris.* ubi omnes partes confirmationis exprimuntur: & esse hunc locum de Confirmatione testatur Ambr. Ansel. Theodoret. Act. 8. Apostoli *imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum S.* jam priùs baptizatis. Act. 39. est de eodem. Aug. lib. contra Petil. Confirmationem profitetur æquè esse sacramentum ac Baptismum.

De Pœnit. Joan. 20. *Quorum dimiseritis peccata dimittuntur eis.*

Ambr.,

Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 7. docet pœnitentiam esse æquè sacramentum ac Baptismum.

De Ordine Joann. 20. *Accipite Spiritum S, quorum dimiseritis peccata &c.* Et Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum præsbyterij,* & hoc sacramentum ut conferat alijs, non laico sed Episcopo reliquit. Tit. 1. 5. *Reliqui te Cretæ ut constituas per Civitates Præsbyteros.* Ordinem S. Aug. lib. 2. contra Parmenian. cap. 21. & lib. 10. contra Donatistas cap. 1. docet esse sacramentum ac Baptismum.

De Matrimonio Ephes. 5. *Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est.* Et S. Aug. lib. de bono conjugij vocat illud sacramentum, & Hieron. in Hebr. 13. *Macula non careret thorus nisi esset sacramentum.*

De Extrema Unctione Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent supra eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & Oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentuur ei.* Chrysost. lib. 3. de sacerd. confert illam Baptismo.

2. Ostendemus amplius esse ista sacramenta ubi de illis in particulari egerimus.

PARS POSTERIOR

Sacramenta non septem, sed duo, vel tria, vel quatuor, &c Est Dissidentium.

1. Quia nullibi est scriptum quòd sint septem sacramenta. Resp. neq; ullibi quòd sint Evangelia, aut libri Regum quatuor &c. neq; scriptum de Trinitate sub his terminis quibus eam confitemur. *Trinitas, tres personæ.* Satis est quòd res ipsa sit scripta: & non plura neq; pauciora inveniantur signa exteriora per quæ Deus confert gratiam.

2. Quia Apoc. 17. 7. Bestia septiceps per septem capita designat septem sacramenta. Resp. Si designat septem sacramenta, etiam Baptismum & Eucharistiam designabit, à quo certè & Dissidentes abhorrent.

3. Quia Cæremoniæ legis cessarunt, itaq; & sacramenta. Resp. Cessarunt illæ quia erant figuræ: non cessavit autem

quod

quod per illas figuratum est: ut dicitur 1. Cor. 10. 6. at de Eucharistia instruit 1. Cor. 11. & de alijs monet 1. Cor. 14. 40. *Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant* De Baptismo & Ordine Aug. lib. 2. contra Parmenian. cap. 13. Utrumq; sacracramentum est, & quadam consecratione utrumq; homini datur: illud cùm Baptizatur, istud cùm ordinatur, ideoq; in Ecclesia Catholica non licet utrumq; iterare. De Ordine S. Leo 1. epist. 81. ad Dioscor. cap. 1. Ubi ordinationes probat Sacramentum, & sic de coeteris. Præterea argumentum nullius momenti, quia etiam Baptismum & Eucharistiam tollit.

CAPUT VIII. DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

CONTROVERSIA XXX.

De Baptismi necessitate.

PARS PRIOR

Baptismus est necessarius etiam Natis ex Fidelibus. Est Catholicorum.

1. QUia Joann. 3. 5. universaliter dicitur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Quod respiciens S. Aug. lib. de peccat. cap. 10. docet etiam fidelium proles esse baptizandas.

PARS POSTERIOR

Baptismus non est necessarius natis ex Fidelibus. Est Calvinistarum.

1. QUia 1. Cor. 7. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioqui Filij vestri immundi essent, nunc autem sunt sancti.* Si hoc sequeretur ex hoc textu, non etiam sequeretur quòd vir infidelis habens uxorem fidelem, non egeret Baptismo, similiter mulier infidelis habens virum fidelem Baptismo non egeret; & primorum Judæorum Filij, quia nati ex fidelibus absq; Baptismo salvari fuissent, quia Rom. 11. 16. ex Patribus erant sanctis. Loquitur ergo ibi Apostolus de sanctitate

legali, quòd scilicet Filij nati ex tali matrimonio non sunt illegitimi, de quo solo Corynthij dubitabant.

2. Quia scriptum est. *Qui crediderit & baptizatus fuerit:* infantes verò credere non possunt, itaq; nec baptizari. Resp. Hoc argumentum non solùm natorum ex fidelibus, sed omnium infantium tollit Baptismum. Loquitur ille textus de adultis; præmittitur enim *docete omnes gentes*, scilicet de illis qui doceri possunt fidem, isti enim priùs credere debent quàm baptizari, tales autem non sunt infantes. Nihilominùs infantibus in Baptismo infunditur à Deo fides habitualis.

CONTROVERSIA XXXI.

De Sacramento Confirmationis.

PARS PRIOR

Confirmatio est verè Sacramentum.

1. QUia Act. 8. Imponebant manus Fidelibus & accipiebant Spiritum S. id est gratiam. Et Act. 19. Paulus *cùm imposuisset manus venit Spiritus S. super eum.* Unde Aug. lib. 3. de Baptismo cap. 16. & lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 104. *Hoc unguentum est Sacramentum Chrismatis, quod quidem in genere visibilium signaculorum sanctum est, sicut & ipse Baptismus.* Et Hieron. dial. contra Luciferianos. An nescis Ecclesiam etiam hunc servare morem, ut baptizatis manus imponantur, & ita invocetur Spiritus S.? exigis ubi scriptum est? in actis Apostolorum.

PARS POSTERIOR

Confirmatio non est Sacramentum. Est Dissidentium.

1. QUia impositionem manuum sequebatur Spiritus S. non ad gratiam sanctificantem conferendum, sed ad donum lingvarum & ejusmodi. Nam Act. 19. dicitur, eos quibus Apostoli manus imposuerunt varijs lingvis locutos, & prophetâsse. Resp. Omnibus per illam impositionem manuum dabatur Spiritus S. non omnibus donum lingvarum, aut prophetiæ: nam 1. Cor. 12. *Nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes loquuntur lingvis novis?* Accipere verò Spiritum S.

idem,

idem esse atq; accipere gratiam sanctificantem patet ex Rom. 5. *Charitas diffusa est per Spiritum S. qui datus est nobis.* Et gratiæ illæ, prophetiæ, lingvarum possunt esse apud eum qui non habet Spiritum S. ut patet ex 1. Cor. 13. possunt enim esse in peccatore, de quo Sap. 5. *Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum.* Et Gen. 6. *Non habitabit Spiritus meus in eis, quia caro sunt.* Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filji Dei.*

2. Quia Act. 19. ex quo loco Catholici probant Confirmationem, nulla est mentio Chrismatis atq; alapæ. Resp. Non omnia in scriptura simul eodem loco poni solent: nam neq; ibid. ponitur quòd Baptismus debeat præcedere Confirmationem. Satis est quòd alio loco sit mentio Chrismatis, ut est 2. Cor. 1. 22. *Qui confirmat nos & qui unxit nos Deus.* 1. Joan. 2. 27. *Et vos unctionem accepistis ab eo.* Olei verò usus erat in sacris unctionibus Exod. 30. 80. ubi Aaron & Filij ejus uncti oleo. 1. Reg. 16. 1. Samuel Davidem unxit oleo. Consecrationem autem olei in novo testamento ab Apost. institutam testatur Clemens Romanus in constit. Apostol. lib. 7. cap. 43. Quod attinet alapam quæ in Confirmatione datur, illa non de essentia Confirmationis, sed est cæremonia fundata in illo Matth. 5. 11. *Beati eritis cùm maledixerint vobis &c.* Et pietatem excitat uti excitabant cæremoniæ quæ circa esum Agni Paschalis observabantur. Quòd ordinarius hujus Sacramenti Minister sit solus Episcopus patet ex Act. 8. Nam Philippus baptizavit Samaritanos, sed illos confirmandos missi Petrus & Joannes.

3. Quia Spiritus S. accipitur in Baptismo, quid ergo opus Confirmatione? Resp. In Actis post Baptismum imponebantur manus ad accipiendum Spiritum S. Unde Melchiades Papa qui vixit anno 311. sic ad Episcopos Hispaniæ scribit. *Nos in Baptismo renasci, per hoc verò Sacramentum confirmamur ad bellum spirituale ut regeneratis, Spiritus S. sit author & custos.*

CAPUT IX DE POENITENTIA ET INDULGENTIIS

CONTROVERSIA XXXII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PARS PRIOR

Pœnitentia est verè Sacramentum. Est Catholicorum.

1. QUia per pœnitentiam Deus remittit peccata & dat gratiam Joan. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

2. Quia semper ab Ecclesia Pœnitentia de qua loquimur, credita est esse Sacramentum. Nam Lucius III. cap. ad abolendum, jubet veluti reum hæreseos puniri illum qui negaverit Sacramentum Confessionis: ex PP. Tertull. lib. de pœnitent. Chrysost lib. 3. de Sacramentis. Cyrill. lib. 2. in Joan. cap. 58. Ambr. lib. 1. de pœnitent. Hieron. lib. 1. & 2. contra Pelagianos & epist 11. Aug. lib. de adulterijs conjugij cap. 26. & 28. & lib. 5. de Baptismo, cap. 20. & in Ps. 146. circa illud; *Qui sanat contritos corde.* & epist 110. ad Honoratum & alij quos vide apud Bellarm. & Valentian. habuerunt pœnitentiam pro Secramento. Illam apertè nominat Sacramẽtum Greg. Nyss. lib. de vita Moysi. Victor Cartaginien. lib. de pœnitent. cap. 20. Aug. svadet ut peccata confiteamur Sacerdoti lib. 1. hom. 45. *Nemo sibi dicat occultè ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quæ occultè ago, ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terris, solventur in cœlo? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi, promittimus nobis quod ille negat.*

3. 2. Cor. 5. 18. de Sacerdotibus dicit. *Dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ibid. v. 20. *pro Christo legatione fungimur.* Quid verò opus Legato, si ipse Princeps causam agit? ad priora verba respexit Basil. cùm dixit Reg. 228. *Necessariò illis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Hæreseos damnabatur Montavus ab Hieron. qui Confessionem coram Sacerdote rejiciebat. Necessitatem Confessionis Sacramentalis S. Leo Papa qui vixit anno 461. epist. 91 cap. 2. ostendit ex his capitibus. *Ut instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu habeat Ecclesiastica disciplina, non*

tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violâssent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent; sic Divinæ bonitatis præsidijs ordinatis, ut indulgentia Dei nonnisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum Homo Christus JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utiq; operi ipse Salvator incessanter intervenit, nec unquam ab his abest, quæ Ministris suis exequenda commisit, dicens Matth. 28. 20. Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

4. Quia Act 19. dicitur. *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos.* Syrus legit, *annuntiantes errata sua.* Græcus, *distinctè per partes referendo.* Ex quo loco Hieron. in Matth. 16 19. ita docet. *Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis: & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Alligat vel solvit Episcopus & Præsbyter, non eos qui insontes sunt & noxij, sed pro officio suo cum peccatorũ audivit varietates,* distinctè scilicet enumerata peccata, *scit qui ligandus sit,* quivè solvendus.

PARS POSTERIOR

Pœnitentia non est Sacramentum. Est Dissidentium.

1. IN Veteri lege Pœnitentia non erat Sacramentum, sed neq; est Cathechumenorum, eadem verò est Pœnitentia quæ illa, & neutra fuit Sacramentum. Quòd verò sint eadem patet ex Act. 27. ubi cùm dixisset: *Annuntiâsse se hominibus ut convertantur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes;* subjungit, nihil extra ea se dixisse quæ Prophetæ locuti sunt & Moyses. Resp. Loqui illum de pœnitentia quæ est virtus, non quæ est Sacramentum, alioqui si ea sola prædicavisset Apostolus, quæ prædicavit Moyses & Prophetæ, non

debuisset Baptismi; dixit ergo se nihil annuntiare in lege nova quod non fuisset prædictum à Prophetis implicitè vel explicitè, & inter hæc fuit prædictũ Pœnitentiæ Sacramentum.

2. Christus sine Sacramento Pœnitentiæ remittebat peccata, ergo & illi quibus id commisit; nam dicit. *Sicut me misit Pater ita & ego mitto vos.* Resp. Plura commisit Discipulis quàm ipse fecit. Nam Joan. 4. ipse *neminem baptizabat*, tamen Apostoli baptizabant.

3. Quia Joan. 20. *Quorum dimiseritis &c.* solùm significat, quibus prædicaveritis dimissionem. Resp. Hunc locum à nemine in Ecclesia unquam hoc modo intellectum, imò ex eo loco agnoverunt Patres in Sacerdotibus judiciariam potestatem. Hieron. epist. ad Heliod. *Sacerdotes Christi claves habentes quodammodo ante judicij diem judicant.* Aug. lib. 1. de Civit. cap. 9. disertè affirmat potestatem verè judiciariam dictis verbis significari. Præterea cùm tam dimittere quàm retinere prædicari debeat, itaq; simul dimittentur & retinebuntur peccata.

4. Quia Ps. 18. 12. dicit. *Peccata quis intelligit?* Et Ps. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*: quomodo ergo peccata numerare possumus in confessione? Resp. Non teneri nos illa dicere quæ ignoramus, & quæ supergrediuntur caput nostrum, & alijs dictis habito de omnibus dolore, etiam hæc dimittentur.

5. Quia Nathan remisit Davidi peccatum solùm annuntiando Resp. Nathan nihil dimisit, sed annuntiavit à Deo dimissum prout illi dixerat Deus: unde dixit. *Transtulit Dominus à te peccatum tuum.* Nec enim eam potestatem habuerunt Sacerdotes legis veteris quam habent novæ.

6. Quia de ea remissione actum est Joann. 20. quæ postea prædicata fuit ab Apostolis in toto mundo, juxta illud Luc. 24. *Oportebat Christum pati ut prædicaretur in nomine ejus pœnitentia & remissio peccatorum in omnes Gentes*: hæc verò ante Baptismum prædicabatur, itaq; non fuit Sacramentum, neq; modò est. Resp. Apostoli prædicabant pœnitentiam

non

non solùm de commissis ante, sed etiam post Baptismum, ideoq; prædicabant tam virtutem quàm Sacramentum Pœnitentiæ, quod lapsis post Baptismum est necessarium ut Aug. docet lib. 50. hom. 49. *Frustrari verba Christi*, illa scilicet, quorum remiseritis &c. *si quis sibi promittat remissionem peccatorum per solam interiorem pœnitentiam.* Hoc ipsum affirmat epist. 180. ad Honoratum, & S. Leo epist. 89. aliàs 91. ad Theodosium Forojulij Episcopum, & Ambr. lib. 1. de pœnitent. cap. 7. docet esse Pœnitentiæ Sacramentum æquè necessarium lapsis, atq; antea necessarius fuerat Baptismus.

7. Quia Aug. lib. 1. de Nuptijs cap. 33. ait. *Per Baptismũ non solùm præterita, & præsentia peccata dimitti, sed etiam illa quæ posteriori tempore commissa sunt.* Resp. Id dici ideò quia Baptismus est fundamentum remissionis peccatorum etiam illorum quæ fiunt post illum, quia per illum fit homo capax remissionis peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ; quod ita debere intelligi probant alij textus Aug. quomodo enim aliter futura peccata dimitterentur? Nam peccati remissio non fit nisi cum infusione gratiæ & amicitia Dei, itaq; si vi Baptismi dimissum est peccatum, quando cras homo peccabit, habebit simul cum peccato gratiam Dei, & erit illius amicus.

8. Quia Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 30. *Baptismum* vocat *Sacramentum Fidei & Pœnitentiæ.* Resp. Sicut est Fidei, ita & Pœnitentiæ; solius scilicet virtutis, non autem Sacramenti. Nam adulti cùm suscipiunt Baptismum, debent habere Fidem, & Pœnitentiæ virtutem, juxta illud Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrûm.*

9. Quia Nectarius Episc. Constantinop. sustulit Confessionem & factum ejus qui illi successit approbavit Chrysost. qui hom. 2. in Ps. 50. dicit. *Peccata tua dicito ut deleas illa, si confunderis alicui ea dicere, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, ut ea confitearis conservo tuo ut exprobret, dicito Deo qui curat ea.* Et hom. 4. de Lazaro. *Cave homini dixeris, ne ea exprobret, sed ei qui Dominus est, qui tui curam gerit.* Et hom. 5.

de

de Confeſſ. & Pœnitent. *Solus te Deus confitentem videat.* Et hom. 8. de Pœnitentia. *Non in commune theatrum accuſationem producito, non delictorum teſtes ſtatuito: intus in conſcientia, ſtante nemine præter eum qui cuncta videt, Deum: judicium peccatorum ſtatuens quod deliquiſti.* Reſp. Illam Confeſſionem quam Nectarius & Chryſoſtomus ſuſtulit, non fuiſſe Sacramentalem ſed aliam, de qua Socrates, qui eam vocat appendicem lib. 5. hiſt. cap. 19 qui de iſto toto facto ſcripſit hiſtoriam. Mos enim erat, dicere graviora peccata alicui Præsbytero, qui illa referret Epiſcopo, de quibus hic deliberaret, an talis eſſet à communione cœterorum ſegregandus; & ſic occulta fiebant publica & exprobrabantur. Vide hìc Baron. & Bellarminum, de hoc ipſo more loquitur Chryſoſt. & ideò ait. *Non in commune theatrum producito, non teſtes ſtatuito.* Quando verò ait, *dicito Deo*, non de Confeſſione loquitur, ſed de dolore quem quiſq; poteſt habere quotidie ſuam conſcientiam inſpiciendo, & hortatur Fideles ut quamprimùm exeant de ſtatu peccati, quod fit per contritionem. De Sacramento verò Confeſſionis docet hom. 20. *Oportet ad Confeſſionem facinorum feſtinare, & conſcientiæ vulnus Medico oſtendere, qui curet te & non exprobret, atq; ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui nullo conſcio alio, & omnia illi dicere cum diligentia, Confeſſio enim peccatorum eſt abolitio delictorum.* Et 2. de Sacerdotio. *Chriſtianos Sacerdotum curationi ſe ſubmittere debere.* Et hom. 1. in Pſal. 31. *Animæ Archiatros Chriſtus eſt, Medici Miniſtri.*

9. Quia de quibuſdam conſtat peccatis quòd per Pœnitentiam non tollantur. 1. Nam Matth. 12. 31. Peccatum in S piritum S. non dimittitur. 2. Quia 1. Mach. 9. 13. Antiochus veniam non eſt conſecutus; paria dicit S Paulus de Eſau, ut etiam eſt Gen. 12. 17. Reſp. Peccatum contra Spiritum S. juxta plurimos eſt finalis impœnitentia, ideo non eſt mirum non dimitti illud, cùm non poſſit ſubjici Confeſſioni. Antiochus non propter Deum ſed humanas rationes dolebat. Eſau non habuit propoſitum de cœtero vitandi peccata, ut patet

patet ex Gen. 21. 4. Neq; ex ijs currit instantia contra Sacramentum Pœnitentiæ quod eorum tempore non fuit. 3. Quia S. Aug. vult Sacramentum constare verbo & elemento, hoc non est in Pœnitentia. Resp. Aug. de solo Bapt. loqui.

CONTROVERSIA XXXIII.

De remissione pœnæ temporalis dimissis peccatis.

PARS PRIOR

Remisso peccato non semper remittitur pœna temporalis.

Est Catholicorum.

1. QUia Adamo Deus dimisit culpam juxta Sap. 10. *Eduxit illum ex delicto suo.* Pœnam tamen illi non dimisit, *In quacunq; die comederis morte morieris.* Et nos hanc pœnam toleramus, quia juxta Rom. 5. *Per unum hominem intravit in mundum, & mors per peccatum.*

2. Quia Num. 14. impetravit Moyses à Deo ut populo dimitteret peccatum murmurationis: nam Deus illi dixit. *Dimisi juxta verbum tuum,* pœnam retinuit, *attamen omnes qui tentaverunt me, non videbunt terram pro qua juravi Patribus eorum, nec quisquam qui detraxit mihi intuebitur terram.* & rursus, *Juxta numerum dierum 40. quibus considerâsti terram, recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam.* & Num 14. 19. orat Moyses pro populo. *Dimitte obsecro peccatum populi hujus,* & Deus dicit. *Dimisi juxta verbum tuum.* Addit nihilominùs. *Attamen omnes homines qui viderunt Majestatem meam &c. non videbunt terram &c.* Ibid. v. 28. *In solitudine hac jacebunt cadavera vestra;* & alias pœnas statuit incipiendo a. v. 22. ad 37. Num. 20. postquam Deus dixisset Moysi & Aaroni *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis nomen meum coram Israël &c.* in pœnam, *non introducetis populos &c.* Et tamen peccatum illis dimiserat, quia cum illis amicè agebat.

3. Quia 2. Reg. 12. Postquam de peccato Davidi pœnitenti dixisset Nathan, *transtulit Dominus peccatum tuum,* addidit. *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Dei, pro-*

pter verbum hoc *Filius qui natus est tibi morte morietur.* Idem David 2. Reg. 24. peccavit numerando populum, dimissum est, & tamen punitus est temporaliter, idem refertur 1. Paralip. 2.

4. Soror Moysi Num. 12. quantumvis consecuta veniam peccati, non evasit pœnam.

5. Quia hæc est & fuit fides Ecclesiæ de hoc puncto, ut testis est Aug. enarrat in Psal. 50 in illa verba. *Ecce enim veritatem dilexisti &c.* ubi sic ait. *Veritatem dilexisti, scilicet impunita peccata eorum, quibus ignoscis, non reliquisti.* Et lib. de vera & falsa pœnit. cap. 18. ex ejusdem Ecclesiæ sensu loquitur. *Conversus vitâ vivet, non tamen promittimus quòd evadet omnem pœnam.* Et in Enchirid. cap. 66. *De quibusdam temporaneis pœnis, quæ in hac vita viventibus irrogantur eis quorum peccata delebuntur, ne reserventur in finem ait Apost. 1. Cor. 11. Si enim nosmetipsos judicaremus.* &c. Similia habet Greg. hom. 20. in Evan. ubi tractat illud Luc. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Et lib. 9. in Job. cap. 27. similia Ambr. lib. de pœnitent. & lib. ad Virginem lapsam, præsertim cap. 8. Neq; verò istæ pœnæ infliguntur tanquam medicina, sed ut pœna; quia additur in Scriptura, quòd ob peccatum commissum infligantur. Præterea hæc pœna aliquibus mors fuit, in qua locum non habet medicina, nemini enim mors infligitur, ut cautiùs deinde vivat. Demum si hæ pœnæ ad medicandum infligerentur non decuisset ut Moyses & David illas deprecati fuissent, at deprecabantur Deut. 4. & 2. Reg. 12.

PARS POSTERIOR.

Dimissâ culpâ semper omnis pœna dimittitur. Est Dissidentium.

1. Quia quando Deus dimittit peccata obliviscitur eorum, ut est Jer. 31. & Ezech. 18. non oblivisceretur verò si ea puniret. Resp. Obliviscitur quoad inimicitiam, fit enim amicus: & quoad pœnam æternam, temporaliter autem castigat, quia Scripturæ sunt intelligendæ juxta praxim quam

Deus in earum executione servat. Ita Ezech. 18. dicitur. *Si justus à justitia sua recesserit, justitiæ ejus non recordabuntur.* Et tamen justitias hujusmodi temporaliter præmiatur, ut docet Chrysost. hom. 67. ad pop. Hieron. in cap. 29. Ezechielis. S. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 10. Greg. hom. 4. in Evang. non remuneratur autem præmio æterno, si ille qui fuit justus, in peccato moriatur, eodem modo conversum peccatorem non punit pœnâ æternâ sed temporali, nam de utroque eodem modo loquitur Propheta.

2. Quia Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Itaq; si dimittit totum dimittit. Resp. Perfectionem operum Dei non esse in hoc, ut statim totum efficiat, aut dimittat, sed quòd totum operetur juxta perfectionem suæ providentiæ.

3. Quia Christus pro nobis perfectè satisfecit, itaq; nulla superest nobis pœna luenda. Resp. Hinc etiam sequeretur neminem damnandum, quia pro omnibus satisfecit. Satisfecit Christus, sed non applicatur satisfactio nisi per media debita, infidelibus quidem per Baptismum, fidelibus autem per Pœnitentiam; neq; ideò satisfecit ut nos etiam manus non moveamus. Passus pro nobis ut sequamur vestigia ejus, ait Petrus. Si compatimur, conregnabimur, ut ait Paulus.

4. Quia Chrysost. docet hom. de pœnitent. & Confess. *Deum punire nos non exigendo à nobis de peccatis supplicium, sed ad futura nos corrigendo.* Resp. Præmisit ibid. suis dictis citatis Chrysost. *Non remitti supplicium, peccantibus, peccantes non remanere inultos, sed puniri.* Solùm ergo dicit loc. cit. Deum in puniendo nos magis intendere utilitatem nostram, quàm ultionem peccati, quamvis utramq; velit, illo scilicet sensu quo dixit Oseæ 6. *Misericordiam volo & non sacrificium*, hoc est, quamvis utrumq; velim, præcipuè tamen volo misericordiam.

5. Quia ubi non est culpa; locum non habet pœna, cùm verò peccatum est dimissum, non est culpa, quocirca nec debet esse pœna. Resp. Primam propositionem esse veram, quando nec est, nec fuit culpa: non autem esse veram, si fuit culpa, neq; pro illa perfectè satisfactum.

 6.

6. Quia Ezech. 33. *In quacunq; hora ingemuerit peccator, non ei nocebit iniquitas.* Noceret autem si pro illa jam dimissa puniretur. Resp. Non nocet ad pœnam æternam sed solùm ad temporalem, ut patet in exemplis priore parte allegatis.

CONTROVERSIA XXXIV.

De Satisfactione pro peccatis.

PARS PRIOR.

Necesse est satisfacere pro peccatis. Est Catholicorum.

1. QUia Isai. 1. *Lavamini mundi estote, subvenite oppresso, judicate pupillo, &c. venite & arguite me, dicit Dominus: si fuerint quasi nix, &c.* Ubi enumerat & svadet satisfactionis opera. Similia habet Ezech. 18. & 3. & Jòël cap. 2.

2. Quia Matth. 3. & Luc. 3. monet. *Facite fructus dignos pœnitentiæ* id est opera quæ pœnitentiam consequuntur, ut exponit Aug. lib. de vera & falsa pœnit. cap. 5.

3. Quia 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus &c. dum judicamur, à Domino corripimur, ut non cùm hoc mundo damnemur*: ex quo Aug. lib. Hom. hom. ult. *Majorem quisq; severitatem in se debet adimplere, ut à seipso judicatus non judicetur à Domino.* Et hæc fuit praxis antiquæ Ecclesiæ ut patet ex Canonibus Pœnitentialibus.

4. Quia Job ult. 6. *Ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Jòël 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, fletu, & planctu; scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* Matth. 11. 21. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent* Luc. 10. 13. *Olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.*

5. Quia satisfactio intrat Pœnitentiam, quia Magdalena pœnitens capillis suis tergebat pedes Christi. Publicanus percutiebat pectus, Petrus amarè flebat, Latro crucis pœnam ferebat patienter, Paraliticus suum grabatum portabat, Fœmina in adulterio deprehensa confusionem sustinebat &c. nec ullus pœnitens verus fuit qui non aliquam satisfactionem fecerit.

PARS

PARS POSTERIOR

Satisfactio pro peccatis non est necessaria. Est Dissidentium.

1. QUia præter argumenta præteritæ Controv. parte post. allata sequeretur quòd etiam alter pro altero posset satisfacere. Resp. Etsi id non appareat sequi, tamen totum concedo, & hanc veritatem ostendo. Quia 1. Cor. 12. 14. Paulus vult pro alijs satisfacere *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar pro animabus vestris* Gal 6. 2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* 2. Tim. 2. 10. *Omnia sustineo propter Electos ut & ipsi salutem consequantur.* Col. 1. 24. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Quòd verò prosint nobis aliena bona opera, ex Ps. 118. 63. *Particeps ego sum omnium timentium te.*

2. Quia nullibi scriptum est quòd opus bonum etiam in gratia factum sit satisfactorium pro pœna temporali peccatis jam dimissis debita. Resp. Scriptum esse pluribus locis. Matth. 3. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quod aliàs gratis diceretur, si satis esset ut volunt Dissidentes cavere peccata in futurum. 2. Cor. 7. 11. dum numerat fructus tristitiæ secundùm Deum, ponit & vindictam, quæ peccata præterita punit. Neq; est expectandum ut pro illis peccatis Deus nobis imponat pœnas. Nam Gal. 5. 24. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Ipsi scilicet, non solùm illata à Deo sustinendo 1. Cor. 11. 31. *Quodsi nos ipsos dijudicaremus, &c.* ex quo Greg. 9. Moral. cap. 27. *Aut enim ipse homo pœnitens in se peccatum punit, aut hoc Deus cum homine judicans percutit.*

3. Quia satis gravis enumeratio peccatorum in confessione, itaq; hoc sufficit absq; satisfactione alia. Et in veteri & in nova lege fuit enumeratio, præter illam tamen adhibebatur satisfactio. Num. 5. 6. *Vir sive mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere &c. confitebuntur pecca-*

sum suum, & reddent ipsum caput &c. Non ita est difficilis enumeratio, quia venialia non obligamur numerare, gravium verò non facilè obliviscimur, Ps. 50. 5. *Quoniam ego iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Sciebat Matth. 18. 24. servus se debere decem millia talenta, sciebat conservus se centum denarios debere.

CONTROVERSIA XXXV.

De Indulgentiis.

PARS PRIOR

Sunt in Ecclesia Indulgentiæ. Est Catholicorum.

1. QUia Deus satisfactiones Christi reliquit Ecclesiæ. Rom. 8. 33. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et ex hoc thesauro 1. Cor. 2. Paulus cuidam incestuoso partem pœnarum debitarum sine sacrificio vel sacramento exolvit, & donavit.

2. Quia multæ satisfactiones Sanctorum quibus ipsi non eguerunt relictæ sunt Ecclesiæ, de qua Apoc. 19. 7. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & Uxor ejus* Ecclesia *præparavit se, & datum est illi ut se cooperiat byssino splendido & candido, byssinum enim sunt justificationes Sanctorum.* De his verò habuit ab initio potestatem disponendi Ecclesia, nam patet ex Tertull. ad MM. cap. 1. & Cypr. epist. 11. 21. 22. quando Martyres intercedebant pro aliquo lapso pars illi pœnarum dimittebatur. Patet usus indulgentiarum ex Concil. Nicæno, Ancyrano, Luodicensi. Greg. 1. circa annum 600. concessit indulgentias. Leo III. circa 800. Sergius circa an. 844. Concilium enim Nicæn. 1. quod fuit anno 336. can. 11. sic habet. *De his qui præter necessitates prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum &c. placuit synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commendari,* & assignat pœnitentias. *Quicunq; ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis inter Fideles audientes habeantur, & sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis &c.*

Sed

Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ convenit explorare, &c. Postmodum licebit Episcopo de his aliquid humaniùs cogitare; hoc est, de pœna remittere, quod est indulgentiam dare: Concil. Agathense dat indulgentiam tom. 2. Concil. pag 545. *Lapsis* &c. *grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas, quibus nos annorum multitudine breviatâ pœnitentiam biennij conditione infrascriptæ observationis imponimus*; & assignat conditiones.

3. Quia spectat ad rectorem posse donare aliquid, Prælati autem regunt Ecclesiam. Spectat ad Judicem posse aliquid reo condonare: Prælati autem Ecclesiæ sunt Judices. Unde Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves* &c. dicitur Petro, & 18. 18. ad Apostolos: *Quæcunq; alligaveritis super terram* &c. & Joan. 20. 24. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*

PARS POSTERIOR.

Indulgentiæ non sunt in Ecclesia. Est Dissidentium.

. QUia Indulgentiæ fundantur in alienis meritis: nemo autem sua merita potest alteri donare. Quia Ezech. 18. 20. *Justitia justi super eum erit.* 1. Cor. 3. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet.* Resp. Non in meritis sed in satisfactionibus alienis fundantur indulgentiæ, satisfactiones autem nostras possumus dare alteri, etsi merita non possimus: etsi etiam participemus merita, ut Aug. in Ps. 61. ubi dicit *in commune bonum Ecclesiæ conferri merita.* Quòd verò Prælati Ecclesiæ donare pœnas peccatis debitas possint, patet ex S. Pauli exemplo 2. Cor. 2. 10. *Cui autem aliquid donastis & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi*; scilicet quod à me per Titum hîc cap. 7. 7. petistis donari, ego etiam condono scilicet excommunicationem de qua 1. Cor. 4. & reliquas pœnas quas suo enormi scelere promeruit. Nam licèt ille Corynthius pœnitentiam egerit, nondum omnis pœna fuit illi remissa, ut patet hîc cap. 2. 6. & cap. 7. 4. & 11. donat autem in persona Christi, id est, authoritate Christi.

2. Quia

2. Quia vox Indulgentiæ est nova. Resp. Etiamsi vox esset nova. Isai. 6. *Prædicare captivis indulgentiam.* Quem locum legit Lucas 4. *Prædicare captivis remissionem.*

CAPUT X. DE SACRIFICIO, ORDINE, MISSA, ET EUCHARISTIA.

CONTROVERSIA XXXVI.

De Sacrificio.

PARS PRIOR

Datur in lege nova verum Sacrificium. Est Cathol.

1. QUia de lege nova prophetavit Malach. 1. 11. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* De Christo prophetavit Ps. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Sacerdos verò non est sine sacrificio, juxta Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Melchisedech autem panem & vinum obtulit, Gen. 14. 18, ad quod respicit Hebr. 7. 17. & quia Christus in æternum est Sacerdos, Sacerdotium ejus non finitur neq; novæ legis Sacerdos illi succedit, sed est ejus Vicarius ejus personam sustinens. Veteris legis Sacerdotium finiebatur in unoquovis, & quivis succedebat.

2. Quia Hebr. 13. 10. dicit. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Si habemus altare etiam habemus sacrificium. Propterea S. Aug. in Psal. 33. ait de Christo. *Ipse de suo corpore & sangvine sacrificium instituit secundùm ordiniem Melchisedech.* Hoc est in pane & vino. & epist. 33. *Christus semel in cruce immolatus omni die in Sacramento immolatur.* quod ipsum explicat quæst. 57. in Levit. *Illis Sacrificium, unum hoc nostrum Sacrificium significabatur, in quo sit vera remissio peccatorum, à cujus Sacrificij sangvine in alimentum sumendo, nemo prohibetur.* Ambr. in cap. 11. Luc. *Cùm sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.* Hippolit. M. orat. de

Antichr. *Venite Pontifices & Sacerdotes* (ait Christus) *qui pretiosum corpus, & sangvinem meum quotidie immolâstis.* Aug. lib. 22. Civit. cap. 8. *Quendam è suis Præsbyteris mecum in domo rustica sacrificium corporis & sangvinis Domini obtulisse.*

PARS POSTERIOR

Non datur in lege nova verum Sacrificium. Est Dissidentium.

1. QUia Hebr. 5. 25. Solus Christus est talis Sacerdos, qui per semetipsum salvare potest; itaq; non est opus alio Sacerdote & Sacrificio. Resp. Etiam modo solus salvat & sacrificat, sed per suos vicarios Sacerdotes.

2 Quia juxta Hebr. 10. 4. Sufficit quòd semel in cruce factum est Sacrificium; ergo non est opus ut secundò offeratur. Resp. Sufficit illud sed debet illud ipsum sæpiùs offerri juxta Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Facere autem sumi in Scriptura pro *offerre*, patet ex Judic. 13. Levit. 15. Malach. 1. Hinc prophetat Daniel quòd in fine mũdi cessabit Sacrificium Dan. 12. *A diebus quibus auferetur juge Sacrificium usq; ad abominationem desolationis erunt dies 1290.*

3. Non invenitur in Evangelio nomen Sacrificij. Resp. Nec Sacramenti, nec Trinitatis &c. inveniri, satis quòd res sit ipsa. Appellabat autem Ecclesia primitiva Missam Sacrificium. Justin. Dial. cum Tryphone. *Universos qui per nomen ipsius sacrificia offerunt, quæ JESUS Christus fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis & calicis, quæ in loco omni à Christianis fiunt, prævertens Deus gratos sibi esse testificatur.* Iren. adu. hæres. lib. 4. cap. 32. *Suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, eum qui creatura panis est accepit, & gatias egit dicens: Hoc est corpus meum, & novi testamenti novam docuit oblationem quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo offert mundo Deo.* Aug. epist. ad Innoc. *Melchisedec prolato sacrificio mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacrificium præfigurare.* Et lib. 4. de doctr. Christ. Clem. instit. Apost. lib. 7. cap. 3. Tertull. contra Judæos cap. 16.

4. Christus unicâ oblatione omnia peccata expiavit. Ergo

go. Resp. Si esset post illam expiationem superfluum sacrificium, etiam Baptismus esset superfluus; imò apud Dissidentes Fides justificans, facit autem Sacrificium applicari nobis illam expiationem.

CONTROVERSIA XXXVII.

De Varietate Ordinum Clericalium.

Præmittitur.

Varij sunt gradus Clericales.

QUòd istæ varietates antiquissimæ sint, patet ex Concil. Chartaginiensi IV. habito à 214. Episcopis anno 398. cui interfuit & subscripsit S. Aug. hoc Concilium Can. 5. describit modum ordinandi Subdiaconum, quem etiam de facto servat Romana Ecclesia. Can. 6. Acolythum. Can. 7. Exorcistam. Can. 8. Lectorem. Can. 9. Ostiarium: & S. Cyprian. passim meminit horum Ordinum. Nam epistolam 24. inticulat. De S. Saturno Lectore, ac Optato Hypodiacono factis. Trigesimam tertiam ad Clerum & Plebem de Aurelio Lectore ordinato. Trigesimam quartam ad eosdem de Celerino Lectore ordinato &c.

Græci etiam antiquissimam habent formam ordinandi hos minores Clericos ut est in Arcadio lib. 6. Jam agemus de reliquis.

PARS PRIOR

Sacerdotes debent ordinari ab Episcopis. Est Cathol.

1. QUia 1. Tim. 4. 14. Episcopo dicitur. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Sacerdotij.* Unde Epiph. hær. 75. *Præsbyteri gignunt per Baptismum Filios: Episcopi verò gignunt Ecclesiæ Patres.* Tito Episcopo dicitur: Tit. 1. 6. *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Præsbyteros.* 2. Tim. 5. 22. Episcopus monetur. *Manus citò nemini imposueris.* Act. 14. 22. Apostoli, non laici constituerunt per singulas Ecclesias Præsbyteros. Act. 6. 6. Diaconos Apostoli consecrârunt per impositionem manuum. Vide plura in consvetudinibus Ecclesiæ, infra. PARS

PARS POSTERIOR

Sacerdotes non debent ordinari ab Episcopis. Est Dissidentium.

1. QUia Sacerdos nihil habet supra laicum. Resp. Habet ut offerat Sacrificium, ut Osiæ laico dictum 2. Paralip. 26. 18. *Non est tui officij Osia ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum qui consecrati sunt ad ejuscemodi ministerium.* Et si nihil haberent supra laicos, non diceretur Hebr. 5 4. *Nec quisquam sibi sumit honorem Sacerdotij, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.*

2. Princeps sæcularis potest quasvis dignitates distribuere, itaq; & Sacerdotij. Resp. Principi sæculari traditæ sunt similes dignitates, sed non consecratio ad Sacras. Hinc Hosius Cordubensis Episcopus, qui vixit an. 300. sic Constantinum Imperatorem allocutus. *Nec te misceas Ecclesiasticis Princeps, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed à nobis disce. Tibi Deus imperium cõmisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Ambr. ad Valentinianum Imper. epist. 32. *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quæ sunt divina, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus sicut scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari, ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia.* Nicolaus 1 epist. ad Michaëlem Imp. *Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Mediator Dei & hominum Christus officia utriusq; potestatis discrevit, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, ac Pontifices vicissim pro cursu rerum temporalium tantũmodo, imperialibus legibus uterentur.* Ipse Christus Summus Pontifex Luc. 6, 13. elegit LXX. Discipulos, ipse Apostolos. Sacerdoti Petro cõmisit regimen Ecclesiæ Joan. 20. 21.

3. Mathias à populo creatus est Sacerdos. Resp. Non esse à populo factũ Sacerdotem aut Apostolum, sed tantùm permittente Petro ad hoc à populo electum seu præsentatum. Nam dicitur, *statuerunt duos.* Et Deus extraordinario modo

 fecit

fecit Apostolum, nam hoc Petrus oravit. *Tu Domine ostende quem elegeris ex duobus: & cecidit sors super Mathiam.*

4. Populus elegit Stephanum in Diaconum. Resp. Elegit ut præesset mensis non ut esset Diaconus, & hujus electionis approbatio fuit penes solos Apostolos, quod etiam in omnibus exemplis invenitur quæ contra Catholicos è primitiva Ecclesia adducere possunt Dissidentes.

5. Idem est Præsbyter quod Episcopus, ut patet ex Act. 20. 19. & Tim. 1. 5. ubi ijsdem uterq; titulus datur. Resp. Dabatur Episcopi titulus etiam Sacerdotibus, quia cum Episcopis communi consilio regebant Ecclesiam, & ad Concilia admittebantur, sed dum ex eo ut ait S. Hieron. in 1. Tit. insolescere cœperunt, & à concilijs, & à titulo exclusi, quod adhuc tempore S. Pauli factum esse patet ex 1. Tim. 5. ex eodem patet quòd res fuerit diversa, licet nomen antea commune: nam dicit Timotheo Episcopo. *Adversùs Præsbyteros accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ita & Titus jubetur constituere Præsbyteros, itaq; & superioritatem & potestatem ordinandi habebant Episcopi; unde Ignatius ad Trallenses & Smyrnen. scribens, ait. *Præsbyteri subjecti estote Episcopis.*

6. 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam Dei quæ est in te, quæ data est per impositionem manuum Præsbyterij.* ex quo sic: Timotheus fuit Episcopus, gratiamq; hujus habuit, sed hæc fuit gratia præsbyterij. Ergo gratia Præsbyterij & Episcopatûs est eadem, atq; ita ista duo sunt idem. Resp. Non debere intelligi quòd gratia sit data Timotheo Præsbyterij, sed quòd ille habuit potestatem imponendo manus conferre ut Episcopus præsbyterium. Ita Chrysost. Theodoret. Theophilact. Anselm, &c. imò & Calvin. lib. 4. instit. cap. 3.

CONTROVERSIA XXXVIII.
De Cælibatu Sacerdotum.
PARS PRIOR

Sacerdotes debent esse Cælibes. Est Catholicorum.

Licet

LIcet hoc non ſit de Fide alioqui Græcorum Sacerdotibus non permitterentur uxores; tamen valdè eſt Scripturæ conforme, & uſu & legibus firmatum.

1. Quia Sacerdotes debent ſemper orare, ſacrificare, & propter orationem ſvadetur abſtinentia ab uxore, 1. Cor. 7. 5. propter ſacrificium. Exod. 20. 15. & 1. Tim. 2. 4. *Oportet orationem fieri in omni caſtitate.*

2. Tit. 1. 8. *Oportet Epiſcopum eſſe continentem.* Hieron. in hunc locum cap. 12. 11. & 1. Reg. 21. 45. non poterant niſi caſti ſacra attingere *continentem etiam ab uxoris amplexu.*

3. Quia Nuptiæ Sacerdotibus prohibitæ non ſine ratione ſub Sylveſtro I. can. 8. imò etiam Subdiaconis.

PARS POSTERIOR

Sacerdotes non debent eſſe Cælibes. Eſt Diſſidentium.

1. QUia 1. Tim. 3. 2. & Tit. 1. 6. *Oportet Epiſcopum unius uxoris virum eſſe.* Reſp. Si ita eſt, igitur & Joannes & alij etiam contra hanc legem fuerunt Epiſcopi, imò ipſe Dominus 2. ibid. *habentem filios.* Itaq; ſi non habeat filios non poterit eſſe Epiſcopus. 3. Contra hanc legem peccaverunt Petrus & alij qui deſeruerunt uxores. 4. Cur Paulus omnibus ſvadet caſtitatem, ſi ad ſtatum perfectiſſimum qualis eſt Epiſcopalis neceſſaria eſt diſpoſitio conjugium? Itaq; loc. cit. ſolùm præcipitur ne ille qui aſſumitur ad Epiſcopatum, ſit bigamus, quia ab initio non reperiebantur cælibes, tot qui dignè hunc gradum conſcenderent, quàm multis neceſſe fuit, itaq; & non cælibes oportebat aſſumi, ſi invenirentur tales quales ibi Paulus deſcribit, qui tamen ſtatim uxores relinquebant, ut patet ex S. Ambr. dum ad illa verba, *Filios habentem* alludit epiſt. 25. ad Vercellen. *Habentem* ait, *Filios non facientem.* Hieron. lib. contra Jovin. *Sed & ipſa Epiſcopalis electio metum facit. Non enim dicit Apoſtolus eligatur Epiſcopus qui unam ducat uxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina, certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum qui in Epiſcopatu Filios faciat, alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.*

2b

2. Quia S. Paulus prædicit tales fore Hæreticos qui damnent Matrimonium. Resp. Impletam hanc prophetiam in Tatianis, Manichæis, Marcionistis, & alijs qui illud ex numero Sacramentorum expungunt, quod est damnare Matrimonium. Catholici illud honorant, inter Sacramenta recipiunt, in templo administrant, neminem ab eo repellunt, nisi qui ipse sponte ad illud viam sibi præclusit.

3. Quia Hebr. 13. 4. *Honorabile est in omnibus Matrimonium.* Itaq; & in Sacerdotibus. Resp. Addi hoc modo potest. Quòd etiam inter Filium & Matrem sit honorabile, honorem certè non potest habere in personis quæ illud sine violatione legis naturalis aut divinæ recipere non possunt.

4. Quia 1. Cor. 7. 2. omnibus præcipitur: *Quisq; habeat uxorem suam.* Resp. Itaq. & infantibus, & eunuchis, & illis qui se castraverunt propter regnum Dei. Præcipitur igitur solis incontinentibus, & ita melius facit incontinens, si uxorem sumat, quàm si curat se in Sacerdotem ordinari. At inquies, ipsi Apostoli circumducebant secum uxores. 1. Cor. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut cæteri Apostoli, & Frater Domini, & Cephas?* Græcè γυναῖκα ἀδελφὴν, significat autem γυναῖκα, tam mulierem quàm uxorem, unde Luth. exponit uxorem. Sed quotnam sunt Apostoli qui habuerunt uxores? certè Tertull. Apostolicis temporibus vicinus lib. de Monogamia ait. Petrum solùm invenio maritum; itaq; mulieres pias circumducebant, sicut & Christus Luc. 8. & eas habuerunt eo loco quo Sorores. Certè si Apostoli secum duxissent uxores Clem. Rom. I. Petri discipulus constit. 25. non posuisset Sacerdotes debere esse cælibes, neq; Calixtus apud Gratianum dist. 25. prohibuisset conjugium, neq; Orig. hom. 4. in Levit. Neque Concilia quæ in moribus Ecclesiæ adducemus, neq; Justinianus legibus cælibatum firmavisset. C lib. 1. tit. 3. de Episcopis & Cler. n. 42. L omnem; & lib. 1. tit. 3. n. 45. Neq; his repugnat Gen. 2. 19. *Non est bonum hominem esse solum.* Nam Resp. Non erat tunc bonum, quia non fuisset mundus propaga-

pagatus; at postea dictum 1. Cor. 7: 38. Bonum est homini mulierem non tangere. Gen. 9. 1. *Crescite & multiplicamini*. Bene dictum non præceptum est datum, alioqui Christus illud implevisset.

5. Græci Sacerdotes habent uxores itaq; & Latinis concedendæ. Resp. De Latinis antiquissimus est Canon 1. Cōcil. *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo Matrimonij constitutum, nisi fuerit promissa conventio.* Hoc est utraq; pars se obstrinxerit ad servandam continentiam: & de Græcis Epiph. dicit hær. 59. Ubi sincerè Canones servantur, nec Subdiacono, nec Diacono, multò minùs Præsbytero aut Episcopo licere esse conjugatis. Confertur quidem apud illos Sacerdotium conjugatis, sed & cælibibus, & nemo existens Sacerdos potest uxorem sumere, nemo uti Matrimonio die qua Sacris operatur. Toleratur ibi Matrimonium non præcipitur, & omnes Episcopi sunt Cælibes, omnes Monachi, & Saccerdotes. Latina Ecclēsia Canones suos observat seveiiùs quàm Græca. Neq; tamen ex se Matrimonium repugnat Sacerdotio sed ratione voti, quod Latini emittunt, nam S. Petrus uxoratus fuit & Sacerdos, sed 1. Cor. 7. *Qui habet uxorem solicitus est quomodo placeat uxori.* Et sic non integrum cor reddit Deo.

CONTROVERSIA XXXIX.

De Minutis quibusdam circa Ordinem Controversis apud Dissidentes.

1. *De Cardinalibus.*

Solùm in hoc puncto & sequentibus dogma Catholicum stabiliemus, cùm argumenta Dissidentium solvi possint facilè.

MAtth. 10. 72. Discipuli Christi præter Apostolos, fuerūt 72. & de ijsdem Luc. 10. in horum locum totidem Cardinales substituuntur, hi olim, dicebantur Præsbyteri Urbis Romæ aut Diaconi, quibus distributi tituli Ecclesiarum. Erāt Pontificum in laboribus auxiliatores, tales S. Petrus teste Isidoro adhibuit Linum, Cletum, Clementem.

2. De

2. *De Episcopis.*

TIt. 1. Reliquit Cretæ Titum ut per civitates constituat Præsbyteros. 1. Tit. 6. 11 committit Timotheo regimen Ecclesiæ. 1. Tim. 5. 19. *Adversus Præsbyterum accusationem noli recipere* &c. v. 22. Manus nemini citò imposueris &c.

3. *De Sacerdotibus.*

JOan. 20. *Insufflavit in eos dicens, Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata*, &c. 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ data tibi est per impositionem manuum præsbyterij.* Luc. 22. Sacrificium commisit. *Hoc facite in meam commemorationem.*

4. *De Diaconis.*

ACt. 6. 3. *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu S. & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam & Nicolaum &c. & imposuerunt eis manus.* Act. 21. 8. ejusdem Philippi, qui fuit unus de septem, fit mentio. Philip. 1. 1. *Omnibus qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconibus.*

5. *De multitudine Clericorum.*

1. Paral. 23. 3. Numerum personarum in servitium templi consecratum ponitur 38000.

6. *De gubernatione Ecclesiæ per Episcopos.*

MOyses Sacerdos gubernavit Ecclesiam Ps 44. 17. *Constitues eos Principes super omnem terram.* & 1. Tim. 12. 28. *Quosdam Deus posuit primùm Apostolos* &c. Idem ferè repetit Ephes. 4. 13. Act. 2. *Attendite vobisipsis & gregi, in quo vos constituit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei.*

7. *De Coronis Sacerdotum.*

USus earum fuit jam anno Christi 58. cujus rei multa adducit exempla Baronius num. 121.

8. *De Exorcistis*

ACt. 19. 13. ubi Filij Scevæ tentârunt exorcisare ad similitudinem Exorcistarum Christianorum. Matth. 9. 6. Luc. 10. 19. *Dedi vobis potestatem &c.*

9. De

9. *Distincti gradus sunt in Ecclesia, Episcopi, Præsbyteri.*

DOceat nos hic antiquus Doctor S. Epiph. qui Aërium hær. 75. insectatur. Aërius furiosus mente, elatus opinio dicebat. Quid est Episcopus ad Præsbyterum? nihil differt hic ab illo, unus enim est ordo, & unus, inquit, honor, & una dignitas, &c. profert autem ad errorem suum quod Apostolus scribit: *Præsbyteris & Diaconis*, & non scribit Episcopis: & ad Episcopum dicit. *Ne neglexeris donum quod in te est, quod accepisti per manus præsbyterij.* 1. Tim. 4. 14. & rursus in alio loco, Philip. 1. 1. *Episcopis & Diaconis.* quare est, inquit, idem Præsbyter & Episcopus. Et non novit ille quòd cùm recens esset prædicatio, S. Apostolus pro re nata, velut habebat, scripsit. Ubi Episcopi jam erant constituti, scripsit Episcopis & Diaconis, non enim omnia statim poterant Apostoli constituere. Præsbyteris enim opus erat & Diaconis, per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Ubi verò non inventus quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo. Ubi autem opus fuit, & digni erant Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cùm autem multitudo non esset, non inventi sunt inter ipsos qui Præsbyteri constituerentur, contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Verùm sine Diacono impossibile est esse Episcopum, curam adhibuit S. Apostolus, ut Diaconi essent Episcopo propter ministerium. Sic Ecclesia accepit complementum dispensationis, sic illo tempore erant loci. Et quòd non potest idē esse (Episcopus cum Præsbytero) docet divinus Apostoli sermo quisq; sit Episcopus, & quis Præsbyter cùm dicit 1. Tim. 5. qui erat Episcopus *Præsbyterum ne objurges, sed adhortare velut Patrem.* Quid negotij esset Episcopo ut Præsbyterum non objurgaret, si non super Præsbyterum potestatem haberet? quemadmodum etiam rursus dicit cap. 5. 15. *Adversùs Præsbyterum ne citò admiseris accusationem nisi coram duobus aut tribus testibus*; & non dixit ad aliquem Præsbyterum, ne admiseris accusationem contra Episcopum: neq; scripsit ad aliquem Præsbyterum, ut ne Episcopum objurgaret: &c.

Et paulò ante: Dicere ipsum Episcopum & Præsbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporũ enim ordo Patrum generator est. Patres enim generat Ecclesiæ Præsbyterorũ verò non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generet Filios Ecclesiæ non tamen Patres, aut Doctores. Et quomodo possibile erat ut Præsbyterum constitueret is, qui manuum imponendarum jus ad ordinandum non habet? aut dicere ipsum æqualem esse Episcopo? hactenus hic S. Pater.

10. *In primitiva Ecclesia fuit distinctio fori civilis & Ecclesiastici.*

NAm juxta 1. Tim. 5. judicium Præsbyterorum spectat ad Episcopum. & cùm Act. 25. 12. Cæsarem appellat Paulus facit coactus, at rem facit facti non juris; nam si Petrum appellavisset, in tribunali Ethnicorum risum movisset.

11. *Magistratus Ecclesiasticus habet potestatem supra animas omnium qui sunt oves Christi.*

QUia Hebr. 13. 17. dicitur. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurі,* Matth. 16. 19. *Quodcunq; ligavveritis super terram, erit ligatum & in cœlis.*

12. *Magistratus Ecclesiasticus potest leges statuere quæ in conscientia obligent.*

QUia Matth. 16. 19. *Quodcunq; ligaveris super terram,* &c. Matth. 18. 18. *Quæcunq; ligaveritis super terram.* Luc. 10. 16. *Qui vos audit me audit,* non tantùm cùm docemini, sed & cùm regimini, ut istum locum accipit S. Cypr. epist. 69. Matth. 18. *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

13. *Magistratus Ecclesiasticus non solùm de his rebus potest condere quæ expressæ sunt in Evangelio, sed etiam de omnibus ad cultum Dei, & æternam salutem conducentibus.*

QUia Act. 15. 28. condunt Apostoli legem de rebus quæ non

non sunt in Evangelio expressæ, scilicet, ut abstineant ab immolatis simulachrorum, & sangvine, & suffocato, &c. 1. Cor. 11. ut vir aperto, mulier velato oret capite. Act. 15. in fine scriptum est de Paulo. *Perambulabat præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Et hanc facultatem Deus Ecclesiæ concessit, ubi dicit Sapientia Prov. 8. 15. *Per me Reges regnant. &c.*

14. *Magistratus Ecclesiastici possunt Hæreticos &c. excommunicare.*

QUia Matth 18. 17. *Qui non audièrit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* 1. Cor. 5. 2. & 13. S. Paulus excommunicat Corynthium. Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam monitionem devita.* Excommunicatio autem est separatio ab Ecclesia quoad fructum & suffragia generalia Sacramentis, divinis officijs. Hæc innuitur Matth. 16. Joan. 20. Matth. 5. Marci 9. 1. Thessal. 3. Tit. 3. Joan. 9. 1. Tim. 1. Joan. 12. Prov. 22. Rom. 2. Cor. 2. 2. Tim. 3.

CONTROVERSIA XL.

De Missa & Azymis.

PARS PRIOR

Missa est Sacrificium. Est Catholicorum.

1. QUia Missa est idem Græcè quod Liturgia. Vox *Missa* est Hebraica, & significat oblationem, ubi enim Hebr. Deut. 16. 10. pònitur Missa, Latinus ponit seu vertit *Oblatio*, Liturgia etiam significat Sacrificium ut patet ex Hebr. 10. 12. ubi enim in Græco *Liturgia*, Latinus vertit, *hostiarum oblatio.*

PARS POSTERIOR

Missa non est Sacrificium. Est Dissidentium.

1. SI Missa esset Sacrificium celebrata fuisset aliquando ab Apostolis. Hoc verò nunquam est factum, ergo. Resp. Celebrata est Missa ab Apostolis Act. 13. 2. nam ubi vulgata legit *Ministrantibus illis Domino*, in Græco est, *Liturgiam facientibus illis Domino.* Post Apostolos semper fuit Missa in Ec-

 clesia

lesia. Nam Concil. Chalcedon. act. 11. dicit: *Crastinâ die Missas celebrabimus omnes simul.* Ambr. ad Marcellam. *Missam facere cœpi.* Imò Magdeburgenses cent. 2. cap. 10. ajunt de S. Telesphoro Papa & M. quòd Missis cumularit, earum ritus auxerit.

2. Sacrificium debet administrari cum orationibus quæ â populo intelligantur, at verò Missa dicitur Latinè aut Græcè, aut Hebraicè. Resp. Cùm Orationes Sacerdotum non dirigantur ad populum sed ad Deum, non est opus illas â populo intelligi, nam & Levit. 16. 17. Orabat summus Sacerdos in sanctuario, ubi nemo illum audiebat, atq; adeò nec intelligebat, tamen ejus oratio fuit efficacissima. Aliud est quando docetur populus, tum lingvâ vernaculâ illi doctrina proponenda est. Illis autem tribus lingvis præcipuè utitur Ecclesia in Missà, partim quia titulus Crucis Christi, partim quia S. Scriptura illis lingvis conscripta & quidem Synagoga ita in Scripturis retinebat lingvam Hebraicam, ut cùm 2. Esdræ 13. populus ob captivitatem ferè amisisset lingvam Hebraicam, nihilominùs purâ lingvâ Hebraicâ lex Dei à Levitis legebatur.

3. In novo testamento cessaverunt quæ erant per Moysen instituta, altare, ritus &c. Resp. Altare Mosaycum cessavit, sed Hebr. 13. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Corporalium usum antiquissimum esse patet ex Optato Milavitano, qui illa deplorat lib. 6. ab hæreticis Donatistis violata.

4. Quia de ipso pane in quo fit Missa, non convenit inter Catholicos: nam Latini in azymo, Græci in fermentato celebrabant, & se invicem de hoc reprehendunt. Resp. Neq; Græci Catholici, sed quidam Novatores repræhendunt Latinos, neq; Latini Græcos. Celebrabant tamen Latini in azymis, quia multò credibilius est Christum in azymis celebrâsse; nam eo tempore apud Judæos panis fermentatus non inveniebatur: juxta prohibitionem factam Exod. 12. 15. & Matth. 25. 7. Marc. 14. 12. Luc. 22. testantur.

eo tem-

eo tempore quo Christus hoc Sacrificium instituit dies fuisse azymorum apud Hebræos. Neq; obstat quòd novi Græci 1. allegant Christum consecrâsse in fermentato, quia nondum dies advenerat azymorum Matth. 26. 5. ubi Judæi dixerunt, *Non in die festo* Christus occidatur, *ne fortè tumultus fiat in populo.* Nam licèt ita Judæi facere constituerint, aliter tamen re ipsâ fecerunt. Matth. enim 26. 17. Christum primâ die azymorum captivârunt Joan. 18. 39. in Pascha dimitti Barabbam petierunt. Allegant ijdem Græci 2. Quia si tunc fuissent dies festi azymorum, neq; Joseph Marci 15. 46. potuisset mercari Sindonem, mulieres ungventa. Resp. Fuisse honorem diei feriæ sextæ, ut Joan. 18. 28. noluerunt intrare prætorium ne contaminarentur ut possent manducare Pascha, tamen eo die qui erat secundus azymorum, nec in tanto cultu fuit ut primus, empta prædicta constat. 3. Joan. 13. 1. dicitur quòd Christus fecerit cœnam ante diem Paschæ, & 18. 28. feriâ demum sextâ non intraverunt Judæi Prætorium, itaq; feriâ quintâ nondum erant dies azymorũ, sed dum adhuc panis esset fermentatus in usu, Christus fecit suum sacrificium. Resp. Eo die quo lavit discipulis pedes manducavit Christus cum discipulis Mosaycum Pascha, id est Agnum p. & legem in hoc servavit, proinde cùm Judæi feriâ sextâ nollent ingredi prætorium ut Pascha manducarent, non de Agni manducatione loquebantur, sed de aliarum victimarum, quæ etiam Paschales erant, ut constat ex Deut. 16. 2. & 2. Paralip. 35. quibus non licebat vesci si quis fuisset legaliter immundus, ut patet ex Levit. 22. Num. 18. 18. & 2. Paralip. 35. 8. 4. Quia Amos 4. 5. dicit. *Sacrificate de fermentato laudem*, Aquila legit, *Eucharistiam.* Resp. Si legatur textus, patebit quòd hæc per Ironiam dicantur Samaritanis. De cœtero audiatur hîc vir ille doctus, & pius Proto-archimandrita Pachomius Ohylewiez in libro Polonico Ecphonematum, ipse ritus Græci, ubi hæc habet. Christus suam ultimam cœnam absolvit in azymis, & hic mos eam celebrandi fuit in tota Ecclesia usq; ad tempora Ebionitarum

 Hæreti-

Hæreticorum, qui legem novam cum veteri Mosayca, & ejus azymis confundebāt; tum Ecclesia ut se ab illis distingveret, præcepit Missæ celebrationem in pane communi, hoc est, in fermentato, cùm & iste sit verè panis. Extinctâ deinde illâ hæresi, Occidentalis Ecclesia redijt ad azymos. Græci retinuerunt fermentatum, insuper docere cœperunt, quasi in azymo non liceret sacrificari, propter quod â S. Leone Papa per epistolam sunt correpti. Agnoscit etiam Petrus Antiochenus Patriarcha in epist. ad Dominicum Episcopum Venetum, quòd ab ipsis Apostolis Romani acceperint azymos panes; & in epist. ad Cerularium, quòd ab ipso S. Petro acceperint. De cœtero inquit Joannes Dubowiz Archimandrita Dermanen. hierarchiæ lib. 4. cap. 11. fol. 151. Sicut vino est accidens esse album vel rubrum, & in utroq; verè conficitur Sacramentum, ita pani esse fermentatum vel azymum quod non tollit naturam panis, & certius quòd in azymo Christus consecraverit. Imò Theophilactus in Luc. docet, quòd in Emaus discipulis dederit Eucharistiam in azymo.

CONTROVERSIA XLI.

De veritate Corporis Christi in Eucharistia.

PARS PRIOR

Verè & realiter Corpus Christi sumitur in Eucharistia.

Est Catholicorum.

1. QUia Joan. 6. dicit Christus. *Panis quem ego dabo caro mea est.* Hæc verba Concil. III. Generale intellexit de veritate Corporis Christi in Eucharistia, quod & verba illa: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis*, epistolâ ad Nestorium exponit, de realitate Corporis Christi in Eucharistia: & Synodus VII. tom. 7. act. 6. dum ostendit, quòd Sacrificium incruentum in Ecclesia offerri solitum, non sit solùm signum Corporis, sed ipsum Corpus secundùm veritatem, adducit in confirmationem verba Christi: *Caro mea est verè cibus.* Ita hæc ipsa intellexerunt Athanas. Bazil. Chrysost. Cyrillus u-

terq;, Cypr. Hilar. Ambr. Leo. Greg. &c. quos vide apud Bellarm. lib. 1. de Sacram. Euchariſtiæ, cap. 5. & Soar. de Sacrament. diſp. 46. ſect. 2. & Tolet. Maldon. in cap. 6. Joan. ubi omnes teſtantur Chriſtum Joan. 6. de Euchariſtia locutum.

2. Quia eodem Joan. 6 promittit ſe Chriſtus daturum meliorem cibum quàm fuerit manna; panis verò ſimplex non eſt melior quàm manna; itaq; promiſit ſe daturum Corpus ſuum, ſicut ibid. dicit. *Caro mea verè eſt cibus*, & diſcipuli qui illum ſermonem audiebant de vera carnis manducatione intellexerunt, neq; in hoc à Chriſto correcti, licèt nonnulli propterea receſſerint à Chriſto.

3. Quia eodem ipſe Chriſtus affirmat realitatem Corporis ſui, cùm Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. dicit. *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt ſangvis meus.* Loquebatur autem de eo quod manibus ſuis tenebat. Neq; hæc locutio habita eſt pro figurata à Synodo VII. Generali tom. 3. in fine, â qua Synodo deputatus Epiphanius ut diſputaret contra Hæreticos contra quos ita argumentatus. *Nemo unquam SS. Apoſtolorum aut glorioſorum Patrum noſtrorum incruentum Sacrificium in memoriam paſſionis Chriſti Domini factum ad imaginem corporis ejus dixit*: & paulò poſt, ait. *Non dixiſſe Dominum, accipite ſignum Corporis mei, ſed Corpus meum*; & addit, *lege quousq; volueris, neq; Dominum, neq; Apoſtolos, neq; Patres momentum illud ſacrificij quod à Sacerdote offertur, imaginem dixiſſe, ſed ipſum Corpus & ipſum ſangvinem.*

4. Eodem modo alij PP. agnoverunt Chriſtum eſſe in Euchariſtia, realiter ſcilicet, non per figuram & imaginem. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14. *Non eſt figura panis & vinum Corporis & ſangvinis Chriſti, ſed Corpus meum, & non figura ſangvinis ſed ſangvis meus.* Theophilact. explicans hæc ipſa verba in cap. 14. Marci. *Hoc eſt Corpus meum*, dicit: *Hoc quod ſumitis, non effici panis figura tantùm Corporis Chriſti, ſed in proprium Corpus Chriſti transmutatur.* Ambr. lib. 6. de Sacrament. cap. 1. *Vera caro eſt ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus ſanguis eſt,*

quem

quem potavimus, & infra. *Quomodo vera, quia similitudinem video, non video carnis veritatem? Primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut mutare possit & convertere genera institutæ naturæ.* Aug. in Pſ. 33. tractans illa ſcripta de Davide 1. Reg. 2. *& collabebatur in manibus ſuis*, quæ ipſe juxta LXX. legit: *& ferebatur in manibus ſuis.* dicit. *Quomodo in Davide hoc invenies? ſecundùm literã non invenimus, in Christo autẽ invenimus, ferebatur enim in manibus ſuis, quando cõmendans ipſum Corpus ſuũ ait, Hoc eſt Corpus meum, ferebat enim Corpus ſuum in manibus ſuis.* Excludit ſolam figuram ab Euchariſtia Chryſoſt. hom. 6. ad pop. Hilar. lib. 8. de Trinit. cap. 27.

5. Joan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* in quem locum dum ſcribunt PP. quos vide apud Bellarm. eum intelligunt de Euchariſt. ita hæc ipſa verba accepit Conc. Alexandrinum approbatum in III. Synodo Generali. Greg. Nyſſenus in Concil. II. Generali probavit transmutationem panis in Corpus Chriſti ex Matth. 26. 26 Marci 14. 21. Luc. 23. 19. & Cor. 11. 24. & orat Cathech. cap. 37. tom. 2. pag. 534. ſic docet. *Panis ſtatim in corpus Chriſti transmutatur, ſicut dictum eſt à verbo, quòd, Hoc eſt corpus meum.* Cyrill. Jeroſol. in eodem Concilio conſedit cum eodem Gregorio, & docuit cathech. 4. myſtagog. *Aquam aliquando Christus mutavit in vinum, & non erit fide dignus transmutans vinum in ſangvinem?* plura ibi adducit ſimilia. Ambr. lib. de initiandis cap. 3. *Sermo Christi qui potuit facere ex nihilo quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? non enim minùs eſt novas dare quàm mutare naturas.* Et lib. 4. de Sacrament. cap. 4. *Sed panis iſte eſt panis ante verba Sacramentorum, ubi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Christi.* Et certè ſi verba tam clara *Hoc eſt corpus meum* &c. debent ſumi figuratè, omnes etiam fidei articuli poterunt ſumi figurate, ſed hoc illis non prodeſt, quos notat S. Aug. lib. de doctr. Chriſtiana cap. 13. *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aliud afferat ſcriptura, figuratum arbitramur.*

PARS

Christus non sumitur verè & realiter in Eucharistia, sed tantùm per fidem, eò quòd Eucharistia sit figura & imago. Est Calv.

1. Quia unus est Christus, tot autem in mundo communicant, ideò illis non potest sufficere si realiter sumatur. *Resp.* Eo modo sufficit quo panes pauculi suffecerunt aliquot millibus hominum quos satiavit.

2. Quia illa Joan 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis. &c.* Aug. tract. 25. in Joan. exponit de Spirituali manducatione, sic enim dicit: *Quid paras dentem & ventrem, crede, & manducâsti.* Itaq; Christus in Eucharistia solâ fide percipitur ut in figura, imagine, signo. Resp. Augustinum eo loco non allata verba exponere, sed illa quæ sunt ibid. *Operamini cibum qui non perit, sed qui manet in vitam aternam:* de quo cibo paulò post Christus dicit. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum.* Credere ergo oportet in Deum, & hic est cibus mentis. Alioqui Aug. lib. qq in Levit. quæst. 57. *In veteri lege populum fuisse prohibitum à sangvine sacrificiorum, quibus unum legis novæ sacrificium significabatur, in novo verò testamento illis verbis Christi. Nisi manducaveritis, & biberitis ejus sangvinem &c. præceptum est bibere sangvinem Christi in hoc Sacrificio.* Certè non loquitur de manducatione & bibitione per solam fidem, nam ab hac in veteri lege populus non arcebatur; *bibebant* enim *omnes* per fidem *de spirituali eos consequente petra,* ut dicitur 1. Cor. 10.

3. Quia cùm Christus dixisset Joan. 6. *Caro mea est cibus &c.* & discipuli apprehendissent veram & realem carnis comestionem Christus hunc errorem correxit, & dixit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, verba quæ locutus sum vobis sunt spiritus & vita*; ubi docuit illos quòd sua caro manducanda esset spiritualiter, scilicet, per fidem. Resp. Christus non in eo correxit, quòd discipuli intellexerint se ejus carnem realem realiter manducaturos, sed in eo quòd intellexerit eo modo carnaliter ut aliam carnem visibilem non absconditam, non affectam dotibus gloriosi corporis manduca-

ducaturos & ut bubulam in propria specie, hoc enim modo caro non prodest quidquam, si scilicet manducaretur ad corporum nutritionem. Sumenda verò ad nutrimentum animæ; ita exponunt Cyrill. Cypr. Aug. & hoc modo caro ejus multùm prodest ut ibid. est vers. 51. 55. 59. 59. & probat Christus carnem suam hoc modo posse manducari adducendo aliud miraculum in quo se Deum erat manifestaturus, scilicet Ascensionem suam in cœlum, quà probatione opus non esset si in illa manducatione solùm esset suæ carnis figura, & non realitas.

4. Quia non desunt Patres qui illa verba *Nisi manducaveritis. &c.* exponunt de manducatione verbi Dei per fidem. Resp. Id illos facere cùm sensu Allegorico utuntur: sed cùm literaliter exponunt, omnes de corpore Christi intelligunt: sic per paralyticum, leprosos &c. intelligunt peccatores; non tamen negant sanatum fuisse à Christo verum paralyticum, veros leprosos. Hinc Orig. hom. 16. in Num. *Bibimus Sanguinem Christi, & non Sacramentorum, & cùm sermonem ejus recipimus.* Sic etiam dicunt aliqui manducari panem hunc spiritualiter, ut excludant sensum merè carnalem, vel ut doceant corporalem manducationem sine spirituali nihil prodesse.

5. Quia illa verba, *Hoc est Corpus meum*, non possunt nisi figuraliter intelligi, alioqui esset contradictio. *Accepit panem* & dixit *Hoc est Corpus.* Resp. Accepit panem, sed dicendo, *Hoc est corpus*, mutavit in corpus: sicuti cùm dixit cæco videas, & ex cœco fecit illum non cœcum. Regula autem est Augustini lib. 3. de doctr. Christiana cap. 10. & alibi. *Scriptura propriè & simpliciter intelligi debet, quando nec consensus Ecclesiæ totius, nec quidquam absurdi obstat.*

6. Saltem de Calice figurata est locutio: *Hic Calix novum testamentum est in meo sangvine*; ubi calix ponitur pro re ab illo contenta, & res appellatur *testamentum*, cùm sit testamenti signum; ergo & cùm dicitur, *Hoc est Corpus meum*, debet accipi pro signo corporis. Resp. Valdè usitatum esse, appellare calicem, rem contentam in calice, & statim explica-

cari quid per hoc intelligatur dum additur, *qui pro vobis effundetur*, non enim calix effundi potest, sed id quod in illo continetur, deinde quod Lucas dixit *Calix*, Matth. & Marcus. explicant, *Hic est sanguis*, quod nemo explicat de verbis *Hoc est Corpus*, nec ullus de eo potest afferri tropus. In testamenti voce nulla est figura, nam *testamentum* duo significat, & voluntatem testatoris, & instrumentum authenti significans illam voluntatem, & in hoc sensu calix propriè est testamentum, neq; est signum sangvinis, sed instrumentum modo dicto.

7. Quia verba illa, *Hoc est corpus meum*, sunt sacramentalia, itaq; sunt exponenda sacramentaliter seu mysticè. Resp. Sunt sacramentalia, id est, mysterium continentia: non autem, sunt sacramentalia, id est, impropria & figurata. Ita sunt sacramentalia *Baptizate omnes gentes &c.* Et tamen sunt propria.

8. Ipsi Catholici in Missa dicunt *Sursum corda*, quod significat, elevate corda vestra ad cœlum, ubi est Christus. Itaq; non est in Eucharistia. Resp. Illa verba dici à Catholicis Sacerdotibus ante consecrationem hostiæ, cùm nondum est in illa Christus: post consecrationem verò præsentem Christum adorant in hostia.

9. Quia particula *est* in scriptura pro *significat*, ut cùm dicit. *Ego sum ostium, ego sum vitis &c.* dicit ego significo ostium, vitem, seu cum illis habeo similitudinem: ergo etiam cùm dicit *Hoc est Corpus meum* perinde est acsi diceret, *hic panis cum corpore meo habet similitudinem*. Resp. Verbum *est* assumitur impropriè in parabolis, vel in visione mystica, & statim adjungitur explicatio: loco verò citato nullus unquam suspicatus assumi impropriè, cùm nec sit parabola, nec visio mystica, neq; sit apposita explicatio: unde S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *De veritate sangvinis & carnis Christi non est relictus ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione; & fide nostra, caro ejus est verè cibus* Ambr. lib. 6. de Sacrament. cap. 1. *Sicut verus Dei Filius est Dominus JESUS Christus, ita vera est caro*

 ejus

ejus quam accipimus, & verus sanguis potus. S. Cypr. super Luc. 22. *Hoc est Corpus meum:* ita docet. *Non dubites an hoc sit, sed potiùs suscipe verba Salvatoris in fide, cùm enim sit Veritas non mentitur.* Chrysost. hom. 43. in Joan. & hom. 60. ad populum dicit Christum in hoc sacramento videri & tangi, & intra nos sumi; & dentes nostros ejus carni infigi, & degustari sangvinem Christi. Et hom. 61. ad pop. lingvam sumendo sangvinem Christi rubescere. Cypr. serm. de lapsis dicit jacere Corpus Christi in arca quando in illa hoc Sacramentum ponitur, contrectari manibus, concludi visceribus. Hiero. ad Rusticum. Corpus Christi ait portatum in vimineo canistro, Sangvinem in vitro. Optatus libr. cont. Parmen. Altare sedem esse Corporis Domini, & calices portatores Sangvinis &c. Quàm longè hi Patres ab explicatione mystica illorum verborum!

10. Quia Patres aliqui Eucharistiam appellant figuram; nam Aug. in Ps. 8. *Judam adhibuit Dominus in convivium, in quo Corporis & sangvinis sui figuram commendavit & tradidit.* Tertull. lib. 4 contra Marcion. *Panem Corpus suum fecit dicendo, Hoc est Corpus meum, scilicet figura Corporis mei.* Resp. Figuram etiam sumi pro substantia. Nam Christus à S. Paulo dicitur figura Patris, qui tamen verè est ejusdem substantiæ cum Patre. Item Colloss. 1. dicitur. Imago Dei, attamen verè est Deus. Philipp. 2. Habitu & similitudine inventus ut homo, verè tamen fuit, ita & Aug. dixit figuram sed non solam, verùm cum veritate conjunctam, & ita ipsemet explicat lib. contra Advers. cap. 2. *Christum, cùm signũ & figuram Corporis sui daret, affirmavisse tamen id quod dabat, esse Corpus suum, quia scilicet in eo signo continebatur res significata, de qua verè & propriè Christus affirmare poterat, quòd esset Corpus suum.* Simili modo explicandus Tertull. qui tamen nullibi dixit Eucharistiam solùm esse figuram.

11. Quia Aug. in Ps. 29. dicit Christi nomine. *Non hoc corpus quod videtis mãducaturi estis, nec bibituri estis illum sangvinẽ, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Resp. Loqui illum

lum de modo comedendi, quòd scilicet Corpus & Sangvinem, non in proprijs speciebus sumpturi sumus: in quo respicit cap. 6. Joann. in quo disputat Christus contra carnalem cogitationem Capharnaitarum, qui carnaliter, ut ibid. inquit Aug. putaverunt quòd Christus scissurus esset particulas Corporis sui, & daturus illis in cibum. Tali etiam modo explicat tract. 94. & 95. in Joan. verba illa Christi Joan. 16. *Jam non videbitis me.* & Matth. 26. *Me autem non semper habebitis.* hoc est, tali modo ut nunc habetis, ita & 1. Cor. 15. de resurrectione corporum dicitur. *Non quod futurum est seminari.* id est, sepeliri: hoc modo idem Aug. epist. 23. dixit. *Secundùm quendam modum Sacramentum Corporis Christi Christus est, sicut Sacramentum Fidei Fides est.* de modo naturali existendi quem habent homines. In summa, *Non hoc corpus quod videtis &c.* quoad modum ejus existendi, Concedo; nón hoc quoad substantiam, Nego. Idem autem est corpus glorificatum & mortale, alioqui non ijdem essemus in cœlo qui sumus in terra.

12. Quia idem Aug. lib. 13. de doctr. Christi cap. 13. dicit. *Figuratum est quod Dominus dixit: Nisi manducaveritis carnem Filij hominis &c. quia flagitium videtur jubere, & quæ ad flagitium in scriptura hortari videntur, figuratè accipi debent.* Resp. Flagitium esset ferino more carnem comedere, propterea figuratè accipi debet, id est, sub figura specierum accipi. Nam ipse Aug. lib. contra Adversf. legi & Prophetis cap. 9. dicit. *Nos Christum carnem suam manducandam, bibendumq; sangvinem dantem, fideli corde & ore suscipimus.*

13. Quia Cypr. serm. de Cœna Domini. *Hoc quotiescunq; agimus non dentes ad manducandum acuimus, sed fide sincerâ panem sanctum frangimus, & partimur.* Resp. Hic docere S. Cypr. ut fructuosa sit communio spiritualem conjungendam manducationi corporali. Hoc ipso sensu dixit Aug. lib. 21. de Civit. cap. 25. *Non dicendum, eum manducare Corpus Christi.* hoc est, sine fructu manducat. Cùm ergo Cypr. dicit. *Fide frangimus & partimur*, dicit, cum fide, *non dentes acuimus* ad manducandũ more ferino carnem in sua specie.

CONTROVERSIA XLII.

De Panis substantia in Eucharistia.

PARS PRIOR

In Eucharistia non est cum Christo panis substantia.

Est Catholicorum.

1. QUia ita semper fuit creditum in Ecclesia, ut patet ex Chrysost. hom. 88. in Matth. Cyrillo Alex. epist. ad Collossinũ. Euseb. Emiss. hom. 5. de Pascha. Cyril. Jerosol. cathech. 4. mystag. ubi ait, *Pro certissimo habete, panem hunc qui videtur, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi: & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi vinum gustui esse videatur, non vinum sed Sanguinem esse Christi.* Ambr. de ijs qui myst. initiantur cap. 9. *Post consecrationem jam non est quod materia formavit, sed quod benedictio consecravit.* & lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Panis ille, panis est ante verba Christi: ubi accessit consecratio, de pane fit Caro Christi.* Remig. Episc. Remensis in Ps. 21. *Panis & vinum à Christiana veritate dicuntur, non quia naturam panis & vini post consecrationem retineant, sed quia nutriant*, scilicet animam. Beda lib. de myst. Missæ. *Ibi forma panis videtur, ubi substantia panis non est.* Bern. serm. de cœna Domini. *Hostia quam vides, jam non est panis, sed caro mea. Similiter liquor iste quem vides, jam non est vinum, sed sangvis meus. Quemadmodum ibi species cernuntur, quarum substantiæ & res non creduntur: sic res veraciter creditur, cujus species non cernitur. Videtur enim species panis & vini, creditur autem substantia corporis & sangvinis Christi.* Plures PP. vide apud Bellarm. & Valentiam.

2. Quia eadem Ecclesia semper credidit substantiam panis mutari in substantiam carnis Christi; testes sunt Cypr. de Cœna Domini. *Panis iste non effigie sed naturâ mutatur, omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Ambr. lib. de his qui init. cap. 9. *Cùm sermo Eliæ potuerit de cœlo ignem afferre, multò magis sermonem Christi mutare naturas, & species elementorum.* Et lib. 4. de Sacram. cap. 5. & lib. 6. cap. 1. dicit *panem & vinum converti in*

ti in aliud. Chrysost. hom. 83. in Matth. ait. *Christum esse illum qui panem & vinum in altari salvificat, & transmutat.* Eusebius Emissen. hom. 5. de Pascha. *Sacerdotem visibiles creaturas in substantiam corporis & sangvinis Christi secretâ potestate convertere, & illum panem transire in naturam corporis Dominici.* Greg. Niss. Orat. Cathech. cap. 37. *Rectè Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari.* & paulò post. *Naturas ejusdem vi Verbi transelementari.* Cyrill. Jerosol. orat. 4. Mystag. *Christum qui suâ voluntate mutavit aquam in vinum, dignum esse cui credatur, quòd vinum in sangvinem transmutaverit.* Cyrill. Alex. epist. ad Colossinum. *Illa quæ in altari offeruntur transmutari à Christo in veritatem propriæ carnis.* Dam. lib. 4. cap. 4. *Panem & vinum mirabili modo, verbis in Christi corpus & sangvinem converti.*

PARS POSTERIOR

In Eucharistia est cum Christo panis substantia Est. Lutheranorum.

1. QUia 1. Cor. 10. de Eucharistia dicitur. *Panis quem frangimus &c.* Resp. Scriptura res in alias mutatas solet eâ voce appellare quæ ante mutationem appellabantur. Ita de Eva ex osse facta dicit Adam Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Exod. 7. de virga Moysi quæ mutata in serpentē devoravit Magicos serpentes Ægyptiorum, dicitur: *Virga devoravit.* Joan. 2. Vinum ex aqua factum appellatur aqua. Ita Matth. 11. dicitur: *Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Appellatur etiam res sub impropria specie occultata eo nomine quo res appellaretur cujus est illa species. Ita Gen. 8. Angeli appellantur *Viri*, quia sub specie virorum conspiciebantur: hoc modo & Eucharistia appellatur panis: insuper ad verba. *Panis quem frangimus*, additur, *nonne participatio Christi est?* id est communio, distributio. Explicat deniq; S. Ambr. in cap. Omnia de consecrat. dist. 2. Quid in hac materia nomine *panis* intelligant SS. PP. *Panem istum quem sumimus in mysterio, illum utiq; intelligo, qui manu Spiritûs S. formatus est in utero Virginis, & igne Passionis coctus in ara crucis.*

2. Quia

2. Quia PP. docent remanere in Eucharistia panem. Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 5. *Si tanta vis fuit in sermone Christi, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius erit, ut sint quæ erant, & in aliud convertantur?* Gelasius in lib. de duabus naturis contra Eutich. *Sacra quæ sumimus, divinæ res sunt, & tamen non desinit esse substantia, vel natura panis & vini.* Theodoret. dial. 1. *Signa quæ videntur appellatione corporis sui honoravit; non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens.* Resp. Quod Ambrosium attinet Landfrancus gravissimus author lib. de Sacram. Eutich. testatur non in omnibus Ambrosij operibus reperiri illa verba, *sint &*, atq; ita legi *ut quæ erant in aliud convertantur*, & ita ipse Ambr. hæc eadem ponit lib. de ijs qui myster. initiantur, cap. 9. ex quo patet suspectum illum locum ne fortè sit suppositititius. Sed sit sanè Ambrosij spectatis ijs qui alibi iste Pater dixit, sensum allegatorum verborum hunc esse debere. *Sermonem Christi magis operatorium esse, ut quæ erant, scilicet panis & vinum, partim sint & maneant, nempe secundùm accidentia: partim in alia convertantur, atq; adeò desinant esse.* Hanc responsionem ponit Landfrancus l. c. Quod attinet Gelasium, non est hic ille qui ante mille annos gessit Papatum, sicuti id ostendit Canus lib. 6. locor. Theolog. cap. ult. ad 9. & Claud. Sanch. repetit 8. cap. 8. sed fuit alius quidam Cæsariensis Gelasius cujus minor authoritas; dico tamen ab isto species panis & vini appellatas fuisse naturam, idq; ideo quia idem efficiunt solæ atq; cum substantia conjunctæ. Ita respondet Author Bibliæ sacræ, nam idem Gelasius locis alijs ibidem indicat transmutationem panis in corpus Christi, ut cùm dicit. *Panem & vinum in divina transire.* Priora autem dixit ut similitudinem faceret inter Eucharistiam & Personam Christi, quòd sicut in Christo non confundantur naturæ, ita in Eucharistia: ad quod sufficit dicere, quòd species panis non confundantur cum Christi corpore. Theodoret. seipsum explicat, nam ibid. addit. *Non esse attendendum ad naturam eorum quæ videntur, sed credendam mutationem quæ hîc fit ex gratia.* Ex quo patet quòd

in cit.

in cit. textu locutus sit de speciebus. Pari modo explicandus Joan. Constantinop. alius à Chrysost., uti latè ostendit cit. Sanchez. l. c. Sed & Confessio Augustana Carolo V. oblata professa est transubstantiationem in Eucharistia. Vide Lindanum in tabulis, tab. 2. num. 1. fol. 235.

3. Accidentia manent in Eucharistia, ergo & substantia panis. Resp. Quia non de albedine, sapore, odore dixit, sed de substantia panis, hoc est corpus meum.

4. Potest dici de Christo: Homo est Deus, Deus est Homo: ergo etiam, Panis est corpus per concomitantiam. Resp. Deus unitus hypostaticè humanitati, non autem panis Christo, inde illæ prædicationes ibi, non hîc valent; nam etiamsi anima sit simul corpore, non possumus dicere: Anima est corpus.

5. Si ostendam marsupium plenum pecuniâ, possum dicere: Hoc est pecunia. Resp. Tum erit tropus & pars pro toto dicetur, at Christus dicendo, Hoc est corpus meum, non est usus tropo.

6. 1. Cor. 10, 6. *Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* Si participatio, ergo panis cū corpore participat. Resp. Est participatio, quia qui comedunt illum, participant de corpore, non autem est participatio, id est partim corpus partim panis.

CONTROVERSIA XLIII.

De tempore quo Christus est in Eucharistia.

PARS PRIOR

Christus etiam extra usum est in Eucharistia. Est Catholicorum.

1. QUia ante usum & esum Eucharistiæ Christus dixit. *Hoc est corpus meum.* Unde Aug. dixit in Ps. 33. *Christum portâsse suum corpus manibus suis, quando dixit: Hoc est corpus meum.* Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. *Eundem Christum nunc in altari consistere, qui aliquando fuit in præsepi à Magis adoratus.* Optatus lib. 5. contra Parmen. vocat *Altare sedem Christi, &*

 cali-

calices portatores sangvinis. Concil. Nicen. *In sacra mensa situm esse Agnum, qui tollit peccata mundi incruentè à Sacerdote immolatum.* Neq; aliter crediderunt antiquissimis temporibus, qui Eucharistiam servandam esse in templo voluerunt, de quo non pauca in decretal. tit. de diligentia adhibenda in custodia Ecclesiæ. Amphilochius refert in vita S. Basilij, eum fuisse solitum Eucharistiam servare in aurea columba, pro eodem facit consvetudo quæ est in Liturgijs SS. Jacobi, Basilij, Chrysostomi &c orandi post consecrationem sermonem dirigendo ad S. Hostiam his verbis *Agnus Dei* &c. *miserere nobis.* Et rursus. *Domine non sum dignus* &c. hoc modo orabat & Dionys. Cœlest. Hier. dum alloquitur S. Eucharistiam. *O divinissimum Sacramentum, intelligentiæ nostræ oculos tuo lumine imple.* Quæ oratio fieri non poterat, si in Eucharistia solùm panis esset. Chrysost. lib. de Sacerdot. cap. 4. tom. 4. pag. 31. *O miraculum! ô benignitas! qui cum Patre sursum sedet, in illa ipsa hora manibus omnium continetur, & seipsum dat volentibus accipere & complecti, cùm diu manibus omnium tenetur.* Loquitur juxta consvetudinem antiquam dandi in manus Eucharistiam communicaturis. Cyrill. Jerosol. cathech. 4. *Scias & pro certissimo habeas panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustûs vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sangvinem Christi esse.* Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. 10. pag. 531. *Id quod est in calice, est id quod fluxit è latere.*

2. Quia 1. Cor. 11. 23. ubi scribitur. *Accipite & comedite corpus meum quod pro vobis traditur.* Græcus legit, *Quod pro vobis frangitur, vel frango.*

PARS POSTERIOR

Ante usum non est Christus in Eucharistia. Est Luther.

1. QUia sicut impropria est locutio Matth. 23. 30. *Semen est verbum Dei*: ita ista. *Hoc est Corpus meum.* Item 1. Cor. 10. 4. *Petra autem erat Christus.* Resp. Hæc argumentatio

valet

valet pro Calvinistis qui contra Lutheranos & Catholicos asserunt Eucharistiam solùm esse figuram Christi; dico autem ad illam, negando pariter esse figuratam hanc *Hoc est Corpus meum* sicut illæ aliæ duæ sunt, præter rationem allatam in simili, controv. 41. parte poster. num. 5. est ista. Quia quoties impropria locutio ponitur, toties explicatio illius innuitur, quæ hic nulla est, imò innuitur propriè esse sumendam. Joan. 6. 52. *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Non figuratam autem carnem dedit pro mundi vita.

2. Quia Ps. 113. dicitur. *Deus noster in cœlo.* Itaq; non est in Eucharistia. Resp. Hoc modo hic textus assumptus, probaret 1. neq; in usu esse in Eucharistia Christum. 2. Deum non esse immensum, nec esse in terra. 3. Cùm ante Christi adventum fuerit prolatus, Christum non fuisse natum. Quocirca intelligi debet de Majestate & gloria, quam in cœlo manifestat, & hoc modo neq; est in terra neq; in Eucharistia.

3. Quia monemur Matth. 24. 23. *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus aut illic, nolite credere.* Resp. Hoc modo neq; in usu esset. Sermo ille Christi non est de Eucharistia, sed de illis qui se Messias & Christos dicebant, quales comparuerunt tempore Romanorum obsidentium Jerosolimas.

4. Quia Christus Matth. 16. 11. expressè dixit, *me non semper habebitis.* Et Joann. 16. 18. *Relinquo mundum.* Et Act. 7. 48. 17. 24. *Deus non habitat in templis manu factis.* Resp. Priores duo textus sic sumpti probant nec in usu Christum esse. Itaq; de visibili permansione nobiscum locutus est Christus, de invisibili autem Matth. 28. *Vobiscum sum usq; ad consummationem mundi.* In Actis Apost. de Dijs & idolis quæ in templis habitabant tanquam loco egentia, & propterea ibid. additur, quòd Deus noster non sit indigens aliquo.

5. Quia Act. 1. dicitur, *Christus sedere ad dexteram Dei, nec inde venturus nisi ad judicium.* Resp. Hoc æquè pugnaret contra præsentiam Christi in usu, de visibili ergo adventu sermo est.

 6. Quia

6. Quia Matth 15. 7. dicitur. *Omne quod intrat in os, mittitur in secessum.* Resp. Hoc maximè pugnaret contra præsentiam in usu, quia ibi mittitur in os. Locus autem ille est de comestione communium ciborum & modo communi. Nam Christus post resurrectionem suam comedebat cùm Apostolis sine illa excretione. Præterea cùm Christus solùm tamdiu maneat sub speciebus panis, quamdiu maneret substantia panis si ibi esset, corruptis speciebus ipse esse desinit, ac alia materia proportionata illis corruptis substituitur, & sic nihil absurdi sequitur.

7. Quia Christus cùm sit in cœlo, si esset in Eucharistia, simul in duobus locis esset, quod est impossibile. Resp. Hæc ratio pugnaret æquè contra Christum in usu; quocirca concedo Christum esse in pluribus: & hoc non est impossibile, nam etiam dum á Paulo & Stephano videbatur in àëre, fuit super omnes cœlos ad Patris dexteram.

CONTROVERSIA XLIV.

De Christi loco ratione sui corporis.

PARS PRIOR

Christus non est ubiq; ratione sui corporis.

1. QUia Matth ult. 6. dictum est ab Angelis. *Surrexit, non est hîc.* Itaq; non fuit in sepulchro.

2. Quia ipse Christus Joan. 11. 4. dixit. *Non eram ibi, sed eamus ad eum.* Joan. 14. 3. *Iterum veniam & accipiam vos ad me, ut ibi sitis ubi ego sum.* Proinde si Christus esset ubiq;, & nos cum illo ubiq; esse deberemus.

3. Quia Marci 7. de Christo dicitur. *Venit in regionem Tyri, & ingressus domum voluit neminem scire & non potuit latere.*

4. Quia de Christo futuro in Matris utero prophetatũ. Jer. 31. 22. *Mulier circumdabit virum.* Sed quomodo circumdedisset, si hic Vir ubiq; fuisset?

PARS POSTERIOR

Christus juxta corpus est ubiq; & non in sola Eucharistia.

Est Ubiquistarum.

1. Quia

1. QUia Christus juxta Matth. 26. 64. sedet ad dexteram Dei dextera verò Dei est ubiq;, ergo & ipse est ubiq;, quòd ad illam sedeat, etiam est Act. 7. 51. Rom. 8. 34. Resp. Hanc locutionem esse impropriam, cùm Deus neq; dexteram neq; sinistram habeat, siquidem est immensus: & significare honorem ac dignitatem; alioqui si propriè sumi debeat, cùm Sap. 3. 1. dicatur. *Justorum animæ sunt in manu Dei*: manus verò Dei sit ubiq; sequeretur etiam illas animas esse ubique. Ita etiam impropriè dicitur Deus venire ad aliquem, cùm localem motum habere non possit, scilicet venit per dona vel per aliquam apparitionem visibilem.

2. Quia Ps. 8. 8. dicitur de Christo. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Si *omnia*, ergo ubi sunt omnia, sunt pedes ejus, ergo ubiq;. Resp. Id etiam intelligendum de potestate & eminentia juxta illud Joan. 13. 3. *Omnia mihi tradidit Pater*. & illud Matth. 18. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*.

3. Quia Matth. 18. 20. Christus promisit: *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo ibi ego sum*. Matth. ult. ult. *Ego vobiscum sum usq; ad consummationem mundi*. Resp. Si solùm est cum duobus vel tribus, non est ubiq;, quia non est cum uno. Item si est cum solis Fidelibus, non est cum infidelibus, ac proinde non ubiq;. Itaq; cum illis est per directionem, protectionem.

4. Quia Ephes. 4. 10. *Ascendit super omnes cœlos ut impleret omnia*. Resp. Hinc sequitur quòd priusquam ascendisset, non implebat omnia, ac non ubiq; fuit. Resp. 2. Implevit omnia successivè, priùs terram, postea aërem, demum cœlos, implevit autem non singulas earum partes occupando, sed in quovis eorum consistendo.

5. Quia 5. Coloss. 2. 4. *Habitavit in Christo plenitudo Divinitatis corporaliter*. Itaq; illi omnia sua communicavit attributa, inter quæ est immensitas. Resp. Si omnia communicavit, itaq; & esse absq; initio, esse immortalem, invisibilem. Communicavit ergo sola illa attributa quæ non repugnant Creaturæ, ut est sanctitas, at verò repugnat immensitas,

 immen-

immensum enim creari non potest, ac proinde nec esse Creatura.

CONTROVERSIA XLV.

De Usu Eucharistiæ.

PARS PRIOR

Eucharistia sumi potest sub una specie. Est Cathol.

1. Quia Joan. 6. solùm unius speciei fit mentio, & promittitur vita æterna illi qui sub ea sumpserit Eucharistiam. *Hic est panis de cœlo ut &c. ut si quis ex illo manducaverit, non moriatur.* & iterum. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* & rursus. *Qui manducat hunc panem* &c. videndus versus 54. 55. 57. 59. Est verò ibi de Eucharistia, ut Contr. 41. parte priore.

2. Quia multi Patrum opinantur, quòd Christus discipulis in Emaus dum frangeret panem, dederit sub una specie Eucharistiam. Ex quo licèt non concludatur datam ibi fuisse Eucharistiam, cùm alij PP. id negent, concluditur tamen dari posse Eucharistiam sub una specie, cùm illi Patres qui id affirmârunt, qualis fuit Aug. lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 25. Chrysost. in Matth. hom. 171. Theophilact. commēt. 24. in Luc. Hieron. in epitaph. Paulinæ. Beda, Hesichius, id docuerint quòd poterat fuisse.

3. Quia passim figuræ quæ præsignabant Eucharistiam, unam indicant speciem, ut Manna, Agnus Paschalis, panes propositionis, Arbor vitæ, Participatio sacrificiorum in quibus prohibebantur sangvine.

4. Quia nullum extat præceptum de sumptione sub utraq; specie, nam quòd sub duplici sit institutum, non est contra hanc doctrinam, non enim omnia pro omnibus instituuntur, ut patet in Ordine & Matrimonio, quæ duo non eo ipso omnibus sunt præcepta.

5. Quia tempore Apostolorum Eucharistia sub una specie sumebatur. Act. 2. 46. & 48. & 42. & cap. 20. 7. 11. similia sunt. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communi-*

municatione fractionis panis, & orationibus. Agi verò hîc de Euchariſtia docet Chryſoſt. hom. 2. in 1. Cor. Neq; verò magna laus referretur illorum Chriſtianorum, ſi in prandijs cõmunibus perſeveraviſſent. Fuit autem ibi communio ſub una ſpecie, tum quia ſi fuiſſet etiam ſub ſpecie vini, id non omiſſum fuiſſet, Tum quia inter illos Chriſtianos multi fuerunt Nazarei ut patet ex Act. 18. & 21. qui voto tenebantur abſtinendi à vino & adhuc legalia ſervabant, quæ permittebant Apoſtoli ab initio; fuerunt etiam qui in ſacrificijs à ſangvine abſtinebant. Sicut è contra Gentilibus qui aſſveti fuerunt ad calicem dæmoniorum dabatur ſub utraq; ſpecie ut patet ex 1. Cor. 10. Tum etiam quia ubi legit vulgata *in communicatione fractionis panis*, Syri legunt, *in fractione Euchariſtiæ.* Agnoverunt deniq; hoc loco agi de Euchariſtia. Luth. in ſerm. de Euchariſt. Calvin. lib. 4. Inſtit. cap. 117. § 35. & ad cap. 20. Act. Actorum item 20. 7. *Unâ autem Sabbati cùm conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat.* Ubi etiam de Euchariſtia eſt ſermo; ut docet Aug. epiſt. 86. ad Caſulanum, & hoc ipſum agnoſcit Calvin. Beza, Kemnitius parte 2. exam. 2.

6. Quia poſt tempora Apoſtolorum dabatur in una ſpecie, & qui non poterant illam facile accedere, ſolebant ſecum deferre, ut poſſent eâ frui tempore neceſſitatis: teſtis hujus rei Tertull. lib. de Corona militis, Clem. Alex. lib. 1. Strom. Cypr. ſerm. de lapſis, & lib. de ſpectaculis. Baſil. epiſt. ad Cæſaream Patritiam. Hieron. Apolog. ad Pammachium. Solebant etiam manibus excipere Euchariſtiam, ut patet ex Cyrillo Jeroſol. cathech. 5. Myſtag. Prior conſvetudo propter alias rationes abrogata. Prioris præter l. c. meminit. Tertul. etiam lib. 2. ad Uxorem & de illa Aug. loquitur ſerm. 257. de tempore. *Mulieres quomodo nitidum habent linteolum, ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant.* Dion. Alexandr. epiſt. ad Fabium Antiochenum meminit, quòd aſſervata particula Euchariſtica ita exaruerit, ut qui eâ veſci voluit, priùs aquâ emolliverit. Similia invenies apud Evagr. lib. 4. cap. 35.

Qui etiam ſcribit fuiſſe conſvetudinem Conſtantinopoli ut particulæ Euchariſticæ inter innocentes pueros diſtribuerentur. Euſeb. lib 6. cap. 36 narrat Serapionem morti vicinum ſacræ hoſtiæ fragmentum ſumpſiſſe. Ambr. orat. in funere Fratris Satyri. quòd de collo geſtaverit particulam Euchariſtiæ.

7. Quia ſub una ſpecie etiam antiquitùs ſervabatur Euchariſtia in uſum infirmorum, nunquam autem ſub ſpecie vini ſed ſolius panis, patet id ex Concil. Niceno can. 12. & 14. & ex Euſeb. hiſt cap. 35. & ex Greg. Nazianz. orat. de Gorgonia Sorore, & ex Amphilochio in vita S. Baſilij, & ex Paulino in vita S. Ambroſij.

8. Quia etiam Græci omnibus diebus Quadrageſimæ præter Sabbata & Dominicas ſub una ſpecie diſtribuunt S. Communionem, qui aliàs ſub duplici communicant. Meminit hujus conſvetudinis Conc. Laodicen. cap. 49. & VI. Synodus Trullana can. 52. Sed & Latini Feriâ ſextâ quâ non conſecrant, unâ ſpecie ſunt contenti ex antiquiſſima conſvetudine quam pridie conſecrârunt, patet antiquitas ex Greg. in Sacramentali. Innoc. epiſt. ad De: Rabano lib. 2. de inſtitutis Clericorum. Imò Diſſidentes ipſi dant illis ſub una ſpecie qui vinum non ſuſtinent. In primitiva Eccleſia ad longum tempus etiam ad annum, ſub una ſpecie ſervabatur Euchariſtia. Teſtis Baſil. epiſt. ad Cæſarem Patritium. Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 36. Paulinus in vita S. Ambroſij, Amphilochius in vita S. Baſilij. Amalarius de officio Eccleſ. lib. 3. cap. 35. &c. Deferebant domum ſub una ſpecie panis ut ſumerent tempore ſuo. Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap. 5. Iren. epiſt. ad Victor. Cypr. de ſpectac. & de lapſis Dionyſ. Alex. epiſt. ad Fab. apud Euſeb. lib. 6. Hiſt. cap 36. Sangvinem verò ſumere non licebat niſi in Eccleſia, & de manu Diaconi. Athanaſ. apol. 2. contra Arianos. Cyrill. cathech. 5. myſtag. Cypr. ſerm. de lapſis ante finem, edit Baſil. anno 1540. Apud Græcos etiam aliquando ſub una, aliquando ſub utraq; ſpecie dabatur, ita Græcus teſtatur Allacius lib. 3. de occident.

cident. & orient. Eccleſiæ perpetua concord. & Goaras in Euchológ. notis ad Miſſam S. Chryſoſt.

9. Quia 1. Cor. 10. 16. unius ſpeciei meminit. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Dicere verò ex altera parte non totum Chriſtum eſſe ſub una ſpecie, eſt hæreſis Neſtorij. Unius etiam ſpeciei meminit 1. Cor. 5. 8. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis.*

10. Patet ſolius unius ſpeciei uſus ex Concilijs, ex Remenſi de conſecr. 2. cap. *per cauſam Præsbyteri*, Guarmatienſi quod jubet ut pro morituris Euchariſtia ſub una ſpecie ſervetur. ex Sardienſi cap. 2. ubi diſtingvitur laica communio à Sacrificio inter cœtera per hoc, quòd laica communio fiat ſub una ſpecie. Patet ex praxi Doctorum Eccleſiæ & virorum SS. Nam ut ſcribitur in eorum vita Ambroſius, Hieronimus, Euſebius, Benedictus ante mortem ſub una ſpecie ſumpſerunt. Idem Greg. 3. Dialog. ſcribit, quòd S. Agapitus dederit Euchariſtiam cœco, & ſimul illi viſum reſtituerit. Ad ſolam ſpeciem panis hortatur S. Ignat. M. epiſt. ad Epheſ. *Obedite Epiſcopo & Præsbytero impræVaricabili ſenſu, frangentes panem qui eſt medicamentum immortalitatis antidotum non moriendi ſed vivendi.*

11. Quia ſub una ſpecie ab antiquo dabatur Infantibus communio, ſcilicet ſub ſpecie vini; hac de conſvetudine ſcribit Dyoniſ. hier. Eccleſ. cap. ult. S. Cypr. de lapſis num. 10. quem ejus locum adducit Aug. tom. 2. epiſt. 23 ad Bonifacium. Hoc ipſum per modum præcepti poſitum habebatur in antiquo Romano officio cap. de Sabbatho, & hæc conſvetudo fuit etiam tempore Hugonis de S. Victore, hoc eſt anno 1130. qui docuit, ante lactis ſuccum dandam ſpeciem vini, quam ſi recuſârit ſumere, jubet ut Sacerdos intincto digito inſtillet. Concedit hunc morem fuiſſe Calvin. lib. 4. inſtit. cap. 2. ſect. 3. ſub finem.

PARS POSTERIOR.

Non licet ſub una ſpecie ſumere Euchariſtiam. Eſt Diſſid.

 1. Quia

1\. QUia sub una specie sumere prohibuerunt Romani Pontifices S. Leo serm. 4. de Quadrag. *Sacrilegam vocat simulationem eorum, qui in mysterijs corpus accipiunt sangvinem autem haurire declinant.* Gelasius apud Gratianum dist. 2. cap. Comperimus. *Quidam sumptâ tantùm corporis Christi portione à calice sacri cruoris abstinent, qui proculdubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur adstringi) aut integra Sacramenta suscipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemq́ mysterij sine grandi sacrilegio provenire non potest.* Resp. Illos Pontifices fecisse decreta contra Manichæos & Priscillianistas hæreticos qui vinum ut fel draconis abominabantur, teste Aug. lib. de Hæreticis cap. 46. quare hoc Sacramentum nonnisi in una specie panis & conficiebant, & sumebant, quo ipso mysterium sacrilegè dividebant, siquidem judicabant nullo modo speciem vini ad illud pertinere. Ijdem cùm Romam occultè penetravissent, quò magis laterent, sumebant apud Catholicos Eucharistiam sub specie panis, non autem sub specie vini, uti l. cap. S. Leo narrat, hanc illorum superstitionem, non usum speciei unius, damnârunt Pōtifices. Quòd etiam Gelasius qui non multò post Leoni successit contra illos decrevit, patet ex illa parenthesi, *quoniam nescio quâ superstitione docentur adstringi*, & patet ex eo quia Româ dictos Hæreticos expulit, & libros eorum combussit, ut refertur in ejus decretis tomo 1. Concil. Observat etiam S. Thomas quæst. 80. quòd contra solos sub una specie sacrificantes egerit hic Pontifex, & hoc habet ex Gratiano qui illud fortè ex decreto ipsius Gelasij descripsit, quod modò non extat.

2\. Quia Christus præcepit ut ita sumamus sicut ille distribuit cùm dixit Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ille verò sub duplici specie distribuit, ergo. Resp. In illo dicto Christi ad solos sacrificantes extendi præceptum; vel si ad omnes, tum de specie panis absolutè præcepit, de specie vini verò conditionatè, *hoc facite quotiescunq́ bibetis*, id est, *si biberitis, in mei memoriam facite.* Sed hoc magis patebit ex sequenti.

3\. Omni-

3. Omnibus est dictum Matth. 26. 27. *Bibite ex eo omnes.* Resp. Luc. 22. 17. illa verba: *Accipite & dividite inter vos*, non de calice sangvinis, quia ante institutionem illius dixit, institutio enim facta versu 20. Illud Matth. patet ex Marci 14. 23. quibus dictum, his scilicet qui, *biberunt ex eo omnes*, id est Apostoli, Sacerdotes tunc creati. Præterea præcepta Sacramentalia etsi pro tota ferantur Ecclesia non singulos obligant, sed aliquos ex Ecclesia. Ita Gen. 17. de Circumcisione præceptum fuit: *Circumcidetis carnem*; tamen non quivis administrabat circumcisionem, sed certi erant ad hoc deputati. Item de Agno Paschali Exod. 12. *Tollet unusquisq; Agnum.* & ibid. vers. 16. *Immolabit eum universa multitudo*: tamen soli Patresfamilias immolabant. Item in nova lege de Baptismo dicitur: *Euntes in universum mundum*, tamen non singuli Apostoli in universum mundum iverunt. Ita & cùm dictum. *Hoc facite in meam commemorationem*, non ideò debent omnes consecrare & distribuere Eucharistiam. Similiter cùm dictum. *Crescite & multiplicamini*, non omnes obligantur ad conjugium, nam Joannes & Paulus fuerunt cælibes; itaq; licèt toti Ecclesiæ fuisset dictum: *Bibite ex eo omnes*, non ideò singuli obligarentur. Deinde, *Accipite, commedite, bibite*, verba per se sunt invitantia non præcipientia. Cùm tamen feruntur moralia præcepta pro tota Ecclesia obligant singulos.

4. Quia Joan. 6. 53. omnibus dictum. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c.* Resp. Hic præcipi ut sumatur corpus & sangvis Christi, sed non præcipitur, ut sumatur sub utraq; specie, nam sub specie panis est corpus vivum, atq; adeò habens sangvinem; sub specie vini est sangvis, & per concomitantiam corpus. Sub specie autem panis potest bibi sangvis ut Ps. *Dederunt in escam meam fel*, & sub specie vini potest manducari caro, sicut 1. Cor. 9. 7. *Lac manducavi.* Præterea illud præceptum est ad omnes id est ad totam Ecclesiam, non ad singulos, unde satis si in Ecclesia sint aliqui qui sub utraq; specie sumant; cùm autem singulis aliquid præcipitur, præcipitur in singulari, ut patet

ex præcepto de Baptiſmo. *Niſi quis renatus fuerit.* Præterea particula *&*, quæ in allegato textu ponitur, ſumi pro *vel.* Ita Exod. 2. *Qui percuſſerit Patrem & Matrem ſuam, morte moriatur.* id eſt, *vel Matrem*, ita Apoc. 1. *Beatus qui verba prophetiæ hujus legit, & audit*, id eſt, *vel audit.* Ita & illud 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit &c.* ſumi debere, ut *&* valeat *vel*, patet ex eo, quia ibid. paulò ante dictum. *Quicunq; manducaverit panem, vel biberit calicem indignè.* Quocirca & illa allegata, *Niſi manducaveritis &c.* hoc modo ſumi poſſe. Præterea particula *niſi* idem valet atq; *ſi non*; jam verò *non* præpoſitum alicui ſententiæ cujus ſunt membra plura, juxta Hæbraicum ſtylum tantùm valet, ac ſi in ſingulis membris reperiretur; videri hoc poteſt in Pſ. 1. *Non reſurgent impij in judicio, & peccatores in concilio juſtorum.* Ubi *&* ponitur pro *neq;*, & ita à Latino interprete verſum. Item Pſ. 128. *De quo non implevit ſinum ſuum qui metit, & qui manipulos colligit.* ponitur *&* pro *neq;*. Act. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*, pro eo, *Neq; argentum, neq; aurum eſt mihi.* Ita in loco allegato; *Niſi manducaveritis, &c.* perinde eſt, ac ſi, *Si non manducaveritis, neq; biberitis, &c.*

5. Quia Marci 3. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Itaq; ſi dixit Apoſtolis *bibite*, omnibus dixit. Reſp. Non omnia quæ dixit Apoſtolis, omnibus dixit; nam non omnibus dixit: *Quorum remiſeritis peccata &c. Ite in mundum univerſum &c. Vos eſtis lux mundi &c.* de illo ergo ſolùm intelligi debet quod eo loco apud Marcum dixit, ſcilicet *Vigilate &c.* Præterea illis dixit *Bibite*, quibus dixit *Facite* ſeu ſanctificate; nam facere in ſcriptura ponitur pro ſanctificare ut patet ex Levit. 9. 16. *Fecit holocauſtum.* Exod. 29. 39. *Hoc eſt quod facietis in altari.* Levit. 15. 15. & 4. 30. Num. 6. 11. & 9. 2. Judic. 13. 16. 3. Reg. 18. 23. & ibid. ſæpiùs. Sed non omnibus dixit ut ſacrificarent, itaq; nec omnibus ut biberent, & hoc quidem ſi verba illa ſonant præceptum. Si *Facite* non accipitur pro ſacrificate, ſed pro eo quaſi diceret. *Me imitemini, & actiones meas*: tum omnes alijs debent accepto linteo alijs lavare pedes, & ij ſunt duodecim, debent conficere ac diſtribuere Euchariſtiam

idq;

idq; solis viris absq; fæminis, & hoc totum postquam cœnati fuerint &c.

6. Quia ita hoc Sacramentum debet recipi ut est institutum. Resp. Si debent servari omnia quæ facta sunt in institutione Sacramenti, debebunt ea quæ proximè numeravimus. Præterea cùm in Matrimonij institutione extracta sit Adamo costa, debebit extrahi sponso ut ex illa formetur ei uxor. Non ergo omnia observanda sunt quæ contigerunt in institutione, sed sola ea quæ præceptum est observari, nō est autem præceptum, ut sub duabus speciebus fiat communio, sicuti neq; est præceptum ut sub una, sed id relictum dispositioni Ecclesiæ, quæ aliquando ob justas causas sub bina specie, aliquando sub una probat Eucharistiam, dabat sub duplici frequenter usq; ad annum 1412. quod etiam tempore S. Thomæ fiebat, ut patet ex ejus 3. p. q. 80. a. 12. Dat sub una quia perinde est totus Christus sub una, alioqui si sub speciebus panis non esset sangvis, Christus sub specie panis non esset homo, quia non esset vivus; nam Levit. 17. 14. *Anima* vita scilicet, *omnis carnis est in sangvine.* At verò si in speciebꝰ etiā vini non est Christi corpus, nō esset Christꝰ, siquidem ut Ambr. in Ps. 118. 62. *Ubi Christi Corpus est ibi Christus est.* Præterea si pars Christi est sub speciebus panis, pars sub vini, Christus dividitur, jam 1. Joan. 4. *Omnis Spiritus qui solvit JESUM ex Deo non est, & hic est Antichristus.*

7. Quia non apparet quomodo sub una specie possit mãducari & bibi. Resp. Præter superiùs dicta, posse sub specie panis id fieri, nam Joann. 6. 35. *Ego sum panis vivus, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam.* Ubi dicit quòd panis & famem & sitim pellat, quòd verò ista facit, & manducatur & bibitur. Et in scriptura etiam potabilia dicuntur comedi, ut 1. Cor. 9. 7. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ps. 68. 22. *Dederunt in escam meam fel.* patet autem ex Matth. 27. 34. quòd dederint ei bibere vinum felle mixtum. Deut. 12. *Cave ne sangvinem comedas* &c.

8. Quia 1. Cor. 11. *De pane illo edat, & de calice bibat*, præmisit

misit autem: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Si itaq; tradidit sub utraq; specie, præcepit sub utraq;. Resp. *Tradidi* non idem esse quod *præcepi*; alioqui cùm dicit eâdem epist. cap. 15. *Tradidi vobis quoniam Christus mortuus est*; sensus esset, *præcepi vobis quoniam* &c. *Tradidi* ergo significat, instruxi, docui, modum scilicet sumendi, ut inter cœtera, *Probet seipsum homo & sic de pane illo edat* &c.

9. Quia 1. Cor. 10. dum hujus Sacramenti figuras recenset, duas innuit species, dicit enim: *Omnes eandem escam manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Respicit Mannam, & aquam de petra à Moyse elicitam. Resp. Hoc potiùs probare speciem unam quàm duas, nam longè diverso tempore datum manna, longè diverso aqua; itaque hinc potiùs sequitur, aliquo tempore dandam Eucharistiam sub specie panis qui per manna innuitur, aliquo sub specie vini, quod per aquam. Deinde etsi hoc utrumq; eodem tẽpore contigisset nondum probari quod probandum est, scilicet esse præceptum sumendi Eucharistiam sub utraq; specie; sed solùm narrationem, quòd ita se habeat. Atq; ut concludam hanc controversiam. Nullus unquam Patrum asseruit, debere ex præcepto sumi sub duplici specie: nullus sub una sumentes damnavit. Docuerunt autem posse sumi sub utraq;, quãdo id Ecclesia permittet Ita Aug. ex 1. Cor. 11. docet epist. 118. ad Januarium cap. 6. *Non præcepit Deus quo deinceps ordine Eucharistia sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesiam dispositurus erat, servaret hunc locum; ut ipsi decernerent, quod pro ratione temporum, & aliarum circumstantiarum in eo genere expedierit.* Hoc idem accidit in Baptismo, cujus etiam modum Ecclesiæ reliquit, & ita quondam ut patet ex can. Apost. 49. & ex Tertull. de Corona militis per trinam im mersionem baptizabat: quem modum postea mutavit in Concil. Toletano IV. cap. 1.

10. Quia Chrysost. in 2. Cor. 18. dicit. *Omnibus unum corpus proponitur, & unum poculum.* Resp. Idem proponi, & non sicut in lege aliud, sed nulli præcipitur ut sumat utrumque.

CON-

CONTROVERSIA XLVI.

De Christi in Eucharistia Adoratione.

PARS PRIOR

Christus in Eucharistia debet adorari, Est Cathol.

1. QUia ita semper tota docuit Ecclesia, semper enim Christus honore dignus, Aug. epist. 120. cap. 27. illud Ps. 21. *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ.* ad hoc propositum accommodat. Et in Ps. 98. ubi loquitur de carne à Verbo assumpta, & quòd illam manducandam dederit in salutem, dicit. *Nemo illam manducat, nisi priùs adoraverit.* Chrysost. hom. in Ephes. *Adora & manduca.* Et lib. 6. de Sacerd. narrat vidisse quendam quòd Angeli inclinaverint capita Christo existenti in mysterijs. Theodoret. Dial. 2. de mysterijs. *Et creduntur & adorantur, non quia significant, sed quia & sunt quæ creduntur.* Hanc adorationem comparat Chrysost. hom. 7. in Matth. cum adoratione Magorum. Orig. hom. 5. in divers. cum adoratione Centurionis. Chrysost. verba sunt hom. 24. in 1. Cor. *Eundem Christum nunc in Altari consistere, qui aliquando in præsepi fuit adoratus à Magis.* Itaq; pariter hìc adorari debet.

PARS POSTERIOR

Etiamsi Christus præsens esset in Eucharistia non debet adorari Est Diffidentium.

1. QUia Christus esset in Eucharistia ut manducaretur, nō ut adoraretur. Resp. Quādo Christus venit in mundum, juxta illud: *Non veni ministrari, sed ministrare,* ut adoraretur, tamen adoratus à Magis, Centurione &c. Et quia semper Christus est Deus, deberet illi adoratio.

CONTROVERSIA XLVII.

Aliqua dogmata Catholica circa Eucharistiam stabiliuntur, & alia quibus varij Diffidentes contradicunt.

1. EUcharistia potest in processionibus circumferri. Quia

circum-

circumferebatur manna cum arca quæ fuit figura hujus Sacramenti. Josve 6. 6. & 7. 11. & 1. Reg. 4. 3. & 4 Reg. 5. 6.

2. Per Divinam potentiam Christus est sub minima particula specierum. Quia Matth. 19.27. dicitur quòd Camelus possit transire per foramen acûs. Et Marc. 10. 27. *Apud homines impossibile est, non apud Deum,*

3. Christus potest esse simul in cœlo & in terra. Quia Act. 3. 21. dicitur, quòd cœlum susceperit Christum usq; in tempore restitutionis omnium, hoc tamen non obstante apparuit Paulo in terris. Act. 9.5. & Act. 26. 14. & Paulus dicit apparuisse sibi Christum, 1. Cor. 15. 8.

4. Christus potest esse alicubi invisibilis absq; ulla extensione naturali. Quia Luc. 24. 16: erat præsens discipulis in Emaus, & oculi eorum tenebantur ne eum cognoscerent, itaque etiam teneri possunt ne illum absolutè videant. Matth. 1. 28. natus est absq; læsione Virginitatis. Matth. ult. 2. & Joan. 20. 19. prodijt ex sepulchro clauso, ingressus per portam clausam, Ephes. 4. 10. Ascendit cœlos omnes penetrando. Ergo non reliquit extensionem naturalem in suo statu.

5. Non est indecens Christo includere se panis speciebus. Quia non fuit indecens includere se utero Materno per novem menses.

6. Immeritò Diffidentes offenduntur ob unam speciem. Quia Jo. Prentius in Apologia pro Confessione Wittenbergensi fatetur abstemios à vino posse sub una specie communicare; & hic fuit Lutheri socius Philipp. Melanchton lib. de usu integri Sacramenti affirmat Ruthenos ob vini inopiam rectè facturos, si pro vino utuntur Medone, seu aquâ mellitâ, certè cum sub una specie communicabunt.

CONTROVERSIA XLVIII.

Alia dogmata Catholica circa Sacramenta & potestatem Ecclesiasticam stabiliuntur, quibus Diffidentes contradicunt.

1. BAptizatos ab Hæreticis rebaptizare non licet; est contra quosdam RR. Græcos. Quia Ephes. 4. 5. Unum

Bapti-

Baptiſma, ex quo Aug. lib. de unico Baptiſmate. *Quicunq; extra Eccleſiam ab Hæreticis vel Schiſmaticis baptizatus veniret, non debet negari Sacramentum veritatis quo eſt ablutus; ſed debet addi pietas unitatis à qua eſt ſejunctus, & ſine qua & Baptiſmus qui eſt in illo, non poſſet illi prodeſſe, hoc facimus, hoc à majoribus traditum habemus, hoc in Catholica Eccleſia quæ eſt per totum orbem diffuſa, contra omnes nebulas falſariorum cuſtodimus.* Neq; obſtat quia Act. 19. 6. Baptizavit Paulus eos qui jam baptizati fuerant à Joanne; quia Baptiſmus Joannis non erat Chriſti Baptiſmus. Sicut nec obſtat quòd Arianos baptizamus, quia illi non in nomine SSmæ Trinitatis, quam negant, baptizant.

2. Gradus conſangvinitatis impediunt Matrimonium. Quia Marci 6. Joannes dicebat Herodi. *Non licet tibi habere uxorem Fratris tui.* Lev. 18. Certi gradus prohibentur.

3. Excommunicatio habet ſuos effectus. Quia imprimis Matth 18. fit tanquam Ethnicus & Publicanus, qui non audit Eccleſiam. 2. Quia in primitiva Eccleſia ſolebat Deus miraculoſa punitione approbare excõmunicationem ut colligitur ex 1. Cor. 5. Quia 3. excommunicati vitari debent. 2. Theſ. 3. *Quia ſi quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Quia 4. ut docet Aug. quæſt. 39. in Deut. *Hoc jam in Eccleſia Dei agit excommunicatio, quod in veteri lege dicitur fuiſſe interfectio.*

4. Relapſi in hæreſim difficulter ab Eccleſia recipiendi. Hebr. 6. 4. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte,* id eſt S. Euchariſtiam, *& participes ſunt facti Spiritûs S. guſtaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtuteſq; venturi ſæculi, & prolapſi ſunt, rurſus revocari ad pœnitentiam &c.* legatur totum.

5. Eccleſiam eſſe cœtum Fidelium. Patet hoc ex Num. 19. 20. ex 1. Reg. 17. 47. ex 2. Paralip. 1. 5. ex Pſ. 21. 26. ex Matth. 16. 18. ex Act. 5. 11. ex Rom. 16. 16. ex 1. Cor. 6. 5. & locis alijs.

6. Spirituali Poteſtati debemus obedire. Quia Luc. 10. *Qui vos audit me audit,* Act. 16. Cùm tranſirent civitates mandabant ſervare ea quæ ab Apoſtolis & Senioribus Jeroſolymis conſtituta erant.

7. Sacramenta veteris & novæ legis plurimùm differunt. Quia Hebr. 9. 9. hæc comparatio inter illa instituitur. *Juxta quam* legem *munera & hostiæ offeruntur quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis & potibus, & varijs baptismatibus, & justitijs carnis usq; ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum* &c. *Si enim sangvis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* (Purgabat enim immunditiam legalem, ortam ex lepra, contactu mortui &c.) *Quantò magis sangvis Christi, qui per Spiritum S. semetipsum obtulit, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Vetera ergo Sacramenta solùm corpus mundabant à legalibus immunditijs, nostra conscientiam à peccatis: illa figurabant gratiam, nostra exhibent.

Baptismus Joannis & Christi eodem constabat ritu, sed Joannes baptizabat aquâ, Christus Spiritu S. ut est Matth. 3. 11. Marci 1. 8. Luc. 3. 16. Joan. 1. 26. Act. 1. 28.

Quòd Circumcisio non conferebat gratiam, habetur Gal. 6. 15. *In Christo enim JESU neq; circumcisio aliquid valet.* At de Baptismo Tit. 3. 5. dicitur. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Circumcumcisio enim gratiam conferebat, non propter seipsam, sed propter fidem futuræ passionis Christi cujus figura erat circumcisio, quam fidem & infans ut poterat cùm circumcideretur testabatur & Parentes ejus profitebantur, eratq; circumcisio solùm signum justitiæ, ut est Rom. 4.

Eucharistia præfertur mannæ Joann. 6. 48. ut vita morti. *Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt, hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Jam verò quod dicitur 1. Cor. 10. 3. *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt.* &c. minimè obstat. Quia non dicitur quòd Judæi nobiscum eandem escam manducârint, sed quòd eandem cum Aarone Moyse &c. qui erant in deserto, scilicet mannam, quæ vocatur Spiritualis, quia spiritualiter figurabat Eucharistiam.

8. Ma-

8. Matrimonium Christianorum neq; per adulterium solvitur. Nam Marci 10. 11. *Quicunq; dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mæchatur.* Idem affirmatur Luc. 16. 18. & Rom. 7. 2. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Similia habentur 1. Cor. 7. 10. Neq; contra est, quod dicitur Matth. 19. 9. *Dico autẽ vobis quòd quicunq; dimiserit uxorem suã nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Nam licet ob adulterium possit quis dimitere uxorem, & à cohabitatione repellere, non tamen ob id dicitur solvi Matrimonium, & ideò verba, *nisi ob fornicationem*, non ponuntur post verba, *& aliam duxerit*, sed conjunguntur illis *quicunq; dimiserit*, unde patet, non posse novam assumi uxorem.

9. Pontifex potest dispẽsare in gradib⁹ cõsangvinitatis, &c. in ordine ad Matrimonium, qui in Levitico prohibentur v. g. in secundo gradu. Quia gradus secundus consangvinitatis non est prohibitus jure naturæ, nam Gen. 29. Jacob duas sorores duxit, quod tamen expressè prohibetur Levit. 18. 18. & Juda Patriarcha Filio secundo suo dedit Onam uxorem primogeniti ut est Gen. 38. 8. Quod tamen vetitum Levit. l. c. 16. Moyses natus est ex Matrimonio Amram qui erat nepos unius uxoris suæ. Uxor enim ipsius Jochabed erat Soror Patris ejus, ut est Exod. 6. 20. loquimur hic de gradibus consangvinitatis, non inter ascendentes & descendentes, ex quibus patet illos gradus non esse lege naturæ prohibitos, sed lege divinâ pro Judæis lata, quod etiam in novo testamento lex Ecclesiastica prohibet, quæ est in manu Pontificis. Quæ verò sunt jure naturæ vetita semper sunt illicita, ut odium Dei, mendacium &c.

10. Fides non facit in Eucharistia realiter præsentem Christum, quia id nullibi scriptura asserit, & si hoc faceret fides sumentis Eucharistiam, tum Patres legis veteris realiter comedissent corpus Christi; nam 1. Cor. 10. 3. *Omnes eandem e-*

scam spiritualem manducaverunt, hoc est, omnes idem manna, sed non eandem nobiscum Eucharistiam, ideóq; additum versu 11. *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Similiter cùm dicitur vers. 14. *Bibebant autem de petra spirituali eos consequente, quæ erat Christus.* Sermo est de Christi Deitate quæ illius aquæ fuit effectrix, uti & aliorum donorum in deserto. Petra autem quæ percussa effudit aquas fuit figura Christi, qui percussus aquam salutis nobis dedit.

11. Dissidentes possunt ad fidem svavi modo ab Ecclesia compelli. Quia si hoc esset illicitum Christus id non fecisset cum Paulo Act. 9. 4. quem ideo cœcitate percussit ut converteretur. Unde Aug. epist. 201. *Si mala voluntas suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessimâ voluntate quâ persequebatur Ecclesiam? sed prostratus est ut excæcaretur, & excœcatus est ut mutaretur, mutatus est ut mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur.* & rursus. *Si voluntas mala semper suæ est permittenda libertati, quare monentur Patres in scripturis sanctis, Filium durum non solùm verbis corrigere, sed etiam latera ejus tundere, ut ad bonam disciplinam coactus, & domitus dirigatur?* Idem lib. 3. contra Crescen. cap. 51. *Frustra dicis, relinquas libero arbitrio Fidem, cur enim non in homicidijs & stupris, & in quibuscunq; alijs favoribus & flagitijs, liberè te dimittendum proclamas? quæ tamen omnia justis legibus comprimi, utilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit impunitam.*

12. Primus inter Apostolos est Petrus. Matth. 10. 2. Marci 13. 16. Luc. 6. 14.

13. Non soli qui sunt de facto Fideles sunt electi ad gloriam. Quia Joan. 10. 16. dixit Christus. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili.* Joan. 11. 52. *JESUS erat moriturus pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut Filios Dei qui erant dispersi cõgregaret in unum.* 2 Tim 2 19. *Cognovit Dominus qui sunt ejus.*

14. *Pastores Ecelesiæ possunt statuere leges.* Quia 1. Reg. 8. 7. Samueli dixit Deus loquendo de ijs quæ Samuel statuerat.

& Ju-

& Judæi contempſerant. *Non enim te abjecerunt, ſed me ne regnem ſuper eos.* Ubi etiam Samueli attribuit poteſtatem Regiam, quæ eſt etiam ad leges ferendas. S. Paulus Tito ſcribit 1. 5. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas.*

CAPUT XI. DE CÆREMONIJS ET MIRACULIS.

CONTROVERSIA XLIX.

De Cæremonijs & cultu.

Veritates Catholicæ circa hæc duo roborantur.

1. ORatio ſitu vario peragi poteſt. Quia facta eſt ſtando Matth. 6. 5. & 3. Reg. 8. 14. Flectendo genua Deut. 6. 10. Act. 7. 60. Act. 20. 36. Procidendo in faciem Matth. 26. 39. Oculos ſublevando 1. Tim. 2. 8. Luc. 18. In templo Matth. 21. 13. Luc. 18. Act. 3. 1.

2. Non eſt ſuperſtitioſum in Roſario B. Virginis. Quia non eſt ſuperſtitioſum eandem orationem ſub certo numero myſterium aliquod reſpiciendo repetere; nam Daniel fortè nullius myſterij intuitu cap. 3. 54. toties repetit, *Benedicite.* Pſalmus 118. eandem orationem etſi alijs verbis in verſibus 176. repetit. Pſalmus 135. illa verba, *Quoniam in æternum miſericordia ejus*, reiterat vicibus 26. Matth. 26. 24. eandem orationem ter Chriſtus repetijt. 2. Cor. 12. 8. dicit de ſe Paulus: *Propter quod ter Dominum rogavi.* Iſai. 6. 3. Seraphin repetunt ter *Sanctus.* Pſ. 118. 164. dicit. *Septies in die laudem dixi tibi.* Annus quinqageſimus à Deo in Jubileum aſſumptus, Septimo anno vocatio terræ conceſſa Exod. 21. 2. Levit. 25. 4.

Neq; obſtat quod dicitur Matth. 6. 7. *Orantes nolite multùm loqui ſicut Ethnici, putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.* Hic enim eſt ſermo de Ethnicis, qui vim orationis in eo ſolo ponebant, ut orationem tropis ac figuris ornatam, eamq; longam atq; argumentis ad perſvadendum idoneis plenam, coram idolis effunderent; cùm robur orationis non in multis verbis, ſed in multo ſpiritu conſiſtat.

Neq; id obſtat quia Chriſtus nos unicam orationem docuit, *Pater noſter* &c. Quia per hoc alias non prohibuit orationes, imò diverſam ab iſta Publicani, & S. Stephani orationem approbavit.

2. Non in ſolo cultu interiori debet coli Deus. Quia Matt. 26. 39. Poſitis genibus Chriſtus oravit, in faciem cecidit. Similia faciebant Apoſtoli Act. 7. 59. & Act. 26. 7. Neq; illud obſtat Joan. 4. 24. *Deus ſpiritus eſt, oportet adorare in Spiritu.* Quia ibi non dicit *in ſolo ſpiritu*, neq; negat internos actibus jungendos eſſe exteriores, quos conſtat Chriſtum ipſum & Apoſtolos junxiſſe.

3. Proceſſiones piè ſunt inſtitutæ. Quia Joſve 6 20. ex mandato Dei ſepties circuierunt urbem Jericho. Uſitatæ verò fuerunt proceſſiones antiquitùs. Nam S. Aug. lib. 22. de Civit. cap. 18. deſcribit proceſſionem, cum qua deductæ ſunt reliquiæ S. Stephani.

4. Cæmeteria fuerunt antiquitùs apud Chriſtianos, patet ex Clem. Rom. lib. 6. conſtit: cap 30. ubi ſic habet. *Adunate vos in cæmeterijs, legite libros ſacros, pſallite ſuper tumulos defunctorum.*

5. Matutinum olim etiam noctu cantabatur. Teſtatur id Philo Judæus fuiſſe à S. Marco Evangeliſta inſtitutum Alexandriæ, & David dicit Pſ. 118. *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* & ibid. *Memor fui nocte nominis tui Domine.* & Pſ. 133. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Domino.* Act. 16. Paulus & Syllas mediâ nocte orabant.

6. Dominica dies hoc nomine vocabatur. Apoc. 1. 10. *Fui in ſpiritu in Dominica die.*

8. Sepultura fiebat cum candelis: patet ex vita Marcellini Pontificis cujus corpus ſepultum eſt à D. Marcello, Præsbyteris, Diaconis, hymnis ac luminibus adhibitis. Cùm transferrentur Conſtantinopolim oſſa S. Chryſoſtomi, ait Theodoretus hiſt. lib. 5. cap. 36. *Fidelis hominum cœtus luminaribus cooperuêre.*

8. Aliqua Religio poteſt appellari nomine JESU. Quia

1. Cor.

1. Cor. 1. 9. Paulus dixit, *Fidelis Deus per quem vocati estis in Societatem Filij ejus Domini nostri JESU Christi.*

9. Usus S. Crucis signo fuit olim. Tertull. lib. de Corona militis. *Ad omnem progressum, atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad cubilia, ad sedilia, quocunq; nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo ferimus.* Aug. tract. 11. in Joan. post initium *Si dixerimus Cathechumeno, credis in Christum? respondet, credo, & signat se Cruce Christi, portat in fronte & non erubescit de Cruce Domini sui.* Hieron. ad Demetriadem. *Claudas cubiculum pectoris, crebrò signaculo crucis munias frontem tuam.* Confirmavit hunc ritum Deus miraculis; nam ut idem Hieron. in vita S. Hilarionis narrat. Mare extra littora propè Epidaurum erumpens, ubi demum constitit ubi S. Hilarion aliquot cruces in arena descripsit. S. Aug. lib. 22. de Civit. cap. 8. refert, quandam fæminam à morbo immedicabili liberatam crucis signo. Athanas. lib. Incarnat. Verbi. *Signo crucis Magica omnia compescuntur.* Ita teste Greg. Nazianz. Orat. 1. in Julianum ait, cùm iste Dœmones conspectos extimuisset, signo crucis illos fugavit. Neq; hanc rem Greg. fingere potuit, quia rem suo tempore factam scripsit, de qua si falsa fuisset, à legentibus eam orationem redargui potuisset. Sed non sunt adnexæ Crucis signa & similibus illæ gratiæ infallibiliter, dat illas Deus quando vult & cui vult; approbare tamen superstitionem miraculo non potest. De virtute signi Crucis pulchra habet Aug. lib. 83. qq. quæst. 79.

10. Nomen JESU in necessitatibus invocari potest. Quia scriptum est. *Quicunq; invocaverit nomen Domini, salvus erit,* & *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

11. Pium est creaturas benedicere & sanctificare. Quia Hebr. 9. Sangvis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus juvabat ad emundationem. Num. 5. *Tunc Sacerdos aquam sanctificatam accipiet.* 1. Tim. 5. *Omnis creatura sanctificatur verbo Dei & oratione.* 4. Reg. 2. Elisæus injecit salem in aquam noxiam & illam sanavit.

Aquæ benedictionem institutam esse ab Apostolis testatur S. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 27 Oleum benedicebatur teste Conc. Niceno.

12. Cineres assumi à poenitentibus conforme est S. Scripturæ. Jer. 6.26. *Filia populi mei accingere cilicio, conspergere cinere.* Job. 42.6. *Age pœnitentiam in favilla & cinere.*

13. Signo crucis utendum in benedictionibus. Quia S. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 27. docet hanc primam esse traditionem Apostolicam.

14. Res sacræ non debent à quovis attrectari. Quia 2. Paralip. 26. Dum Rex Ozias præsumpsit adolere incensum, & ideo usq; ad diem mortis leprâ à Domino percussus. 2. Reg. 6. Oza morte punitus, quia tetigit arcam. Levit. 10. Nadab & Abia quia offerebant Domino ignem alienum ab igne devorati sunt. Luc. 10. Certi ad prædicandum assignantur. Item Luc. 9. discipuli. Marci 6. Apostoli non alij ad prædicationem mittuntur. Num. 1. soli Filij Levi ad deferendum tabernaculum instituuntur. Num. 4. Filijs Caath permittitur ut vasa sacra portent, sed involuta à Filijs Aaron, ne tangant vasa sanctuarij Filij Caad, & moriantur.

15. Cæremoniæ variæ debent in sacris rebus adhiberi. Quia dum Christus cæcum sanaret Joan. 9. expuit in terram, & fecit lutum quo cæci oculos inunxit. Matth. 26. Procidens in terram orabat. 2. Paralip. 5. Omnes in tubis & cymbalis & instrumentis Musicis concinebant simul. 2. Paralip. 4. Salomon fecit candelabra, & ut arderent lampades.

16 Genuflexio, pilei depositio coram imagine, nihil adimit orationi in Spiritu & veritate. Quia Luc 18. 15. Nihil per hoc Publicanus orationi suæ detraxit, quòd externam fecerit humiliationem: nihil detraxerunt Josve & David coram arca flectentes, aut alium cultum externum exhibentes.

17. Coram imaginibus possunt accendi cerei, & fieri thuris incensum. Quia jussit Deus Exod. 27. 21. *Ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij.* 2. Paralip. 4. 20. *Candelabra quoq; cum lucernis suis ut lucerent ante oraculum juxta ritum &c* Exod.

40. 5. *Candelabrum stabit cum lucernis suis, & altare aureum in quo adoletur incensum coram arca testimonij.*

18. Cantus, Musicorum instrumenta resonare possunt coram imagine. Quia 2. Paralip. 5. 12. *Cymbalis, & psalterijs, & zytharis concrepabant stantes ad orientalem plagã altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis &c.* hoc fiebat quando arca continens tabulas Moysis in oraculum inducebatur.

19. Cultus distingvitur in latriam & duliam. Aug. contra Faustum lib. 20. cap. 1, *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur Sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratam esse scimus; sed illos quantò devotiùs, tantò securiùs post incerta omnia superata &c. at illo cultu quæ Græcè* latria *dicitur, cùm sit quadam divinitati propria servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum.*

CONTROVERSIA L.

De Miraculis.

Circa miracula veritates Catholicæ affirmantur.

1. SAncti post hanc vitam possunt apparere vivis. Quia Matth. 17. 3. Moyses & Elias apparuerunt Petro, Joanni, Andreæ. Luc. 24. 11. Apostoli quando resurgens Christus apparuit mulieribus, reputârunt esse stultitiam, neq; erat stultitia.

2. Inter Fideles sunt aliqui habentes donum patrandi miracula. Joan. 14. *Qui crediderit hæc opera faciet, & majora horum faciet* Marci 16. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, lingvis loquentur novis.*

3. Aliqua divina miracula fiunt cum cæremonijs. 3. Reg. 17. 22. Elias viduæ Seraptanæ Filium excitaturus adhibet cæremonias. Similiter facit, miraculum 4. Reg. 4. 34. Elisæus in Sunamitidis Filio excitando patraturus. Joan. 9. 6. Cœcũ natum cum cæremonijs Christ⁹ illuminat. & Luc. 4. 40. cum impositione manuum sanat, quo ritu etiam usi Apostoli Marci 16. 18. neq; in hoc artem præstigiatoriam exercuerunt.

4. Miracula sunt supra vires naturæ, certè enim viribus naturæ sol non poterat sisti, quem stitit Josve 10. 13. Neq; viribus naturæ Luc. 2. 7. inviolato Matris utero Christus natus, aut ex sepulchro exijt non rupto saxo, aut in cælum ascendit illo non fracto, aut Verbum caro factum est. Neq; huic obstat, quia scribitur Vespasianus cœcum illuminâsse, quod viribus naturæ fieri non posse creditur, quia Tacitus qui hoc refert, addit potuisse eam cœcitatem per medicamenta curari, multa enim in gratiam Imperatorum fingebant Gentiles, nam quod scribitur de Adriano Imp. quòd scilicet duobus cœcis visum restituerit, ipse Spartianus qui hoc scribit dubitat de veritate hujus facti & Marius Maximus dicit illos homines ab amicis Cæsaris inductos ad simulandam cœcitatem, ut Cæsar quasi superior homine miraculo patrato mutaret consilium mortis voluntariæ quod inierat. S. Aug. alicubi rejicit miracula, sed Donatistarum quæ ficta fuerunt, ut ipse docet lib. de Unit. Eccles. 19. edit. Antuerp. vel 16. edit. Basiliensis. Alia miracula quæ Ethnici efferunt, delusiones erant ope dœmonis factæ: sic Apollonius disparuit, quia Magus erat, disparere autem potuit transportatus aliò à dœmone. Nævius novacula cotem scidit, sed augur dœmoni correspondens fuit, & scindi cos potuit aliquo naturali dœmonis artificio.

5. In aliquibus miraculis nullæ sunt adhibitæ cæremoniæ. Quia Marci 1. solà suâ voluntate Christus leprosum curavit, quod & circa diversos morbos fecit sæpiùs.

6. Aliqua sunt vera miracula etiamsi vires dœmonis non excedant. Ita 3. Reg. 13. 38. Elias fecit ignem cadere de cœlo. & vers. 45. fecit grandem pluviam.

7. Novissimis etiam temporibus patraturi sunt Fideles miracula. Quia Apoc. 11. 3. *Dabo duobus testibus meis Enoch & Eliæ &c. & si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum & devorabit inimicos eorum &c.*

CA-

CAPUT XII. DE ANIMÆ IMMORTALITATE, LIBERTATE, PROEMIIS, POENIS, AUXILIIS.

CONTROVERSIA LI.

PARS PRIOR

Anima nostra est immortalis. Est Christianorum.

1. QUia 1. Reg. 28. 25. Anima Samuelis mortui apparuit, & quòd illa verè fuerit anima Samuelis testatur Scriptura Eccli. 46. 23.

2. Quia post raptum suam scripsit Elias Epistolam ad Regem Joram, ut est 2. Paralip. 21. 12. nam 4. Reg. 2. translatus Elias sub Rege Ochosia ante Joram. Itaq; Elias etiam extra hunc mundum vixit.

3. Quia Luc. 16. 23. Epulo existens post mortem in inferno vidit Lazarum in sinu Abrahæ etiam post mortem.

4. Quia Matt. 17. 3. Pridem mortui Moysis anima comparuit in monte Thabor; eadem historia refertur Luc. 9. 30.

5. Quia Matth. 10. 28. dicit Christus. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

6. Quia Matth. 25. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Sed nisi immortales essent animæ, nec supplicium æternum, nec vita esset æterna.

PARS POSTERIOR

Animæ nostræ sunt mortales. Est Semi-atheistarum.

1. QUia Eccle. 3. 19. *Unus interitus est hominum & jumentorum.* Resp. Hic sermonem esse de morte quæ nobis cum brutis communis, nihil autem dici de animarum mortalitate.

2. Quia ibid. vers. 21. *Quis novit si Spiritus Filiorum Adam ascendit sursum, & si spiritus jumentorum descendit deorsum?* Resp. Hæc non ex sensu Scripturæ dici, sed in persona impij Athei. Ita docet S. Greg. 4. Dial. 4.

CONTROVERSIA LII.

De Libertate nostræ animæ.

PARS PRIOR

Habemus liberum arbitrium. Est Catholicorum.

1. QUia Deut. 30. 19. Possunt eligere homines quod volunt. Ita enim dicit. *Testes invoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis hodie vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, eligite ergo vitam.* Qui autem eligere potest, est liber.

2. Quia Josve 24. 15. *Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, eligite hodie quod placet.*

3. Quia laudatur Eccl. 31 10. *Qui potuit transgredi & non est trangressus, facere mala & non fecit.*

4 Quia Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Non potest autem dici libertate carenti, *si vis.*

5. Quia ut est Matth. 23. 37. potest homo repugnare voluntati Divinæ dicitur enim. *Quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Act 7. 57. *Vos semper Spiritui S. resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.*

6. Quia liberè gratiæ Dei cooperamur 1. Cor. 15. 10. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Hæc omnia dicuntur de homine jam post lapsum Adami, quo tempore amissam libertatem prætendunt Dissidentes, neq; scriptura loquitur de libertate circa res civiles, sed circa res salutis.

7. Quia Rom. 8. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* itaq; non cogit. Bené in hanc rem Aug. lib. de prædest. & gratia cap. 15. *Præscivit Deus fines diversos Pharaonis & Nabuchodonosor, tamen Pharao qui perijt, suo arbitrio perijt, Nabuchodonosor suo arbitrio, non tamen sine Dei gratia salvatus est.*

8. Quia si non essemus liberi frustra nos toties hortaretur scriptura ut resistamus diabolo, id est tentationibus ejus, fru-

frustra proponeret prœmia observantibus Dei mandata. Nam Gen. 4. *Nonne si bene egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi.* Frustra incusares quòd quis gratiæ non cooperetur: at verò Prov. 1. 24. *Vocavi & renuistis, extendi manum, & non fuit qui aspiceret.* Isai 65. *Elegistis quæ nolui.*

9. Quia SS. PP. adstruunt libertatem hominis post lapsum, ut præter alios S. Ambr. lib. Hexam. cap. 8. Hieron. verò in Prol. adv. Pelag. damnat hæreseos illum qui homini subtrahunt liberum arbitrium.

PARS POSTERIOR

Non habemus liberum arbitrium. Est Dissidentium.

1. QUia Isai. 34. improperat. *Bene aut malè, si potestis, facite.* Resp. Legatur Isaias, & patebit quòd Idolis non hominibus improperet.

2. Quia Scriptura appellat nos servos peccati, corruptionis, captivos ad voluntatem diaboli. Resp. His locis scripturam loqui de homine lapso in peccatum, ex quo sine auxilio gratiæ resurgere non potest.

3. Quia 1. Cor. 12. 9. dicitur Deus omnia operari in nobis, itaq; nos nihil agimus. Resp. Hoc loco esse sermonem de prophetia & miraculis, quæ duo solus Deus in omnibus operatur.

4. Quia Philip. 1. 6. dicitur de Deo. *Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet.* Resp. Sicut cœpit dando gratiam excitantem, prævenientem, ita perficiet dando concomitantem, eas tamen nostræ libertati subjiciendo, ita ut possimus etiam illis non cooperari: de his gratijs loquitur 1. Cor. 15. 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* & 1. Cor. 9. 10. *Adjutores Dei sumus.* & addit 1. Cor. 9. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est &c.*

5. Quia Gen. 50. 20. *Non possumus Dei resistere voluntati.* Resp. Id dictum esse non de peccato Fratrum Josephi, sed

de dignitate ipsius Joseph quam Deus ita voluit, ut nec Fratrum malitia, nec aliud quidquam illi potuerit resistere: peccatum autem velle non potuit Deus, & si ita voluisset ut ipsi resistere non potuissent, neq; sanè fecissent, ac proinde non peccavissent.

6. Quia Jer. 18. 6. Sumus *sicut lutum in figuli manu, ita in manu Dei*: proinde sicut lutum nihil facit, sed totum figulus: ita nos nihil, sed totum Deus. Resp. Ibidem explicari sub qua ratione sumus ut lutum in manu figuli, scilicet quòd sicut figulus cùm vas quod fecit, concussit, facit aliud: ita Deus, postquam dissipaturus esset Israëlem ob peccata ejus, facturus esset aliam gentem, nisi Israël egisset poenitentiam: & quidem Israël non liber erat ad recipiendam dissipationem, liber, autem ad agendam, vel non, poenitentiam.

7. Quia Hæreseos damnati sunt Pelagiani qui ad opera salutis attribuebant homini libertatem. Resp. Non ob hanc causam fuisse damnatos hæreseos, sed quia docebant hominem sine auxilio gratiæ posse facere salutis, quam doctrinam etiam nunc damnant Catholici, patet id ex Hieronymo parte priore adducto qui in hoc negotio scripsit contra Pelagianos, & ex Aug. passim.

8. Luc. 10. Homo incidit in latrones, spoliatus ab illis, vulneratus, hîc est descriptio lapsi Adami, itaq; spoliatus libero arbitrio. Resp. Spoliatum esse justitiæ originali, vulneratum in potentijs animæ, quæ non sunt extinctæ, sed vulneratæ. Hinc hortatur Rom. 6. 13. *Exhibete vos tanquam ex mortuis viventes.*

9. Quia Joan. 15. 5. Christus dicit. *Sine me nihil potestis facere.* Resp. Certum hoc esse quòd sine Deo non possimus quidquam facere, ille verò nemini deest, & cum ejus gratia auxiliatrice possumus, de hac gratia quod cum illa possimus Jer. 31. 19. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere D. JESUS nisi in Spiritu S.* Ita scilicet ut proficiat ad salutem. 2. Cor. 3. 5. *Non sufficientes aliquid cogitare à nobis, tanquam ex nobis.* Ps. 58. 11. &c.

10.

10. Quidquid ſit de amiſſione liberi arbitrij per Adæ peccatum, tamen, ſi gratia Dei adſit, ei reſiſtere non poſſumus, ſi deſit nihil ſalutiferum operari poſſumus: itaq; non ſumus liberi. Deinde quod Deus ſcit ab æterno, aliter fieri non poteſt, ne ſcientia Dei fallatur. Si ergo ſcivit Petrum peccaturum, non eſt liber Petrus ad non peccandum, & ſic de cæteris. Reſp. De gratia quòd illi poſſimus reſiſtere; alioqui non dixiſſet Act. 7.51. *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.* & Matth. 23.37. *Quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & tu noluiſti?* Quoad ſcientiam Dei Reſp. illam fundari in peccato petri, ita ut ſi Petrus non peccaret in tempore, de peccato illius non habuiſſet Deus ſcientiam ab æterno, itaq; priùs eſt naturâ peccatum Petri, poſterior ſcientia Dei de illo, juxta illud Deut. 32. 19. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt.* & Pſal. 138. 4. *Et omnes vias meas prævidiſti*, dicat reſpectu viſûs priùs eſt id quod videtur, ita reſpectu ſcientiæ Dei priores ſunt noſtræ actiones liberæ: & ſicut non ideò eſt aliquid quia videtur, ſed è contra: ita neq; ideò actio noſtra libera eſt, quia ſcitur à Deo, ſed è contrà.

CONTROVERSIA LIII.

De prœmio animarum poſt mortem.

PARS PRIOR.

Juſtorum animæ ſtatim poſt mortem vident Deum.

Eſt Catholicorum.

1. QUia Eccli. 11. 26. *Facile eſt coram Deo in die obitûs retribuere unicuiq; ſecundùm vias ſuas.* Neq; loquitur ſcriptura de prœmio purè poſſibili, adducit enim hoc ut moveat homines ad benè agendum: atqui non purè poſſibile ſed futurum incitat ad laborem: loquitur autem de prœmio quale pro diverſitate temporum poteſt obtineri, hoc ante Chriſtum fuit ſinus Abrahæ, poſt Chriſtum Viſio Beatifica.

2. Quia bono Latroni promiſſum Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo*, id eſt, juxta Ambr. Bedam, Theophilact. &c. habebis viſionem Dei.

3. quia

3. Quia 2. Cor. 5. 6. *Dum sumus in corpore peregrinamur, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Mox subdit. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse Deo.* Antea dixerat. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem habeamus domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* Itaq; in cœlis præsentes erimus Deo cùm peregrinati fuerimus à corpore.

4. Quia Philip. 1. 23. desiderat *dissolvi & esse cum Christo.* Itaq; id sperabat, sperari verò non potest nisi quod futurum est. Esse autem cum Christo, idem est ac esse in cœlo juxta illud Joan 12. *Ubi ego sum illic & Minister meus erit.*

5. Quia Apoc. 6. 11. Animas Martyrum vidit in cœlo quibus datæ sunt stolæ albæ. & Apoc. 7. 9. *Hi qui sunt amicti stolis albis sunt ante thronum Dei.*

6. Quia Ephes. 4. 8. *Christus ascendens in altum* cœlum *captivam duxit* secum *captivitatem* patres in limbo detentos.

PARS POSTERIOR

Justorum animæ non statim vident Deum post mortem.

Est quorundam Græcorum.

QUia Matth. 20. Non reddit mercedem operarijs nisi vespere, quod est in fine mundi. Resp. Non omnia quæ in parabolis ponuntur, debere assumi, ut docet Chrysost. in Matth. 20. nam etiam hi operarij dicuntur murmurâsse de inæqualitate præmij, murmur autem non convenit justis. Sed id solùm ex parabola assumendum propter quod allata est parabola: scilicet quòd Deus illis qui diligenter operantur brevi tempore tantundem det præmij quantum laborantibus longiori, sed non ita diligenter. Vel si contendis simul omnibus dandum præmium, id intellige de præmio quod etiam corporibus, sed nonnisi post vesperam, id est finem mundi, dabitur.

2. Quia Matth. 25. post finem mundi Justis dicitur: *Percipite regnum*, ergo ante illud tempus non perceperunt Resp.

Non perceperunt cum ea solennitate ut totus mundus videat, hoc enim fiet post diem judicij.

3. Quia Joann. 14. Christus dicit. *Vado parare vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad me ipsum.* Itaq; tum primùm assumet justos cùm venerit secundo adventu in die judicij. Resp. Veniet iterum in morte, vel in judicio, & tum assumet cum corpore.

4. Quia 2. Tim. 1. & 4. Justus Judex depositum meum servabit usq; in illum diem: ergo ad diem judicij. Resp. Ad diem mortis.

5. Quia de antiquis Patribus sic Paulus loquitur Hebr. 11. 39. *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente ut non sine nobis consũmarentur.* Resp. Illos Patres sine nobis non consũmatos, non enim consecuti beatitudinem ante mortem Christi, & tum quidem cum aliquibus Christianis ut cum bono latrone &c. Verum ibi non de hac re loquitur Paulus sed de adventu Messiæ quem non obtinuerunt sine nobis.

6. Quia 1. Petr. 5. 4. *Cùm apparuerit Princeps Pastorum, accipietis immarcessibilem coronam gloriæ.* ergo in die judicij. Resp. Loqui S. Petrũ de consummatæ gloriæ corona, quando cum corporibus glorificabimur, quod fiet post diem judicij.

7. Quia 1. Joan. 3. 3. *Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, videbimus autem eum sicuti est.* itaq; post finem mundi. Resp. Particula *apparuerit* non significat Christum, sed est de nobis in hunc sensum. *Cùm apparuerit id quod erimus post hanc vitam*, tunc ei similes erimus, dixerat enim Joan. vers. 2. *Nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus*, post quod statim subdit, *cùm apparuerit &c.* hoc autem statim apparet in judicio particulari.

8. Quia Apoc. 6. 9. dicitur. *Vidimus subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei &c. & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum &c.* Resp. Illud altare fuisse in cœlo, proinde & animas; quod dicitur de requiescendo, sensus est, ut expectarent modicum post quod visuri es-

ſent ſumptam à Deo de ſuis perſecutoribus vindictam.

10. Quia Joannes XXII. Papa, vel ut alij numerant XXI. definivit, juſtis differri beatitudinem ad diem judicij. Reſp. In ea ſententia fuiſſe Papam, neq; ideò Hæreticum, quia nondum fuit contrarium definitum, & dum in ea fuiſſet ut privatus Doctor, velletq; juxta eam definire, præventus eſt à Deo morte, ut ejus Succeſſor teſtatur Benedictus XII. extrauag. Sed etiam ante mortem Joannes illam ſuam opinionem retractavit, ut teſtatur Jo. Villanus illius temporis ſcriptor.

11. Quia Patres non deſunt qui docent juſtos ante diem judicij non fore beatos; nam Iren. lib. 5. cap. 31. docet quòd Sanctorum animæ ad locum eant inviſibilem, & in eo reſurrectionem mortuorum expectent. Reſp. Quod attinet Irenæum, idem lib. 2. cap. 2. docuerat. Animas illas ſtatim accipere vitam & lucem æternam. Et lib. 2. cap. 63. ait: *Animæ ſtatim poſt mortem dignam ſe accipiunt manſionem.* Proinde in allegato textu per locum inviſibilem intelligit cœlum quod à nobis non videtur, & in illo expectant reſurrectionem mortuorum, ut etiam cum corporibus glorificentur. Qui Patres alij poſſunt adduci, intelligendi ſunt de beatitudine conſummata, cùm ſcilicet etiam glorificabuntur. Nemo enim Patrum eſt qui doceat juſtos non ſtatim frui gloriâ: & ſi aliquis dubitaverit de loco in quo animæ fruantur felicitate, & hoc in uno textu, corrigit ſe in alio textu. Superavit hoc Græcos recentiores quibus Armeni adhæſerunt. Luth. cùm dixit tom. 4. Jenen. fol. 4. *Nec Sanctorum quemquam in cœlo adhuc eſſe, nec quenquam impiorum in inferno.*

CONTROVERSIA LIV.

De Animarum pœna poſt mortem.

PARS PRIOR

Datur Purgatorium. Eſt Caholicorum.

I. QUia Philip. 2. *In nomine JESU omne genu flectatur, cœleſtium*

lestium, terrestrium, & inferorum. Sed in inferis non flectitur damnatorum, hi enim Deum continuò blasphemant, igitur sunt alij inferi in quibus flectitur genu, & hos vocamus purgatorium: de quo Aug. lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 20. *Sed qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam, habebit vel ignem purgationis vel vitam æternam.*

2. Quia Marc. 3. 29. *Qui blasphemaverit in Spiritum S. non habebit remissionem in æternum.* Matth. 12. de hoc ipso. *Neq; in hoc neq; in futuro sæculo dimittetur ei*, sed non dimittetur in cœlo aut inferno, itaq; in tertio loco, scilicet in purgatorio. Ex quo loco S. Greg. 4. Dialog 39. ita docet. *De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit Matth. 12. 32. Quia si quis in Spiritum S. blasphemiam dixerit, neq; in hoc mundo remittetur ei, neq; in futuro: in sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari, quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Sed tamen ut prædixi hoc de parvis minimisq; peccatis fieri credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt, aut non in gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata.*

3. Quia 1. Cor. 3. 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patiatur, ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem.* Ex quo loco Aug. Purgatorium ostendit in Ps. 37. Parisien. tom. 8. pag. 127. Basileen. l. 4. *Orat David, in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non sit opus propter illos qui 1. Cor. 3. 16. salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia ædificant supra fundamentum, ligna, fœnum stipulam, ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroq; igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios Matth. 25. 41. Ite in ignem æternum: sed etiam*

de illo qui emendabit eos qui salvi erunt per ignem, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. Cor, 3. 16. *Contemnitur ignis, ita planè, quamvis salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.*

4. Quia continua fides semper fuit dari Purgatorium. Nam & vetus Synagoga illud credebat, ut testatur Rabbi Simeon qui vixit ante Christum. lib. Zoar. in Gen. 18. & Rabbi Moyses in symbolo Judæorum Parisijs edito. Apud Christianos etiam semper orabatur pro mortuis, ut patet ex Liturgijs &c. Deniq; ipse Luther. tom. 2. Jenen. Latino assert. 37. fol. 324. profitetur se credere Purgatorium, & ostendit illud esse. Clarus est de purgatorio locus 2. Matth. 12. quos libros si nolunt Dissidentes esse sacros, saltem credant ut Livio, Salustio.

PARS POSTERIOR

Non datur Purgatorium. Est Dissidentium.

1. QUia Eccli. 11. 3. solùm duorum locorum fit mentio. *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.* Resp. Illi qui sunt in purgatorio, ceciderunt ad Austrum, sunt enim in via salutis; tertij autem loci non meminit hæc Scriptura, quia de ultimis loquitur. Ad literam verò, comparat mortuum cum arbore, quæ excisa non potest surgere.

2 Quia Ps. 126. 3. *Cùm dilectis suis dederit somnum, ecce hæreditas*, scilicet, statim, sine purgatorio. Resp. Legatur ulteriùs textus, ita enim procedit: *Ecce hæreditas Filij merces fructus*, quod scilicet Filius Dei illam hæreditatem comparaverit, non verò dicit quòd illam det omnibus absq; purgatorio.

3. Quia Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo.* Resp. Ibi Paulum loqui de concupiscentijs quæ non sunt ad damnationem illis qui sunt in Christo, resistunt enim eis.

4. Quia Matt. 25. Ubi numerantur pœnæ & prœmia, nulla est mentio purgatorij. Resp. Quia ibi est sermo de ultimo die judicij quando jam cessabit purgatorium. 5. quia

5. Quia absolutè dicitur. *Omnis qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Resp. Et illi qui sunt in purgatorio salvi erunt.

6. Quia 2. Cor. 5. 1. *Scimus quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Resp. Si ulteriùs legatur, patebit sermonem esse de judicio extremo, eo verò tempore nullum erit purgatorium.

7. Quia inter Catholicos de purgatorio non convenit, alij asserunt illud constare igni, alij dubitant, alij certum locum illi assignant, alij quēcunq; & ad hoc allegant apparitiones. Resp. Neminem Catholicorū dubitare de purgatorio, an verò igne constet, item quo sit loco aliqui sub dubiè loquuntur, quia hæc duo non sunt ab Ecclesia definita, ut de igne dicit Bellarm. tom. 1. Controv. lib. 2. cap. 10. & 11. quem citat & sequitur Honoratus Fabrij de Adiophoris lib. 3. effugio 14. puncto 4.

8. Quia Apoc. 10. 6. *Juravit Angelus quia tempus non erit ampliùs.* Resp. De fine mundi ibi agi, post quem non erit tempus.

9. Quia Ezech. 15. 21. Deus peccatorum quæ dimisit, non ampliùs recordatur. Resp. Nihilominùs Exod. 32. 34. dicit. *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Non recordatur ergo quoad culpam, sed recordatur quoad pœnam.

10. Quia dicitur de justis mortuis: *Non tanget illos tormentum malitiæ.* Sap. 3. 1. Resp. Non tanget æternum.

CONTROVERSIA LV.

De auxilio post mortem animarum.

PARS PRIOR

Juvantur pijs operibus vivorum animæ detentæ in Purgatorio. Est Catholicorum.

1. QUia non gratis Machabæi Sacrificium fecerunt pro mor-

eri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, inde sciret dispensari victimam sanctam quâ deletum est chyrographum, quòd erat contrarium nobis, quo triumphatus est hostis computans delicta nostra &c. Sit ergo in pace cum viro.

2. Quia Eccli. 38. 16. *Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dura passus incipe plorare, & secundùm judicium contegere corpus illius.*

3. Quia semper in Ecclesia pro mortuis fiebant multa opera bona. 2. Reg. 1. 12. David pro Jonatha cum toto populo jejunavit, idem fecit 1. Reg. 3. 36. pro Abner. & 1. Reg. 13. 37. pro Filio suo Aman. 1. Paralip. 10. 12. & 2. Reg. 31. 23. cùm audissent viri Jaber Galaad de morte Sauli, jejunaverunt septem diebus. Tob. 4. 18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue.* Ad quam consvetudinem respicit S. Paulus 1. Cor. 15. 29. & ex ea probat fidem de resurrectione mortuorum. *Quid facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgent?* Allegat autem hoc loco rem probatam, & consvetudinem piè receptam & non dubiam, sicut non est dubium quod addit vers. 30. *Ut quid & nos prædicamus omni horâ?* Si scilicet mortui non resurgent; si autem fuisset superstitiosum baptizari pro mortuis, malè ex illa intulisset resurrectionem. Baptizari autem idem est, quod affligi, lachrimari, jejunare; ut patet ex Marci 18. 38. *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari.* vers. 40. *Baptismo quo ego baptizor baptizabimini.* & alibi: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor donec veniat.*

3. Quia Act. 2. 24. *Deus suscitavit Christum solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Ex quo discursus hic conficitur: Christum fuit impossibile teneri ab inferno & dolores ejus pati, & tamen soluti sunt dolores in inferno, non ergo Christi, sed neq; damnatorum: itaq; aliorum, scilicet in purgatorio detentorum. Item Apoc. 5. 13. Benedicunt Agnum creaturæ quæ sunt sub terra, certè non dœmones, itaq; in purgatorio; & si dolores eorum solvuntur per Christum, pium est orare Christum ut eos solvat, &

ad hoc

mortuis, 2. Machab. 12. 43. de quo Aug. lib. de cura pro mortuis habenda cap. 1. edit. Parisien. pag. 288. tom. 4. Basileen. tom 8. pag. 347. *In secundo Machabaeorum libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, sed si nusquam in scripturis omninò legeretur, non parva est Ecclesiæ universæ authoritas, ubi in precibus Sacerdotum locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Commendat Orationem pro defunctis Concil. IV. Cartaginien. can. 79. cui subscripsit S. Augustinus. Sed & idem l. c. cap. 18. *Non existimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus, pervenire; nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificijs, solenniter supplicamus, quòd verò quisq; apud memoriam* (templum) *Martyrum sepeliatur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, ut cõmendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicantis augeatur.* Similia habet Enchirid. cap.109. & quæst. 2. ad Dulcitium edit. Paris. tom. 4. pag. 355. ubi hæc dicit. *Neq; negandum est Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt.* & lib. 9. Confess. cap. 13. sic pro Matre sua defuncta orat. *Ego itaq; laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, seposìtis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis, dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis, dimitte Domine, dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in judicium. Superexaltet misericordia judicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus, quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis cui misertus eris, & misericordiam tuam præstabis cui misericors fueris, & credo jam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine; namq; illa imminente die resolutionis suæ non cogitavit corpus suum sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium, non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri*

ad hoc hortatur 1. Joan. 5.16. *Qui scit Fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem: est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut rogetis*; id est, qui ante mortem resipiscit, neq; in peccatis gravibus moritur, pro illo est orandum.

4. Quia præter Scripturas allegatas Apostoli nobis tradiderunt orandum esse pro mortuis. S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Philip. Non frustra hæc ab Apostolis legibus sunt constituta, ut in venerandis atq; honorificis mysterijs memoria eorum fiat qui decesserunt. Eo enim tempore quo universus populus stat manibus pansis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens Sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? atque ideò quidem de his qui in fide decesserunt. Eandem veritatem hom. 41 in 1. Cor. edit. Basileen. tom. 1. pag. 369. partim ex Scriptura, partim ex rationibus deducit.

PARS POSTERIOR

Non juvantur piis operibus vivorum Defuncti. Est Dissidentium.

1. QUia non scimus an mortui sint in cœlo an alibi. Respondet S. Aug. Enchir. cap. 110. *Cùm ergo Sacrificium sive Altaris, sive quarumcunq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro valdè bonis propitiationes sunt: pro valdè malis, etsi nulla adjumenta mortuorum, qualescunq; vivorum consolationes sunt.* Et semper tales actus ut potè charitatis oranti prosunt.

2. Quia libri Machabæorum in quibus præcipuè cōmendatur Oratio pro mortuis, non sunt Canonici, neq; enim ab Esdra in canonem sunt recepti. Resp. Non ex solis illis libris deducebamus orationem pro defunctis. Quod verò Esdras istos libros non numeraverit in Sacrorum librorum canone, causa est quia qui illos scripsit, ut patet ex 2. Mach. 12. 43. post Esdræ scripsit tempora: at verò Ecclesia Christiana illos in Canonem recepit, ut testatur 16. Civit. cap. 38.

hos

hos etiam pro sacris habuit Concil. Cartag. can. 47. pag. 577. celebratum fuit anno 397. & ita loquitur. *Placuit ut præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Scripturarum divinarum. Sunt autem Scripturæ Canonicæ, Genesis, &c. Salomonis libri quinq;, Tobias, Judith &c. Machabæorum libri duo &c.* Resumit hunc librorum catalogum Aug. lib. 2. de doctr. Christian. cap. 8. tom. 3. p. 11. & lib. 8. de Civit. cap. 36. & lib. 1. contra epist. Gaudentij cap. 31. Neq; obstat quòd Scriptor librorum Machab. in fine veniam petat de erroribus: nam illam veniam non petit de erroribus circa res, sed circa verba. Nam rerum non verborum in scriptura propriè, immediatè, specialiter author est Deus. Hinc Isaias quia erat nobilis, more nobilium ornatè ac cultè loquitur: Amos ut rusticus rusticanè, & hoc modo etiam S. Paulus 2. Cor. 11. Fatetur se in sermone esse imperitum.

CAPUT XIII. DE SANCTORUM INVOCATIONE, RELIQUIIS, IMAGINIBUS.

CONTROVERSIA LVI.

De Sanctorum invocatione.

PARS PRIOR

Pium est Sanctos invocare. Est Catholicorum.

1. Quia Jacob. Gen. 48. 16. id piè fecit cùm filijs suis benediceret. *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Et. *Invocetur super eos nomen meum, & nomen Patrum meorum Abraham, Isaac.* In quem locum Aug. tom. 3. locutionum de Genesi lib. 2. propè finem, qui liber statim ponitur post tract de doctrina Christi. *Et invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum, unde notandum est, non solùm exauditionem, sed etiam invocationem dici aliquando, quæ non Dei, sed hominum sit.*

2. Quia semper in Ecclesia Sancti invocabantur sive directè sive indirectè. Exod. 32. 12. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Jacob servorum tuorum.* Neq; Deo displicuit ista ora-

tio, nam sequitur, *placatusq; est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.* Dan. 4. 14. *Ne auferas misericordiã tuam à nobis propter Abrahã dilectũ tuum, & Isaac servũ tuũ, & Israël Sanctũ tuum.* S. Joãnes Angelos invocat, Apo. 1. 4. *Joãnes septẽ Ecclesijs &c. pax vobis à septẽ spiritib⁹ qui in cõspectu throni sunt.* Par ratio est de Beatis alijs. Neq; eo loco Spiritũ S. Joãnes in septẽ donis invocabat, quia Spiritus S. tanquã Deus sedet in throno, non stat in conspectu throni, neq; ejus dona, & hoc ipsum Apoc. 8. 2. clariùs exponit. *Vidi septem Angelos in conspectu Dei.* Cyrill. Alex. in Ephesina 1. Generali Synodo act. 1. Sic invocat, neq; est reprehensus. *Salve à nobis Deipara.* & rursus. *Mysterium aperi ô Evangelista, effare etiam nunc ô Beate Joannes &c resera nobis puteum vitæ.* In Synodo Calced. act 11. Episcopi & Clerici Constantinopolitani, ita exclamaverunt. *Veritas sic habet, omnes hæc ipsa dicimus, Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret, Flavianus hîc est, &c.* Victor Uticensis Episcopus qui obijt anno 430. lib. 3. de persecutione Vandalica, in modum Litaniarum texit invocationem Sanctorum. Sanctos invocat Aug. cap. 40. Medit. ubi etiam pro defunctis orat; & lib. de cura pro mortuis cap. 4. & Ambr. lib. de Viduis. Et Deus invocationem Sanctorum varijs miraculis comprobavit, quæ lege apud Aug 22. de Civit. cap. 8. Nomine etiam Sanctorum appellata invenies templa apud Gennad. Massiliensem lib. de dogmat. Eccles. cap. 73. ubi hoc factum inter dogmata Eccles. reponit.

3. Quia possumus invocare vivos sine injuria Christi, itaq; & mortuos. Invocat viventes Paulus 1. Thess. 5. 25. *Fratres orate pro nobis.* 2. Thess. 3. 1. *Fratres orate pro nobis.* Jacob. 5. 16. *Orate pro invicem ut salvemini.* 1. Reg. 7. 8. *Dixeruntq; ad Samuelem ne cesses clamare ad D. Deum nostrum.* Ad invocandos etiam mortuos habemus exemplum antiquæ Ecclesiæ cujus morem refert Aug. lib. 20. contra Faustum. cap. 21. *Colimus Martyres & cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines, sed illos tantò devotiùs, quantò securiores post omnia incerta superata.* Hic au-

tem cultus ultimatè in Deum redundat, juxta ſynodum VII. act. 4. ubi ait. *Qui martyrem colit, Deum ipſum colit.* Admittit invocationem Sanctorum Luth. tom. 5. in cap. 1. Zachar. Calvin. lib. 3. inſti. cap. 2. ſect. 23 4. Monet ut ad Sanctos recurramus Job 5. 1. *Ad aliquem Sanctorum converte.*

PARS POSTERIOR

Non eſt pium Sanctos invocare. Eſt Diſſidentium.

1. QUia Chriſtus non docuit nos ad Sanctos recurrere ſed ad Deum *Pater noſter &c.* Reſp. ſic neq; ad Chriſtum eſſet recurrendum, quia ille eo tempore non erat in cœlis, at *Pater noſter qui es in cœlis.* Et hoc non obſtante recurrit Paulus ad vivos 1. Theſſal. 5. 25. *Orate Fratres pro nobis.*

2. Quia Sancti nihil ſciunt de nobis Iſai. 63. *Abraham neſcivit nos, Iſraël ignoravit nos.* Reſp. Etiam Chriſtus dixit. *Neſcio vos.* Et tamen ſcivit. Neſcivit itaq; quia propter illorum improbitatem non agnoſcebat illos pro ſuis. Dicere abſolutè quòd Sancti nihil ſciant de nobis, eſt labi in hæreſim Vigilantij quam refert & damnat S. Hieron. tom. 2. edit. Pariſien. fol. 590. & certè Luc. 16. 22. Epulo ex inferno invocabat Abrahamum, & auditus eſt. & Matth. 22. 30. *Gaudent Angeli in cœlis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente,* itaq; ſciunt quòd ille agat pœnitentiam. Regunt nos Sancti, Apoc. 2. 26. *Qui vicerit, & cuſtodierit opera mea uſq; in finem, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes. & reget eos in virga ferrea, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Itaq; ſciunt de nobis. Hinc Ambr. lib. 6. de viduis tom. 4. pag. 505. *Iſti ſunt Dei Martyres, noſtri Præſules, ſpeculatores vitæ actuumq; noſtrorum.* Sciunt certè: nam 2. Paralip. 21. 12. Literas ſcribit ex paradiſo Elias ad Joram, in quibus illi ſcelera ejus exprobrat, patet autem jam in terris non fuiſſe Eliam ex 4. Reg. 3. 11. dum enim interrogaret Joſaphat de Propheta qui oraret Dominum, reſponſum eſt. *Eſt hic Eliſæus Filius Saphat qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ.* Prophetam verò non agebat Eliſæ-

us quamdiu fuit in terris Elias., ut patet ex 4. Reg. 2. 3. 15. Samuel evocatus ab inferis oſtendit ſe ſcire quæ egerat Saul Verè autem illle fuit Samuel ut docet Aug. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 15. Ambr. ad 1. Luc. apparuit etiam priusquam Pythoniſſa ſuos impios ritus exercuiſſet, neq; ad terram obverſo capite uti ſolebant falſæ animæ. Deniq; Eccleſ. 46. 23. laudat Samuelem quòd etiam poſt mortem prophetaverit, quòd non alio tempore accidit quàm illius apparitionis. Sciunt etiam Sancti de nobis: quia Apoc. 6. 10. Animæ ſub altari collocatæ ſciebant quòd Chriſtiani in terra paterentur perſecutionem. Sciunt, Apoc. 7. 15. Seniores offerebant Deo viventium orationes. Orant etiam ipſi pro nobis, nam Zach. 1. 12. Angelus Domini exercituum dixit. *Domine Exercituum uſquequò tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda quibus iratus es?* Tobiæ 12. 12. Angelus defert Deo bona opera Tobiæ. *Quando orabas cum lachrimis & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum &c. ego obtuli orationem tuam Domino.*

3. Quia Eccli. 9. abſolutè dicitur. *Mortui nihil ſciunt.* Reſp. hunc ſermonem eſſe in perſona ſtultorum: imò debere intelligi de mortuis damnatis vult Hieron. Nam juſti Deo vivunt nec habentur apud eum pro mortuis juxta illud Matth. 22. 32. *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, non eſt autem Deus mortuorum, ſed viventium.* Nec obſtat quominùs nos orantes audire poſſint Sancti quia diſſiti ſunt. Quia & humanitas Chriſti à nobis eſt procul, & tamen Chriſtus ut homo ſcit de nobis & audit nos: & 4. Reg. 5. 26. Eliſæus abſens corpore vidit puerum ſuum Gieſi accipientem munera, quo utitur loco ad probandum præſens punctum. S. Aug. 22. Civit. cap. 29. Et Iſaias 7. longè ante vidit parituram Virginē. & 50. 53. Chriſtum tanquam Agnum occidentem, & Eliſæus 4. Reg. 6. 12. abſens audiebat ſecreta conſilia Syrorum. & Luc. 1. 43. Eliſabeth cùm nondum nato Joanne nondum natum agnovit Chriſtum. Certè procul erat Stephanus à Chriſto Act. 7. 55. & tamen *vidit cælos apertos & JESUM ſtantem.*

Ita & Paulus vidit. & Petr. Act. 10. 11. in terra existens vidit cœlos apertos, & linteum descendens: & Joannes in tota Apoc. res dissitissimis locis & temporibus conspicit. Unde de se & Sanctis Paulus dicit 1. Cor. 13. 9. *Ex parte scimus ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, quod est ex parte, evacuabitur, videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Et 1. Cor. 4. 5. *Donec Dominus manifestet cogitationes cordis nostri.* Modum quo Sancti nostra sciunt, colligimus ex SS. Patribus, & quidem ex Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 15. *Primùm*, discunt ex illis qui recenter de mundo ad illos veniunt. *Secundò*, per Angelos Custodes nostros edocentur. *Tertiò*, per revelationem Dei, & hoc quidem de quibuscunq; mortuis; sed de Sanctis, Greg. 11. Moral. cap. 14. sic ait. *Animæ Sanctorum quia intùs claritatem Omnipotentis vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.* & 4. Dialog. cap. 33. *Quia illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi omnia sciunt.* In Deo ergo vident omnia.

4. Quia saltem qui ex hoc mundo abeunt, obliviscuntur nostri etsi nos noverint. Resp. Contrarium promisit S. Petrus, cùm ait 2. Petr. cap. 2. 15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis.* Et Baruch. 3. *Domine Omnipotens Deus Israël, audi nunc orationes mortuorum Israël.* De Contrario certus fuit S. Cypr. qui cum Cornelio Papa pactum init lib. 1. epist. 1. si quis illorum prior moreretur. *Memores nostri simus, concordes, utrobiq; pro nobis oremus, & si quis nostrûm priùs divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro Fratribus & Sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset Oratio.*

5. Quia Job. 14. 21. dicitur de mortuo. *Sive nobiles fuerint Filij ejus, sive ignobiles, nihil intelliget.* Resp. Loqui Jobum de eo quod fieret nisi Deus mortuos illuminaret; at verò Ps. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Quando lumen gloriæ

accipiemus, videbimus ... & ... & cætera, ut ostensum est superiùs.

6. Quia quod Sanctis honoris impenditur, hoc Deo detrahitur, cui soli omnis honor & gloria 1. Tim. 1. Resp. Quidquid Sanctis impenditur, Deo impenditur propter quē & in quo Sancti honorantur: audiatur Greg. Nissenus orat. de S. Theodoro M. *Nos quidem ô Beate coëgimus tibi conventum publicum, sacrum inquam Martyribus addictum, communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes.* Hoc modo Ecclesia Romana colit Sanctos, ut videre in orationibus quas in Missali ponit de Sanctis, & hoc modo memoriæ sive templa erigebantur Martyribus, ut est etiam in Concil. Gangrensi can. 20. Nunquàm autem Sancto templum ædificamus, sed Deo in commemoratione Sancti, ita & Missas celebramus, thus adolemus, qui est cultus Dei proprius. Invocamus autem directè Sanctos, quia creatura invocari potest, & peti ut pro nobis oret. Vota aliqui faciunt & aliquid offerunt Sancto, sed isti sunt in hac sententia, quòd hic modus colendi, tam Deo, quàm creaturæ sit communis, in quo si errant, contra Theologiam, non fidem peccant. Nemo autem aliquid Sancto tribuit, quod Deo soli deberi judicat.

7. Quia Deut. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies.* Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Resp. Matth. locus est de diabolo, non de Sanctis, qui se voluit à Christo ut Deum adorari. Deut. dicit de idolis non adorandis, statim enim addit. *Non ibitis post Deos alienos cunctarum gentium.* At verò cultus Sanctorum non prohibetur: nam Rom. 2. *Gloria & honor omni operanti bonum.*

8. Quia hoc modo plures constituerentur Mediatores cōtra illud 1. Tim. 2. 5. *Unus Mediator Dei & hominum est Christus JESUS.* Resp. Talis est unus qualis ibidem describitur, *qui dedit redemptionem semetipsum*: at verò Sancti alio modo sunt Mediatores, scilicet, intercedendo, sicut Matth. 23. dicitur. *Unus est Magister vester, unus Pater.* Tamen sunt plures Ma-

gistri

gistri & Patres, sed alio modo: ita Gal. 3.9. Moyses vocatur Mediator. Possunt enim aliqui tituli tribui Sanctis in certo sensu, qui Deo tribuuntur. Ita sine dubio Pauli corona & gaudium fuit Deus, & tamen Philippensibus 4. 1. tribuit. *Vos estis corona mea & gaudium.* Deo propriè competit nomen Dei; & tamen Moysi dixit Deus, Exod. 7. *Constitui te Deum Pharaonis.* quod explicat 1. Cor. 8. 5. *Nam etsi sint qui dicuntur Dij, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt Dij multi & Domini multi.*

9. Quia Apoc. 19. 10. dum Joannes vellet adorare Angelum, prohibuit Angelus *Vide ne feceris.* Resp. tamen postea cap. 22. 9 Joannes rursus voluit adorare Angelum, & certè non voluit committere idololatriam; itaq; in priori prohibitione intellexit se non commissurum idololatriam, si adorasset. Sed Angelus noluit fortè adorari à tam sancta persona qualis fuit Joannes, permisit autem se adorari ab Abraham Gen. 18. 2. à Loth Gen. 19. 1. à Josve Jos. 5. 15. S. Aug. putat quæst. 61. in Gen. ideò noluisse Angelum recipere adorationem, quia Joannes putabat Deum sub specie Angeli propter verba magnifica quæ loquebatur, & divino cultu voluit afficere Angelum, nec obstat quòd postea agnoverit fuisse Angelum.

10. Quia in veteri lege viris Sanctis solus cultus politicus est exhibitus. Resp. Id gratis asseri. Nam juxta statum politicum Abdias aulæ Regis Achab Præfectus quàm Elias pauper, tamen Eliam 3. Reg. 18. 7. adorat.

11. Quia 1. Joan. 1. *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum*, non Sanctos. Resp. Unicum Advocatum habemus ejusmodi, *qui*, ut ibid. additur, *est propitiatio pro peccatis nostris.* de cœtero etiam sunt alij alio modo Advocati.

12 Quia Rom. 10. 14. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* In Sanctos verò non credimus; itaq; illos invocare non possumus. Resp. Si legatur textus patebit de invocando aliquo tanquam Deo ibi esse sermonem, quæ invocatio fieri non potest, nisi priùs in eum credatur; at verò

non

non invocant Sanctos Catholici ut Deos, sed ut amicos Dei. Præterea etiam in Sanctos potest suo modo credi. Philem. 5. *Fidem quam habes in Domino JESU, & in omnes Sanctos.* Et in originali Concil. Nicæni ut habetur de consecr. d. 4. ponitur. *Credo in Ecclesiam.*

13. Quia Coloss. 2. Paulus vetat seduci in humilitate Angelorum. Resp. cum Chrysost. hom. 7. in hanc epist. prohiberi ibi hæresim Simonis Magi, qui Angelos reponebat inter minores Deos.

14. Quia Esther 13. 14. Mardochæus timebat ne peccaret si homini Amano cultum detulisset. Resp. Certè illum non reputabat Sanctum, sed Principem Politicum superbissimum, & Dei honores sibi arrogantem, quos si Mardochæus tribuisset, peccavisset.

15. Quia Act. 10. 16. Petrus vetat ne sibi Cornelius honorem tribuat. Resp. Quia Cornelius adhuc Ethnicus volebat Petrum ut Deum adorare, quod patet ex verbis Petri: *Surge, nam & ego sum homo.*

16. Quia Invocatio Sanctorum facit ne totam fiduciam in Deo reponamus. Resp. Imò facit ut majorem in Deo collocemus, à quo faciliùs nos speramus petita obtenturos adhibitis intercessoribus; sed & ipse Deus quosdam remisit ad Jobum 42. 8. ut peterent ab eo fieri pro se orationem. *Ite ad servum meum Job &c. Job autem servus meus orabit pro vobis.* Et Christus Matth. 15. 23. non priùs exaudivit Chananæam quàm pro illa discipuli orâssent, licèt dixerit Ps. 49. 15. *Invoca me in die tribulationis, & ego exaudiam te.*

17. Quia Catholici videntur Ethnicos imitari, dum ad certos Sanctos in certis necessitatibus recurrunt, & veluti quosdam Deos ut illi pro rebus singularibus constituunt. Resp. Quod Catholici faciunt juxta suam doctrinam, id totum cōforme est S. Scripturæ, ex qua constat non ad singulorum Sanctornm intercessionem quævis à Deo dari beneficia, sed ad quorundam ista, ad quorundam alia. Elias habuit donum dividendi aquas, non autem Elisæus, qui dum vult a-

quas dividere invocat indirectè Eliam 4. Reg. 3. 14. *Ubi est Deus Eliæ etiamnum?* Cur etiam dicere non possimus, ubi est Deus Rochi; aut Sebastiani qui á peste liberat? ubi Deus Apolloniæ qui dentium dolorem mitigat? &c. Deus gratias dividit prout vult, & plerumq; easdem relinquit post mortem Sancto quibus in vita claruit. Elisæus vivens 4. Reg. 4. 32. mortuum excitavit: idem ossa ejus fecerunt 4. Reg. 31. 21. &c. Ex Angelis etiam alij præsunt hominibus, ut patet ex Matth. 18. 10. alij regnis, ut ex Dan. 1. v. 4. alij elementis ut ex Apoc. 16. 5. neq; per hoc sunt Dij Lares: atqui Sancti Matth. 22. 30. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Sed & Sanctis Rom. 12. 3. *Unicuiq; Deus mensuram fidei; sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo singuli autem alter alterius membra; habemus autem donationes secundùm gratiam quæ data est nobis differentes &c.* Præterea Ethnici putabant suos Deos propria virtute agere, nostri Sancti agunt virtute Dei: illi solum in temporalibus opem implorabant, nos etiam in Spiritualibus, & in temporalibus quidem illa ad Spiritualia ordinando, sic & pro incolumitate animalium, & terræ fœcunditate oramus, ne nos Deus in illis puniat, ac illis destituti reddamur anxij & ad spiritualia quærenda inepti. Hinc Justin. M. Apol. 2. *Fatemur quidem nos talium, qui habentur Deorum expertes esse, sed non verissimi illius Dei &c. quin imò & bonorum Angelorum exercitum, & spiritum Propheticum colimus & adoramus verbo & veritate venerantes, idq; omnibus qui discere volunt ut edocti sumus candida tradentes.*

18. Quia apud Catholicos multa incerta sunt de Sanctis, & videntur e fabulis Ethnicorum derivata, ut de S. Catharina, Georgio, Hippolito, Christophoro &c. Resp. Omittenda esse, si quæ fabulosa; & retinenda qnæ ut certa ab Ecclesia proponuntur, alioqui nec Christus colendus esset, quia de illo quædam ab aliquibus tradita sunt fabulosa, qualia sunt in libello de Infantia Christi, & alijs apocryphis. Quod verò prædictos Sanctos attinet

De S. Chriſtophoro non fabuloſa invenies apud Græcos, in Menologio 7. Idus Majas. apud S.Greg. lib. 8. epiſt. 33. apud Bedam, Adonem, Uſuardum, Petr. Damiani tom. 2. ſerm. 34. monaſterium in quo habitabat monſtratur cum templo Cordubæ; ex quibus cognoſcet in quo ſenſu accipiendum quòd pingatur inſtar Gigantis.

De S. Gregorio ſcribit Menologium Græcorum, & alij, qui eum teſtantur paſſum Dioſpoli ſeu Liddæ; ubi etiam juxta Guilhelmum Tyrium templum ſub ejus nomine extat lib. 7. belli Sacri, cujus reſtaurationem commendavit Greg. lib. 9. epiſt. 66. Mariano Abbati, quod & ipſi Centuriatores referunt cent. 4. cap. 12. pag. 1405. & 1420. ajunt SS. Chriſtophorum & Gregorium paſſos martyrium.

S. Hippoliti ab equis diſcerpti meminit Prudentius in lib. de Coronis. Beda, Uſuardus, Ado, in Martyrol. & ad hoc ſupplicium à Tyranno ſui nominis occaſione damnatum, quia ſcilicet Hyppolitus alter fabuloſus ab equis dilaceratus fuit.

S. Catharinam Græci in Menolog. 24. Nov. celebrant, Beda, Uſuardus, Ado, Rabanus, Euthymius, Metaphraſtes, & ipſe Martinus Cruſius minimè Catholicus lib. 6. Turcogræciæ pag 231. corpus illius narrat conſpectum ab Alberto Comite de Launenſtein.

De cætero, Sanctorum pro nobis orantium ſuſcipit Deus preces. Job 42.8. *Job ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam.* antiquitùs *Invocati ſunt Angeli*, & cultus illis exhibitus Gen. 19.1. Lot cùm vidiſſet duos Angelos, obviam illis proceſſit, adoravitq; pronus in terram. & Gen. 19.21. Suſcepit Loti preces Angelus, itaq; ab illis fuit invocatus. *Angeli orant pro nobis.* Pro Jeroſolymis orârunt Zach. 1.12. Joſve 5. 13. & 1. Paral. 21. 16. & Job. 5. 1. Luc. 5. 10. Apoc. 8. *Defuncti orant pro nobis.* Jer. 15. 1. Offerunt preces Juſtorum: Apoc. 5. 8. habebant phialas plenas odoramentorum quæ ſunt preces Sanctorum, nec poteſt per preces intelligi *laudes*, quia eſt in Græco προσευχαί quod eſt preces. Onias mortuus oravit

pro

pro populo 2. Mach. 15. 17. Imò Luc. 16. 29. Epulo pro Fratribus orat. Nec obeſt Matth. 4. 10. quia ſic neq; vivi poſſent invocari. Sancti de vivis neſcierunt quamdiu fuerunt in limbo, colligitur Iſai. 64. & 3. Reg. 8. 39. ſed poſt hoc, & ubi vident Deum, ſciverunt Job 12. 2. Luc. 15. 7, Angeli, imò homines 1. Reg 9. 19. & 4. Reg. 5. 26. cap. 6. 12. Act. 5. 3.

CONTROVERSIA LVII.

Quædam dogmata Catholica ſpectantia ad Sanctorum invicationem & ſtatum eorum poſt mortem.

1. SAncti Veteres ante mortem Chriſti nec in cœlo fuerũt nec Deũ viderunt. Quia de illis dicitur Heb. 11. 13. *Juxta fidẽ defũcti ſunt omnes iſti, nõ acceptis repromiſſionibus, ſed à lõgè eas aſpiciẽtes.* & v. 39. *Hi omnes teſtimonio fidei probati nõ acceperunt repromiſſionem.* Nam chyrographum contrarium non deletum eſt niſi per effuſionem ſangvinis Chriſti, ut eſt Coloſſ. 1. 10. & nobis ſolis dicitur Heb. 10. 19. *Habentes itaq; Fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſangvine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt carnem ſuam. &c.* 1. Petr. 3. 19. Oſtendit ubi fuerint illorum Patrum animæ, ſcilicet in carcere, ad quem poſt ſuam mortem deſcendens, Chriſtus prædicavit. Propterea Gen. 37. dicebat Jacob. *deſcendam ad Filium meum*, non aſcendam. De hoc carcere Epheſ. 4. 8. *Aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem.*

2. *Sancti poſt mortem non percipiunt aliquam afflictionem ex his quæ ſi in mundo viuentes viderent, affligerentur.* Quia 4. 22. 20. Mors immittitur Joſiæ ne viſâ domûs ſuæ vaſtatione, quæ erat futura, affligeretur.

3 *Poteſt Eccleſia inſtituere feſta in memoriam Sanctorum.* Quia Eſther. 9. Mardochæus & Eſther inſtituerunt diem ſortium obligando poſteros, ut eam obſervarent tanquam partem cultûs divini. & verſ. 21. *Scripſit itaq; Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Judæos, qui in omnibus regni provincijs morabantur &c. ut quartamdecimam, & quintamdecimem diem*

em mensis Adar pro festis susciperent, revertente semper anno solenni celebrarent honore &c. & vers. 27. *Nulli liceat hos dies absq; solennitate transigere.* Si illi ergo poterant instituere festum, cur non possit Ecclesia? si illi pro liberatione á morte corporali, cur Ecclesia non pro beneficio dati illi à Deo Sancti.

4. Sancti non possunt eo modo dici mortui quo peccatores. Quia Joan. 11. 20. *Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit vivet.*

5. Sanctos magis in uno loco quàm alio colere possumus. Quia licèt Spiritus S. ut est Sap. 1. repleat orbem terrarum, tamen 3. Reg. 11. Jerusalem sibi elegit Dominus, & templum Salomonis ut in illo orantes exaudiret. 3. Reg. 8. 5. Ita Moysi dictum non de omni sed certo loco. *Solve calceamenta de pedibus, quia locus in quo stas, Sanctus est.* Ita Jordanis aqua & non alia sanat lepram Naaman: ita Natatoria Siloë, &c. Sic quia magis Deus in uno loco exaudit quàm in alio, magis etiam in uno quàm in alio petitur Sanctorum intercessio.

6. In memoriam Sanctorum possunt extrui templa; altaria, dona offerri. Quia v.g. reliquiæ Sancti in templo positæ possunt eo modo honorari licèt templa &c. soli Deo erigantur. Ita Exod. 35. 29. Num. 21. 50. arca lignea, quæ erat instar reliquiarum in tabernaculo ponebatur & ornabatur, licet totus cultus redundaret in Deum. Ita Hospitalia Deo consecramus, sed in pauperum utilitatem. Templa soli Deo extruimus sed ad distinctionem ab alijs, & honorem Sancti nomine illius vocamus, quod autem in Sanctum conferimus, præcipuè in authorem ejus confertur.

7. Creaturis sua potest tribui adoratio. Quia potest & nomen Deitatis suo modo concedi, juxta illud Ps. 81. 6. *Ego dixi Dij estis, & Filij Excelsi omnes.* Creaturam vult adorari Isaac scilicet Jacobum Gen. 27. *Serviant tibi populi & adorent te tribus.* & Gen. 33. 3. Septies adorat Fratrem suum Esau, quod & uxores ejus, & Filij fecerunt. 1. Paralip. 29. 20. Adoraverunt Deum, deinde Regem. 3. Reg. 1. 23. David adorat Nathan. Quia adoratio fit propter aliquam excellentiam

quæ

quæ eſt in adorato: & ita quia excellentia gratiæ relucet in Sanctis poſſunt adorari, & in quibus magìs relucet, illi magis.

8. Sancti ſunt inæquali cultu digni quia non in omnib⁹ æquè Dei gratia relucet. 1. Cor. 15. 41. *Alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia claritas ſtellarum, ſtella autem à ſtella differt in claritate; ſic & in reſurrectione mortuorum.*

9. Nomine Sanctorum benedicere alicui poſſumus. Gen. 48. 16. Jacob Filijs Joſeph ita benedicit: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, & nomen Patrum meorum Abraham & Iſaac.*

10. Sancti defuncti laudari poſſunt. Quia id fecit Eccli. 44. & Joan. 12. 26. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit illum Pater meus.* atqui in hoc poſſumus imitari Patrem illum.

11. Sancti orant pro nobis, & noſtras orationes Deo offerunt. Tob. 12. Angelus Deo deprecationes Tobiæ offerebat. Apoc. 4. Ceciderunt quatuor animalia, & vigintiquatuor Seniores, & obtulerunt phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt preces Sanctorum. Jerem. 15. Nec Moyſi, nec Samuelis precibus dicit ſe flectendum Dominus. 2. Mat. 15. Vidit Oniam & Jeremiam orantes pro populo.

12. Sancti ſuper nos habent regimen. De Angelis patet ex Apoc. 8. & Pſ. 44. de Sanctis. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Apoc. 2. 25. *Qui vicerit*, & cuſtodierit uſq; in finem, dabo ei poteſtatem ſuper Gentes &c. Similia Dan. 2. 4. Reg. 5. Zach. 1.

13. Laudandus eſt Deus in Sanctis Pſ. 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.*

14. Tituli honoratiſſimi poſſunt tribui Sanctis. Gal. 3. Moyſes vocatur Mediator. Judic. 3 Othoniel Salvator. Act. 7. Moyſes Redemptor. Exod. 7. Moyſes Deus Pharaonis.

15. Sancti poſſunt caſtigare Pſ. 149. *Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis, gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.*

CONTROVERSIA LVIII.

De Reliquiis.

PARS PRIOR

Reliquiæ Sanctorum debent honorari. Eſt Catholic.

1. Quia Exod. 3. 5. jubet Deus illam terram honorari, in qua comparuit Moyſi, & nonniſi depoſitis calceis à Moyſe inambulari, & terram illam vocat Sanctam. Similiter veſtem Aaronis vocat Sanctam Exod. 29. 29. & Num. 28. 25. dies primitiarum vocantur Sancti ac venerabiles. Hoc modo & Catholici vocant reliquias Sanctas, præcipuè cùm Sanctorum corpora fuerint templum Spiritûs S. 1. Cor. 6.

2. Quia Joſeph ſuorum oſſium voluit haberi curam, & illa in locum ſanctiorem transferri Gen. 50. 24. Et Joan. Bapt. Luc. 3. 16. Indignum ſe reputat, qui ſolvat corrigiam calceamentorum Chriſti.

3. Quia honor reliquiarum, & adhibitio in neceſſitatibus confirmata eſt à Deo miraculis, & ſine ſuperſtitione tempore Apoſtolorum viſitata. Nam Act. 19. 12. Per ſemicinctia Pauli curabantur morbi. Luc. 8. 44. tactu fimbriæ ſanatur hæmorroiſſa. Act. 5. 15. Umbra Petri ægros juvabat. 4. Reg. 13. 21. Oſſa Eliſæi mortuum excitârunt. 4. Reg. 2. 14. Eliæ pallium aquas diviſit. Eccli. 49. 12. *Duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo, nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis.* Miracula per reliquias facta vide apud Aug. lib. 9. Confeſſ. cap. 7. & lib. 22. Civit. cap. 8. & lib. 1. retract. cap. 13. 14.

4. Quia de ſepulchro Chriſti prædicit Iſai. 11. 11. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.*

5. Quia ſcriptura jubet reliquias honorari: nam Pſ. 98. 5. de Arca dicit. *Adorate ſcabellũ pedum ejus.* ut exponit 1. Paral. 28. 2. & Sancti veteres ita fecerunt. Heb. 11. 21. Jacob adoravit faſtigium virgæ Joſeph. Dei ſcilicet clementiam conſiderando, qui ad tantam dignitatem ejus Filium provexit. Iſai. 60. 14. De Chriſto prophetat. *Adorabunt veſtigia pedum tuorum.*

&

& ut veneremur nomen JESU voce prolatum, monet Philip. 2. *In nomine JESU omne genu flectatur.* Arcam vetus Ecclesia maximo prosequebatur honore.

6. Quia semper in Ecclesia fuit cultus reliquiarum. Unde Socratem lib. 2. cap. 16. Theodor. lib. 3. cap. 9. Sozomenum lib. 5. c. 18. Evagriū l. 1. c. 16. Ossa S. Stephani inter se causâ honoris sunt partiti uti scribit S. Aug. lib. 22. de Civit. cap. 8. Ossa Sanctorum sub altaribus, vel in cistis ornatis reponebantur teste Hieron. ad Vigilant. Osculo honorabantur, & ad illa causâ orationis concurrebatur, & quia id reprehendebat Vigilantius, vocatur à Hieronymo, *portentum in ultimas terras deportandum.* Idem Doctor in vita S. Hilarionis meminit orationum circa sepulchra Sanctorum fieri solitarum. Idem quòd apud sepulchra Martyrum dœmones in obsessis torquerentur, ut S. Aug. epist. 137. scribit: quòd Christiani soliti fuissent particulas S. Crucis auro inclusas deferre secum, scribit S. Chrysost. hom. Quòd Christus sit Deus. Joan. 19. 39. Mulieres corpus Christi religiosè coluerunt. & Luc. 23. 56. paraverūt aromata & ungvēta, ad idē honorādū.

PARS POSTERIOR

Reliquiæ Sanctorum non debent honorari. Est Diffid.

1. Quia Deut. 34. 6. Deus abscondit Moysi reliquias, itaq; illas noluit honorari. Resp. Ipse Deus honorem illis detulit, quia ipsemet sepelivit; abscondit autem à Judæis ne circa illas exercerent idololatriam, ad quam faciles erant.

2. Quia Christus reprehendit Judæos quòd sepulchra Prophetarum ædificarent Matth. 23. 29. Resp. Ibidem addi. *Implete mensuram Patrum vestrorum.* Quia scilicet occiderunt Prophetas, & hoc ipsum Filij eorum in Christo explere cogitabant; interea per hypocrisim Prophetarum sepulchra honorabant, quod Christus reprehendit, quòd scilicet sua odia palliarent pietate.

3. Quia 2. Cor. 5. 16. *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum,*

ſtum, jam non novimus &c. vetera tranſierunt. ac ſi diceret: Obliviſcamur eorum quæ circa Chriſtum acciderunt, id eſt clavorum, crucis, ſpinarum, &c. Reſp. Ibi ſolùm agi de Chriſti paſſibilitate quæ jam pertranſijt, & nihil dici de reliquijs.

4. Quia, os Judæ, aſinam, quæ Chriſtum attigerunt, non honoramus, itaq; nec cæteras reliquias. Reſp. Labia Judæ à Chriſto non conſecrationem ſed execrationem potiùs acceperunt. Similiter aſinus non erat capax recipiendæ ſanctitatis, nec unquam res viva ex contactu viri Sancti recepit ſanctitatem in tota Scriptura, uti res inanimes receperunt. Ita etiam dum reliquia tranſit in vermem cultum amittit, quia dum in aliam ſpeciem tranſit, non eſt eadem moraliter, neq; pertinet ad Sanctum. Quod verò contactus afferat ſanctitatem quandam, patet à contrario, quia ut Baſil. in Pſal. 115. *Corpora apud Judæos contaminabant, ſed oſſa Martyrum tactu ſanctificant per gratiam quæ illis inſidet.* Chryſoſt. hom. de S. Babila. *Deus nihil ferè utilius nobis reliquit ad ſalutem animarum reliquijs.*

5. Crux, Clavi, Spinæ &c. Chriſtum excruciârunt, itaq; honore non ſunt digna. Reſp. & tamen illa Chriſtus honorat, quia ſimul illi gloriam attulerunt. Matth. 24. 30. *Tunc parebit ſignum Filij hominis in cœlo.*

6. Quia Catholici non illam ſolùm Crucem colunt in qua Chriſtus mortuus ſed omnes alias: non colunt autem alia flagra, ſpinas, clavos &c. Reſp. Cruces colimus quia poſt edictum Conſtantini Imp. non habeant alium uſum, quàm nobis Chriſti paſſionem repræſentare, cœtera verò uſus habent alios.

7. Quia Catholici circa Sanctos falſis nituntur miraculis, itaq; nec circa reliquias ſunt vera. Reſp. Falſa ſunt miracula quæ Diſſidentes malitioſè Catholici appingunt: ut quòd v. g. S. Franciſcus Seraphicus delapſum intra calicem biberit araneum, & illum deinde è tibia pruriente excuſſerit. Nam Sanctus ille nunquam Miſſam fecerit, ut potè non Sacerdos. Non eſt autem figmentum quod illi cicurem ſe exhibuerit

lupus:

lupus; nam & Eliæ corvus servivit 3. Reg. 12. 5. & sepulchrũ parârunt leones corpori Pauli Anachoretæ teste Hieron. lib. 3. epist. in vita Pauli. Rident, quód S. Dunstanus forcipe arripuerit nasum diaboli: sed immeritó; quia nasum arripuit ejus corporis, in quo dæmon apparuit. Qui tamen etiam in se ipso apprehendi potest: nam Tobiæ 8. 3. Raphäel Angel⁹ dæmonem apprehendit, & ligavit in deserto superioris Ægypti. S. Francisci stigmata rident, sed frustrá: nam illa conspexit Alex. IV. Pontifex. Et de illis scribit S. Bonaventura in vita S. Francisci, Matthæus Paris. Illud affingunt Dissidẽtes, quasi Cæsarius scripsisset, quód B. Virgo malo fine amplexum militis expetiérit, cúm ille lib. 7. Memorab. cap. 4. scribat ad castitatem osculo reverenti dato, quale Magdalena pedibus Christi dedit, incitatum. Videantur ipsi Scriptores, quos illi allegant, & invenientur omnia alia.

CONTROVERSIA LIX.

De Sacris Imaginibus.

PARS PRIOR

Sacræ Imagines sunt dignæ cultu, Est Catholicorum.

1. Quia coram imaginibus potest adorari Deus. Isaiæ 36. 7. *Coram isto altari adorabitis.* Ps. 5. 8. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* atqui altare & templum quodammodo repræsentant Deum, atq; adeó sunt imagines.

2. Quia Agnus erat imago Christi, & coram illo Apoc. 5. 8. ceciderunt venerabundi Seniores.

3. Quia jussit Deus, ut ante arcam lucernæ arderent. Exod. 22. 21. & 2. Paralip. 4. 20. & Exod. 40. 5. Coram eadem arca inflabantur tubæ, & tympana pulsabantur. Paralip. 5. 12. qui quidem cultus in Deum tendebat, attamen etiam eo modo arcam respiciebat, quo noster imagines. Coram arca procidit Josve. 7. 6.

4. Quia Deus jussit fieri imagines. Num. 21. 8. Serpentẽ æneum. Exod. 25. 18. Cherubim. 3. Reg. 7. 25. Boves æneos, qui designabant Apostolos. & vers. 36. Cherub, leones, pal

mas quasi in similitudinem hominis stantis. Christus suam faciem in linteo Veronicæ expressit, & in alio expressam misit Abagaro. Quæ omnia probant non rejiciendas, neq; contemnendas imagines.

PARS POSTERIOR

Sacræ Imagines non sunt dignæ cultu. Est Dissident.

1. QUia sunt à Deo prohibitæ. Exod. 20. 4. *Non facies tibi sculptile ut adores illud.* Resp. Fecit nihilominùs Moyses Exod. 15. 18. Cherubinos, Num. 9. 21. Æneum serpentem. Et 2. Paralip. 3. 5. Templum Salomonis habuit imagines. Et ibid. vers. 10. Sculptæ fuerunt palmæ, & opere statuario factæ imagines Cherubim. Et versu 14. Cherub velo intexuit. Quocirca loco adducto prohibentur imagines, quæ ut idola adorentur ibid. enim additur. *Non adorabis ea, neq; coles.* Et præmittitur. *Non adorabis Deos alienos coram me.* Idola enim Ethnici & imagines non aliò cultum referendo adorabant, & illis dicebant, ut est Isai. 44. 12. *Deus meus es tu.* Ideoq; dum l. c. dicitur *Non adorabis ea neq; coles*, additur, *ego sum Dominus Deus tuus.*

2. Quia Catholici alloquuntur imagines, sine superstitione autem non possumus rem non intelligentem alloqui. Resp. Attamen David Ps. 148. varias creaturas alloquitur, invitatq; ut Deo benedicant. Allocutus est Moyses Deut. 23. *O cæli audite &c.* Allocutus & Isaias 1. 2. *Audite cæli & terra.* Præterea Catholici cùm alloquntur imaginem, allocutionem illam dirigunt ad Deum, quem in imagine alloquuntur.

3. Quia 4. Reg. 18. 14. laudatur Ezechias quòd confregerit serpentem æneum. Resp. Quia Judæi adorabant illum idololatricè.

5. Quia Act. 17. 20. Deus non in manufactis templis habitat. Resp. Hìc nihil esse cōtra imagines. Propterea nec in templis nec in imaginibus ita habitat, ut Dij Gentium qui ab illis comprehendebantur, de quo hoc loco Paulus agit.

5. Quia Imago non differt ab idolo. Resp. 1. Cor. 8. 4.

Idola nihil sunt, id est, nihil repræsentant, at imago repræsentat. In imaginatione etiam nostra Deum nobis repræsentamus & colimus: & ipse Deus se adorandum Abrahæ obtulit in imagine Gen. 18. 2. Filius æternus est imago Patris Coloss. 1. 15. & differt ab idolo Gen. 2. 7. *Fecit hominem ad imaginem suam*, non ad idolum. *Vir imago Dei est*, 1. Cor. 11. 7. neq; est idolum.

6. Quia Isai. 48. 18. ridet imagines. *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponitis ei?* Resp. Idem facit 46. 6. & utroque loco idola ridet.

7. Quia etiam cultum suum quo Ethnici colebant idola referebant aliò, tamen reprehenduntur: ergo & Catholici licèt referant aliò, non excusantur ab idololatria. Resp. Non referebant aliò Ethnici, Jer. 2. 17. *dicentes ligno: Pater meus es tu, & lapidi: tu me genuisti*. vel si referebant aliò, Deut. 32. 17. *Imolaverunt dæmonijs & non Deo.*

8. Quia Concil. Elibertinum cap. 36. imagines pingi vetuit. Resp. Non vetuit pingi absolutè, sed in parietibus in quibus decidente incrustatione facilè truncantur, fædantur. Ita & Epiphanius concidit imaginem præ foribus Ecclesiæ depicti hominis instar Christi vel Sancti alicujus, non autem Christi aut Sancti.

9. Quia saltem absurdum est pingi Deum, cùm ipse sit Spiritus. Resp. Sine ullo absurdo ipse Deus Gen. 2. exhibuit se Adamo sub imagine hominis deambulantis ad auram post meridiem, & Gen. 28. Jnnixum summitati scalæ & Isai 6 .& Mich 3. sedens in throno Dan 7. sub specie senis Matth. 3. Spiritus S. sub specie columbæ &c. Spiritus sunt Cherub. & tamen eos Exod. 25 8. Deus voluit sculpi Cherubinos qui sunt spiritus, & scientiam sculpendi infudit Beseleeli & Ooliab Exod 31 2. Verum tamen est quod nullâ imagine propriâ possit exprimi Deus Isai. 40. 10. *Cui similem fecistis*, idest facere potuistis Deum. Nihilominus cer-Reg. quod violatores imaginum peccent, peccavit enim 2. mnt 6. 7. Oza licentiùs contingens arcam, at veró magis

ad Deum accedit imago quàm arca. Illud è contra verſ. 12. Benedixit domui Obededom propter arcam. Neq; cultus politicus aliquis ſufficit imagini, nam de arca dicit Pſ. 68. Adorate ſcabellum pedum eius.

Atq; ut amplius pateat differentia inter idolum & imaginem. Patet ex Scriptura cultum in ipſo idolo ſiſtere ſolitum. Vel tandem in creatura. In idolo. Dan. 14. 5. *Non videtur tibi Bel eſſe Deus vivens?* de idolo ſermo. et vers. 17. *Magnus es Bel*. Pſal. 105. 19. *Et fecerunt vitulum in Horeb et adoraverunt ſculptile*. Neq; hoc mirum quod ipſis idolis cultum tribuerint. Nam Ethnici etiam Febrim, Timorem, Pallorem &c. Deos reputabant. Et licet aliqui teſte Aug. in Pſal. 113. non in ipſis ſtatuis ſiſtebant, tamen Deo vero abiecto cultum eum ad dæmones vel aliquid creatum referebant. Deut. 32. 17. Immolaverunt dæmonijs & non Deo, Dijs quos ignorabant Pſ. 95. 5. *Quoniam omnes Dij Gentium dæmonia*. Pſ. 105. 21. *Obliti ſunt Deum qui ſalvavit eos*. Et quidem Judæi tam facilè recedebant in Idololatriam, ut vix decem annis poſt mortem Davidis in Dei veri cultu perſtiterint. Unde Jerem. 2. 10. *Tranſite ad Inſulas* &c. *Si factum ejusmodi, Si mutavit Gens Deos ſuos, & certe ipſi non ſunt Dij*. Conſtantiores Ethnici in colendis idolis quám Judæi in cultu Dei veri.

10. Quia ſerpens æneus piè contritus eſt. Reſp. Non quia honorabatur, ſed quia divinos honores illi exhibebant Judæi 4. Reg. 18. 4. *Siquidem uſq; ad illum diem Filij Iſraël adolebant illi incenſum.*

CAPUT XIV. DE GRATIA ET MERITO.

CONTROVERSIA LX.

De Gratia.

Veritates Catholicæ.

1. Liberè gratiæ Dei cooperamur. 1 Cor. 3. 9. *Dei enim ſumus adiutores* Rom. 6. 13. *Exhibete vos Deo tanqvam ex mortuis viventes.* Plura ad hanc rem ſpectantia poſuimus cùm de libero arbitrio ageremus.

2. Si-

2. Sine gratia possumus bona opera moralia exercere etsi non prosint ad salutem. Matth. 5. 47. *Ethnici etiam diligunt se invicem*. Rom. 1. 21. *Deum quem naturaliter agnoverunt, potuerunt etiam glorificare.*

3. Liberum arbitrium sine gratia Dei nihil potest in supernaturalibus. Joan 15. 5. *Sine me nihil facere potestis.* Jer. 31. 19. *Postqvam convertisti me egi pœnitentiam.* 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere Dominus JESUS nisi in Spiritu S.* 2. Cor. 3. 5. *Non sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

4. Gratia Dei & prævenit nos in benè agēdo, & comitatur. Ps. 58. 11. *Misericordia ejus præveniet me.* Ps. 22. 6. *Misericordia subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et cum his gratijs peccator convertitur. Zach. 1. 3. *Convertimini ad me* præventi gratiâ *& ego convertar ad vos* adjuvando &c.

5. Gratia Dei non tollit liberum arbitrium. Vide Controv. de libero arbitrio.

CONTROVERSIA LXI.

De Merito.

Veritates Catholicæ circa meritum.

1. HOmo non potest sibi mereri primam gratiam excitantem. Quia Rom. 9. 16. *Non est volentis neq́ currentis sed Dei miserentis.* Rom. 11. 6. *Si gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* 2. Tim. 1. 9. *Vocavit vocatione suâ sanctâ non secundùm opera nostra.*

2. Primam gratiam justificantem non potest sibi homo mereri. Rom. 3. 24. *Justificati gratìs per gratiam ipsius.*

3. Potest homo mereri augmentum primæ gratiæ justificantis. Jacob. 2. 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, non ex fide tantùm.* Apoc. 22. 11. *Qui justus est justificetur adhuc.* 2. Cor. 9. 10. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ &c.*

4. Habitis meritis adhuc nos possumus dicere servos inutiles. Quia Luc. 17. 10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Nam nisi Deus constituisset pro nostro merito cœlum dare, non mereremur illud, post hoc autem pactum meremur, & utiles efficimur, nam Matth. 25. 23. *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

5. Merita nostra nihil meritis Christi detrahunt. Quia nihil palmes detrahit viti, sed Christus dicit Joan. 15. 4. *Ego sum vitis, vos palmites*, ex me licet habeatis, tamen & ipsi fructum nihil mihi derogando affertis.

6. Nullus alteri potest mereri gratiam & gloriam. Quia 2. Cor. 5. 10. *Unusquisq; referet propria corporis prout gessit sive bonum sive malum.*

7. Plus adulti gloriæ possunt acquirere quàm parvuli quia majora potest habere merita. At verò 1. Cor. 3. 8. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet* secundùm suum laborem.

8. Fundamentum nostri meriti est gratia: de hac Joan. 4. 14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 1. Cor. 13. 3. ostendit maxima quævis opera sine charitate, seu gratia, nihil esse, Joan. 15. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.*

9. Merita facta in gratia sunt digna vitâ æternâ. Quia Matth. 5. 12. *Gaudete & exultate quoniam merces vestra est copiosa in cœlis.* Matth. 28. 8. Operarijs merces redditur &c. 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimibus æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Thessal. 1. 5. *Ut digni habeamini in regno Dei pro quo & patimini.* Apoc. 3. 4. *Qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulant mecum in albis, quia digni sunt.* Sap. 3. 5. *Invenit illos dignos se.*

10. Deus obligavit se ex gratuitâ conventione ad mercedem reddendam pro merito. Quia Matth. 20. 2. instar Patrisfamilias pactum init de reddenda mercede. Gen. 15. 1. *Ego ero merces tua magna nimis.* Matt. 10. 42. *Quicunq; potũ dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Apoc. 22. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua.*

11. Respe-

11. Reſpectu dictæ conventionis datur vita æterna ut merces bene operanti. 1. Tim. 4. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, non ſolùm autem mihi ſed & ijs qui diligunt adventum ejus.* Hebr. 6. 10. *Non enim injuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri.* Rom 4. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.*

CONTROVERSIA LXII.

De Merito vitæ æternæ.

PARS PRIOR

Poſſumus mereri vitam æternam. Eſt Catholicorum.

1. QUia Eccl. 13. *Miſericordia facit unicuiq; locum ſecundùm meritum operum ſuorum.* Locum hunc explicat Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei mei, poſſidete regnum. Eſurivi enim &c.*

2. Quia Joan. 4. 36. de operantibus aliorum ſalutem. *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.*

3. Quia Hebr. 13. *Beneficentiæ nolite obliviſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* id eſt meremur Deum. 2. Theſſal. 1. *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, curſum conſũmavi, fidem ſervavi, & ideò repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* 1. Cor. 9. *Omnes quidem in ſtadio currunt, ſed unus accipit bravium, ſic currite, ut comprehendatis.* 1. Cor. 13. *Unusquisq; recipiet mercedem ſecundùm laborem ſuum.* Gal. 6. *Quæ ſeminaverit homo hæc metet, qui ſeminat in Spiritu metet vitam æternam.* Poſtquam Rom. 2. dixiſſet. *Unicuiq; reddet ſecundùm opera ſua.* addit. *His qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & incorruptionem quærunt, vitam æternam,*

4. Quia Matth. 5. *Exultate* in tribulationibus patienter eas ferendo, *nam merces veſtra copioſa eſt in cælo.* Apoc. 7. *Hi ſunt qui venerunt ex tribulatione magna, & ideò ſunt ante thronum Dei.*

PARS POSTERIOR

Non poſſumus mereri per noſtra opera vitam. Eſt Diſſid.

1. Quia

1. QUia Rom. 8. dicitur. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Resp. Non sunt condignæ nisi processerint à Filijs Dei, hoc est justis; propterea præmisit. *Spiritus testimonium perhibet nobis quòd sumus Filij Dei, si Filij, & hæredes*, & subdit. *Si tamen compatimur ut conglorificemur* cum Christo, idcirco oportet cum Christo pati eodem Spiritu, quia alioqui ex se, non sunt condignæ passiones.

2. Quia Isai 55. *Venite, emite absq; argento & commutatione vinum & lac.* Igitur gratis nobis datur gloria, & non ex merito. Resp. Emimus nihilominùs, sed sine commutatione, quia etiam absq; proemio nostra opera aliunde sunt Deo debita, sic non est commutatio plena.

3. Quia Dan. 9. *Nō in justificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis.* & passim in Scriptura vidētur opera nostra excludi à merito salutis. Resp. Hæc ōnia dici de operib⁹ virib⁹ naturæ nō gratiæ factis, alioqui 2. Thes. 1. 5. *Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesijs Dei, pro patiētia vestra & fide, in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus quas sustinetis in exemplum justi judicij Dei, ut digni habeamini, in regno Dei, pro quo patimini.*

4. Quia Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, dicite quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Non essemus verò inutiles, si nostro labore cœlum mereremur. Resp. Quia nobis non Deo afferimus utilitatem, sic illi inutiles sumus.

5. Quia vita æterna est hæreditas. Resp. Etiam est proemium Matth. 5. 12. *Quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Coloss. 3. 23. *Scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

6. Quia Rom. 3. 24. dicitur. *Quòd sumus gratis justificati.* Quodsi gratis justificati, etiam gratis glorificati. Resp. Ibi sermonem esse de justificatione per Baptismum quæ est omninò gratuita, justificati autem si non statim post Baptismum moriantur, possunt ampliorem mereri gloriam.

7. Quia si nos meremur gloriam, itaq; nobis illam Chri-

stus

ſtus non promeruit. Reſp. Merita noſtra totum accipiunt valorem ex meritis Chriſti. Ille enim eſt vitis, nos palmites, Joan. 16. 5. Præterea ille dedit nobis poteſtatem Filios Dei fieri. Joan. 1. 12. Ille eſt cauſa noſtræ ſalutis. Hebr. 9. 9.

8. Quia Joan. 9. 31. *Scimus quia Deus peccatores non exaudit*, nos autem ſumus omnes peccatores. Reſp. Luc. 18. Exaudivit Publicanum, & alios audit qui verè ampliùs nolunt eſſe peccatores.

9. Quia Aug. Proſper. dicunt opera noſtra non mereri vitam æternam. Reſp. Hi, & ſi qui ſunt alij, vel loquuntur de operibus virtute naturæ factis, vel ſecluſa pacto Dei qui pro illis promiſit gloriam.

10. Quia Iſai 64. 6. *Facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Quomodo ergo meremur cœlum? Reſp. Iſaiam loqui, ut patet ex contextu, in perſona injuſtorum, & hi quamdiu ſunt injuſti, non merentur vitam æternam.

11. Quia Eccle. 7. 21. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Reſp. Sermonem eſſe de venialibus, quæ juſtum relinquunt juſtum.

CAPUT XV. DE BONIS OPERIBUS IN COMMUNI ET PARTICULARI.

CONTROVERSIA LXIII.

De bonis operibus in ordine ad ſalutem.

PARS PRIOR

Bona opera ad ſalutem proſunt & requiruntur. Eſt Catholicorum.

1. QUia Matth. 3. 10. *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos excindetur, & in ignem mittetur.* & Matth. 5. 21. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plùs quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* & Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* & rurſus 28. 19 *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. docentes*

eos servare omnia quæ unq; mandavi vobis. & 25. *Venite benedicti Patris mei, quia esurivi & cibâstis me.* Luc. 3. *Interrogabant Joannē turbæ, dicentes, quid faciemus? respondens autem dicebat eis, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas similiter faciat.* & 6. 20. Joan. 15. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæ ego præcipio vobis.* Ibid. verſ. 10. *Si præcepta mea servaveritis manebitis in dilectione.* verſ. 14. *Vos amici mei estis si feceritis omnia quæ ego præcipio vobis.* & 8. 15. *Exemplum dedi vobis ut sicut ego feci ita & vos faciatis,*

2. Quia hæc doctrina eſt Apoſtolica, Philipp. 2. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini &c. omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus.* 2. Cor. 4. 17 *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Coloſſ. 3. 23. *Quodcunq; facitis, ex animo operamini sicut Domino & non hominibus, scientes quòd á Domino accipietis retributionem hæreditatis:* igitur non acciperet, ſi non ex animo operarentur, nec pondus gloriæ tribulatio faceret, ſi eam patienter non ferrent. Philip. 2. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Si ita Chriſtus intravit ad gloriam, & nobis humilitas neceſſaria quibus exemplum ille dedit. Rom. 2. *Non auditores sed factores legis justificabuntur apud Deum.* 2. Cor. 5. 10. *Unusquisq; referet prout gessit in corpore.* 1. Cor. 15. 28. *Stabiles estote & immobiles abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* 2. Petri 1. 5. *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, &c. hæc enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos vos, nec sine fructu constituent in Domini nostri JESU Christi cognitione.* Jacob. 2. 14. *Quid prodest Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opus autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* Similia Apoc. 18.

PARS POSTERIOR.

Bona opera neq; prosunt, neq; necessaria sunt ad salutem
Eſt Diſſidentium.

1. Quia

1. QUia Rom. 6. 23. *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Pſ. 102. 44. *Qui coronat in miſericordia & miſerationibus.* Itaq; ſola gratia & miſericordia Dei dat nobis ſalutem. Reſp. ad locum priorem: ibi eſſe ſermonem de prima juſtificatione; nam verſ. 17. præmiſit: *Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, obedîſtis autem ex corde &c. liberati autem à peccato &c.* Gratiam verò neceſſariā ad ſui juſtificationem nemo promeretur, hanc verò gratiam appellat vitam æternam, quia eſt ſemen vitæ æternæ, dicit enim verſ. 22. *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Ad locum ſecundum Reſp. ibi non excludi bona opera, ſed dici quòd in ſalvatione noſtri magna Dei interveniat miſericordia, quòd ſcilicet nobis toties peccata dimiſerit, quòd pro tam levibus noſtris operibus dat ingens pondus gloriæ.

2. Quia ſi bona opera ſalutem operarentur, aliquam in nobis ſpem ſalutis excitarent, atqui tota ſpes noſtra eſt in meritis Chriſti. Reſp. Tota ſpes noſtra eſt in meritis Chriſti ut in fronte noſtrorum operum, ſed tamen etiam per bona opera ad ſpem & fiduciam nos erigere poſſumus; quia qui malè agit non ſperat ſed falſò præſumit ſalutem veluti abſq; ſeminatione meſſem. Audiatur S. Paulus qui poſtquam pertuliſſet famem, ſitim, verbera, pericula, ait 2. Tim. 4. 6. *Ego jam delibor & tempus reſolutionis meæ inſtat, bonum certamen certavi, curſum conſummavi, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Tob. 4. 12. *Fiducia magna erit coram Domino Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Iſai 38. 3. *Obſecro Domine memento quæſo quòd ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum eſt, in oculis tuis fecerim.* Hebr. 10. 32. *Rememoramini autem priſtinos dies in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum &c. nolite itaq; amittere confidentiam veſtram quæ magnam habet remunerationem.*

3. Quia inter cætera bona opera eſt timor & ſollicitudo de ſalute, hæc autem tollunt ſpem ſalutis. Reſp. Minimè

tollunt. Quia Pſ 2.11. hic timor admittit exultationem & excludit triſtem deſperationem: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Eccli. 5.7. *Miſericordia & ira ab illo citò proximant.* Rom. 11. 19. *Dices ergo: fracti ſunt rami ut inſerar, bene: propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas, noli altùm ſapere, ſed time.* 1. Cor. 9. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* 1. Cor. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Philip. 2. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Ibid. 3. 11. *Configuratus morti ejus ſi quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis, non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim, ſequor autem ſi quomodo comprehendam.* Hebr. 3. 14. *Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſq; in finem firmum retineamus.* & 4. 1. *Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.* 2. Petr. 3. 27. *Vos igitur Fratres præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* Certè his locis omnibus dum ſcriptura jubet timere, neq; ſpem noſtram, neq; fidem impugnat. Spes enim timori non repugnat.

CONTROVERSIA LXIV.

De noſtris bonis operibus in conſpectu Dei.

PARS PRIOR

Opera noſtra bona non ſunt coram Deo peccata mortalia. Eſt Catholicorum.

1. Quia ſi eſſent peccata, non hortaretur nos ad illa facienda Chriſtus & Scriptura; at verò hortatur Matth. 5. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona.* Defendit etiam impugnantes bona operantem Matt. 26. *Quid moleſti eſtis huic mulieri, bonum enim opus in me operata?* Dan. 2. *Redime peccata tua eleemoſynis.*

2 Quia nemo Deo placuit propter peccata, placuit verò propter bona opera. Nam Exod. c. 17. Obſtetrices Ægyptiæ quæ parcebant Filijs Hebræorum, laudatæ ſunt. Gen. 8. 21. quando Noë ſacrificium obtulit, *odoratus eſt Dominus odorem*

odorem ſvavitatis. Eccli. 44. 45. 48. laudat bona opera, jejunium, orationem, & ad illa hortatur. At verò Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.*

3. Quia peccata non merentur vitam æternam, merentur verò bona opera, Matth. 5. 12. *Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, eſurivi enim & dediſtis mihi &c.* Rom. 2. 6. *Reddet unicuiq; ſecundùm opera ſua.* 1. Cor. 3. 8. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem.* Gal. 6. 9. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus judex in illa die.* Apoc. 3. 5. *Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo.*

PARS POSTERIOR

Opera noſtra bona ſunt coram Deo peccata mortalia.

Eſt Calviniſtarum.

1. QUia Iſai. 64. 6. *Quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Reſp. Loquitur in perſona impiorum qui à peccatis ſurgere noluerunt, horum opera bona propter peſſimam eorum voluntatem Deo diſplicebant: videatur totus textus.

CONTROVERSIA LXV.

De Operibus ſupererogatorijs.

PARS PRIOR

Opera bona etſi à Deo non præcepta, placent Deo.

Eſt Catholicorum.

1. QUia Matth. 26. placuit Christo quando Magdalena unxit ejus pedes, quod nuſquam præceptum fuit. Similiter laudatur Luc. 2. 37. Anna quæ de templo non exibat. Non reprehenſum ſed acceptatum opus Matth. 27. 1.

Quando Discipuli asinum straverunt vestibus, alij ramis olivarum viam, pueri clamarūt Osanna, Benedictus. Quia 1.Cor. 27. non reprehensus dum fecit quod scibit: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Matth. 5. 39. *Si quis percusserit dexteram, præbe ei & sinistram.* Si quis hoc fecisset antequam à S. Matthæo scriptum esset, certè non peccasset &c.

PARS POSTERIOR

Opera bona à Deo non præcepta displicent Deo. Est Calvinistarum.

1. QUia Coloss. 2.18. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum;* quia scilicet non est præceptum colendos esse Angelos. Resp. Non cultum ibi prohiberi Angelorum, sed hæresim: quia scilicet aliqui Angelos dicebant minores Deos, & Christo præferebant, quod Apostolus impugnat. De cœtero Matth. 19 21. Cùm Juvenis quidā dixisset se præcepta observavisse, adjecit Christus non præceptum. *Unum tibi deest: si vis esse perfectus, vade vende omnia & distribue pauperibus.* 1. Cor. 7. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* de quo & Matth. 19. 12. *Qui potest capere capiat.*

CONTROVERSIA LXVI.

De Oratione.

PARS PRIOR.

Omnis Oratio quæ ad Deum dirigitur est laudabilis. Est Catholicorum.

1. QUia Christus hortatur ut oremus Matth. 23. *Vigilate & orate, quia nescitis quando tempus sit.* Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Coloss. 4. *Orationi instate.*

PARS POSTERIOR

Non omnis Oratio quæ ad Deum videtur dirigi, est laudabilis. Est Calvinistarum.

1. QUia licèt dicant Catholici suas orationes se ad Deum diri-

dirigere, tamen illas sæpè faciunt in memoriam Sanctorum, quod est reprehensibile. Resp. Etiam hoc ipsum laudabile, & in Scriptura usurpatum: Gen. 48.16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoq; Patrum meorum Abraham & Isaac.* Exod. 32.13. *Recordare Abraham, Isaac, & Israël servorum tuorum quibus juraști per temetipsum.* Deut. 9. 27. *Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, & Jacob, ne aspiciam duritiam populi hujus.* 3. Reg. 18.36. *Domine Deus Abraham, & Isaac & Israël ostende hodie quia tu es Deus Israël, & ego servus tuus.* 1. Paralip. 29 18. *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël Patrum nostrorum custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum.* 2. Paralip. 6. 42. *Domine Deus ne averteris faciem Christi tui, memento misericordiarum David servi tui.* Tob. 7. 15. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit.* Esther 13. 15. *Et nunc Domine Rex, Deus Abraham miserere populi tui.* & 14. 18. *Nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usq; in præsentem diem nisi in te Domine Deus Abraham.* Isai. 6. 17. *Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ.* Dan. 3. 35. *Neq; auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum, quibus locutus pollicens quòd multiplicares semen eorum.*

2. Saltem inconveniens est quòd Catholici operibus indifferentibus præmittant intentionem. Resp. Id eos habere ex doctrina Apostoli 1. Cor. 10. 51. *Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

CONTROVERSIA LXVII.

De ciborum delectu & abstinentia.

PARS PRIOR

A certis cibis abstinere est laudabile. Est Catholicorũ.

1. Quia Daniel laudabiliter abstinuit cap. 10. *Caro & vinum non introiêrunt in os meum.* & Valentinianos reprehendit S. Hieron. cap. 1. ad Valentin. *Valentiniani hæretici, omni tempore carnes liberè comedendas dixerunt.*

2. Quia

2. Quia Gen. 2. Deus concessit Adæ ut de omni ligno comederet, non tamen de ligno scientiæ boni & mali, ne moreretur. Judith 12. abstinet à cibis Ethnicorum. Act. 15. Placuit Spiritui S. nihil imponere vobis, nisi ut contineatis vos ab idolothitis, & suffocatorum sangvine.

PARS POSTERIOR

A certis cibis abstinere non est laudabile. Est Diffident.

1. QUia id damnatur 1. Tim. 4. 3. *Attendentes spiritibus erroris, &c. abstinere à certis cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Resp. Et tamen non spiritu erroris ducuntur Medici dum in certis morbis certos cibos prohibent, uti nec Apostoli Act. 15. 18. qui suffocata prohibuerunt. Paulus ergo ibi prophetat de futuris hæreticis, qualiter erant Tatiani, Manichæi, Marcionistæ, ideò dicit ibid. in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes &c. est enim: quosdam cibos tanquam diaboli opus damnabant. Ita hunc locum intellexerunt Aug. Hier. Ambr. Certè Jer. 35. 6. Quia Rechabitæ abstinuerunt à vino, Deus illis benedixit.

CONTROVERSIA LXVIII.

De Jejunio.

PARS PRIOR

Jejunare est opus laudabile. Est Catholicorum.

1. QUia laudabiliter jejunavit Daniel 10. 3. *Panem desideratum non comedi, caro & vinum non introiêrunt in os meum.* David Psal. 108. 24. *Genua mea infirmata sunt à jejunio.* Judith. 12.

2. Quia jejunium svadet scriptura Joël 2. 12. *Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio &c.* Matth. 6. 16. *Cùm jejunatis nolite fieri tristes ut hypocritæ.* Marc. 2. 20. *Cùm auferetur sponsus ab eis; & tunc jejunabunt in illis diebus*, fortè ferijs sextis quarum unâ ablatus est nobis Christus. Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in*

Oratione & jejunio. & Tob.2. & 12.& 2.Machab.7.& 1.Cor.8. & Rom.14. & 2.Machab.6. & Jerem.35.& Luc.2. & 2. Cor.11,& Act. 13. & Joan.3. &c.

PARS POSTERIOR

Jejunium non est laudabile. Est Diffidentium.

1. QUia Matth. *15. Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Resp. Et tamen pomum ab Adamo sumptum coinquinavit illum. Non coinquinat ergo cibus si non sit prohibitus.

2. Quia non possumus ita jejunare ut jejunauit Christus, itaq; non jejunandum. Resq. Imònihil possumus ita perfectè facere ut fecit Christus, itaq; in nullo eum deberemus imitari, & sic frustra dixit. Matth. *11.29. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

3. Quia Luc. 10. 8. Quod vobis apponitur comedite. Resp. Itaq; & idolothyta si apponantur contra Act. *15.* & Judas Machabæus peccauit quód carnes prohibitas comederunt. Monet ergo Christus eó loci discipulos, ut sint illo cōtenti quod eis apponetur á Fidelibus, nec meliora aut plura requirant: quæ autem apponunt ita apponuntur ut tempus exigit.

4. Quia nihil meremur per jejunium. Resp. Anna Luc. *2.32. Serviebat Domino in jejuniis, & gratiam obtinuit.* Matth.6. *17. Cùm jejunas unge caput tuum* &c *& Pater tuus reddet tibi.*

5. Saltem Catholici absq; ratione pro mortuis jejunant. Resp. Habent hujus rei laudata exempla in scriptura. 1 Reg. 31. 13. 2. Reg. *1.* 12. & *1.* Reg. 3. 36. & 1. Paral. 10 12.

CONTROVERSIA LXIX.

De Jejunio Quadragesimali.

PARS PRIOR

Jejuniū Quadragesimale est observandum. Est Cathol.

1. QUia hoc jejuninm est ad imitationem jejunii Christi, qui Matth. 4. Quadraginta diebus jejunavit. Vnde I-

gnatius M epist. ad Philipp. *Quadragesimam nolite habere pro nihilo, imitationem enim continet conversationis Dei.*

2. Quia hoc jejunium ab Apostolis est constitutum, teste Hieron. epist. ad Marcellam. *Nos unam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolicam toto anno tempore nobis congruo.* Aug. serm. 62. de tempore. *Alijs diebus jejunare remedium est, in quadragesima non jejunare peccatum est.*

3. Quia Exod. 45. Moyses quadraginta diebus panem non gustavit nec aquam. item cap 24. & Deut. 9. Elias, 2. Reg. 19. similiter jeiunauit.

PARS POSTERIOR

Jejunium Quadragesimale non est observandum. Est Dissidentium.

1. Quia satis est quód Christus illud pro nobis expleverit. Resp. Sic nihil esset faciendum quod Christus fecit, & omnis ejus imitatio cessaret.

CONTROVERSIA LXX.

De Afflictionibus Voluntarijs.

PARS PRIOR.

Afflictiones voluntariæ sunt assumendæ. Est Catholicorũ.

Quia illarum exempla laudata habemus in scriptura. & quidem

1. De flagellatione & castigatione corporis. 1. Cor. 9. 26. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Græcus legit: *Flagellis lividum facio.* Psal. *Flagellatio mea in matutinis semper.* licet á Deo non fuerit imperata.

2. De jejunio. 2. Reg. 12. 12. David absq; præcepto jejunavit, & in terram se abjecit. Ps. 68. 11. *Operui in jejunio animam meam.*

3. De Sacco, Cilicio, Cinere. His indutus Achab 3. Reg. 21. 27. Dominum placavit. & 4. Reg. 19. 1. Ezechias. Idem fecerunt Ninivitæ ad prædicationem Jonæ. & Matth. 11. 21. *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis,*

olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Saccum sumpsit contemptâ aliorum irrisione, qui respondet moderno habitui Monachali. David Ps. 68. 12. *Posui vestimentum meum cilicium & factus sum illis in parabolam.* Job. ult. 6. *Facio pœnitentiam in cinere & favilla.* Ps. 101. 10. *Cinerem tanquam panem manducabam.* 4. Reg. 1. 8. Elias zonâ pelliceâ supra renes accingebatur. Matth. 3. 4. Joannes habuit vestimentum de pilis Camelorum, & zonâ pelliceâ præcingebatur.

4. Nudis pedibus incessit David, cùm fugeret Absolonem 2 Reg. 15. 30.

5. Genuflexionis exemplum præbuit Christus Luc. 22. 42. *Positis genibus orabat.* & Stephanus Act. 7. 59. *Positis autem genibus clamavit voce magnâ dicens: Domine JESU &c.* Paulus Act. 20. 36. *Positis genibus suis oravit cum omnibus illis.* & Ephes. 3. 14. *Hujus rei gratiâ flecto genua ad Patrem Domini mei JESU Christi.* & Philip. 2. 10. *In nomine JESU flectatur omne genu.*

6. Voluntariè autem assumptæ hujusmodi afflictiones, quamvis alias ex sua parte jam Deus permiserit. Nam Paulus de se narrat 2. Cor. 11. 26. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus &c.* nihilominùs 1. Cor. 9. 25. *Castigo corpus meum &c.*

7. Quia Gal. 5. 24. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt vitijs & peccatis.*

PARS POSTERIOR

Afflictiones voluntariæ non sunt assumendæ. Est Diffid.

1. Quia secta Flagellantium se tanquam hæreticorum damnata est ab Ecclesia. Resp. Damnata est non ob flagellationem sed hæresim, quia illam flagellationem asserebant esse Baptismum sangvinis: item ob scelera quæ patrabant, ac turbas quas contra Clerum & Magistratū excitabāt; imò flagellationem suam Baptismi loco ducebant ad hoc trahentes cap. 9. Hebr. & Confessioni Sacramentali præferebant; ob ista à Clemente VI. sunt damnati.

2. Quia per hoc irrogaretur Christo injuria, nam ille pro nobis plenissimé satisfecit. Resp. Quid ergo dixit Paulus

Coloff, 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionibus Christi?* Certè si per afflictiones voluntarias censuisset Christo irrogari injuriam, non monuisset 2. Cor. 6 4. *Exhibeatis vosmetipsos sicut Dei ministros in laboribus, jejunijs, vigilijs.* neq; dixisset 2. Tim. 2. 5. *Non coronatur nisi qui legitimè certaverit.* Neq; ipse fuisset 2. Cor. 11. 26. *In labore, & ærumnis, in vigilijs multis, in fame & siti, in jejunijs multis, in frigore & nuditate.* Non fuisset dictum Matth. 11. *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur.* Non Hebr. 11. tanta sustinere voluissent Sancti, quãta ibi describuntur sustinuisse. Atqui scriptum est: *Si compatimur & conglorificabimur.* Fecit ille, faciamus: & sic ejus passionibus & satisfactionibus communicabimus. Afflictiones istæ non solùm merentur, sed etiam Deum placant, ut patet ex 3. Reg. 21. 27. Jonæ 34. 13. Pf. 72. 14. Pf. 37. 18. & 1. Cor. 9. 27.

CONTROVERSIA LXXI.

De Peregrinationibus ad loca sacra.

PARS PRIOR

Piè instituuntur Sacræ Peregrinationes. Est Catholic.

1. QUia Deus præcepit ad loca sacra peregrinationes. Exod. 2.. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum corã Domino Deo tuo.* Resp. Hoc præceptum implevit Christus Luc. 2. 41. *Ibant Parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solenni Paschæ.* Joan. 2. 13. *Prope erat Pascha Judæorum, & ascendit JESUS Jerosolymam.* Joan. 7. 10. *Ut autem ascenderunt Fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Luc. 2. 23. *Tulerunt eum in Jerusalem ut sisterent illum Domino.* Sed & Eunuchus Reginæ Candacis peregrinatus in Jerusalem. Act. 8. 28. Similis lex priori ponitur à Deo Exod. 34. 23.

2. Quia usitatæ fuerunt peregrinationes ad templum Domini in Jerusalem 2. Paralip. 6. 31. & 2. Reg. 8. 2. non solùm Judæorum, sed & Externorum ut patet ex Oratione Salomonis, quæ loc. cit. sic habet. *Externum quoq; qui non est de populo tuo Israël, si venerit de terra longinqua propter nomen tu-*

um

um magnum, & propter manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & adoraverit in loco isto, tu exaudies de cœlo. 1. Reg. 3. *Ascendebat Elciana* cum Anna *de civitate sua statutis diebus ut adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo*, quod factum tanquam laudabile refertur à Scriptura Act. 24. 11. Paulus ait. *Non plùs sunt mihi dies quàm duodecim ex quo ascendi adorare in Jerusalem.* Ex quo loco S. Hieron. contra Vigilant. epist. edit. Parisien. tom. 1. pag. 594. Basilien. tom. 2. pag. 125. deducit, laudabile opus esse ad loca Sacra peregrinari.

3. Quia Deus peregrinationes istas placere sibi ostendit præstando peregrinis gratias miraculosas, quas refert Aug. 22. de Civit. cap. 8. edit. Parisien. tom. 5. pag. 1485. Basileen. tom. 7. R. 6. præstitas ijs qui peregrinati ad reliquias S. Stephani, Gervasij & Protasij, quo argumento etiam probat contra Ethnicos veritatem fidei Christianæ.

PARS POSTERIOR

Peregrinationes ad loca sacra non piè instituuntur. Est Dissidentium.

1. QUia Deus est ubiq;, ergo frustra certo loco quæritur. Resp. Tamen uno potiùs loco exaudit quàm alio.

2. Quia multi Patrum damnant peregrinationes. Resp. Nemo illas damnat, sed earum abusum. Cæterùm Joan. 5. ad piscinam probaticam non ad alias concurrebant ægri, quia ibi & non alibi sanabantur, ibi enim Deus decrevit & non alibi dare gratias.

CAPUT XVI. DE STATU ET VOTIS MONACHORUM.

CONTROVERSIA LXXII.

PARS PRIOR

Monachorum Status & Vota sunt à Deo. Est Cathol.

1. QUia ea quæ voventur à Religiosis, à Christo sunt pro-

 posita

posita sub consilio. *Obedientia* Matth. 6. 24. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum.* expressa *Paupertas* Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Luc. 14. 33. *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* expressa *Castitas* Matth. 19. 12. *Sunt qui seipsos castraverunt propter regnum Dei.* Hæc ergo constituunt Religiosum, si voto firmentur; cadere autem possunt sub votum, cùm sint laudabilia. Laudabile etiam est votum facere & implere. Num. 30. 3. *Si quis virorum Domino votum voverit &c.* & vers. 10. *Vidua & repudiata quidquid voverint reddent.* Ps. 131. *Votum vovit Domino Deo Jacob* ædificandi templum. Paulus Act. 28. 18. ex voto non radit caput, 1. Tim. 5. 11. Reprehenduntur viduæ quæ post votum castitatis nubunt. Ps. 75. 12. *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Deut. 23. 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Prov. 20. 25. *Ruina est homini post vota retractare.* Ita in Scriptura usitatum fuit ad rem aliquam se voto obligare.

2. Quia semper in Ecclesia servabantur prædictæ tres virtutes, adeoq; servari possunt. Elias fuit pauper 3. Reg. 4. Elisæus 3. Reg. 19. 20. Filij Prophetarum 4. Reg. 4. 29. Castus fuit Elias, obediens Elisæus, 4. Reg. 15. Possibile omnia relinquere patet ex Matth. 19. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia.* Castitatem possibilem esse patet ex Paulo 1. Cor. 7. 7. *Volo omnes vos esse sicut meipsum.*

3. Quia semper in Ecclesia viguit status Monasticus. Jer. 35. 6. laudantur Rechobitæ qui erant similes nostris Religiosis. Act. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Act. 4. 55. *pretia agrorum ponebant ante pedes Apostolorum.* Neque putandum hoc fecisse omnes Christianos ut patet ex Act. 5. 4. ubi dicit 1. Petrus Ananiæ Christiano. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* In Vita S. Marci scribitur quòd ejus discipuli re ipsa fuerint Religiosi. Basilius Magnus. Greg. Nazianz. &c. fuerunt Monachi S. Augustini tempore, ut est lib. 8. Confess. cap. 6. augebantur mona-

monasteria, & Monachi vocabantur Fratres, & quidam sub ipsis muris Mediolani habitaverunt, & ab Ambrosio alebātur. De Monialibus etiam refert Aug. lib. de moribus Ecclesiæ cap. 31. ubi narrat quòd sub unius obedientia vixerint in castitate, abstinentia à carnibus & vino, & vestitu à populo distinctæ. Cucullæ meminit S. Hieron. in vita S. Hilarionis in fine.

PARS POSTERIOR

Monachorum vota & status non sunt à Deo. Est Diffid.

1. QUia Rom. 23. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Status verò Monasticus non est ex fide. Resp. Esse ex fide, id est juxta principia fidei ut est priore parte ostensum. Locus verò adductus non est ad rem, quia Paulus ibi non loquitur de fide quâ credimus ob verbum Dei; sed fidei nomine intelligit conscientiam, cùm nobis videtur aliquid bonum aut malum, & si contra hanc conscientiam agamus, peccamus.

2. Quia Ps. 53. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* At verò qui ex voto agit, coactus agit. Resp. Et David voluntariè ædificare voluit templū, tamen se ad id voto obligavit: & 1. Paralip. 29. 9. *Lætatusq́ est populus cùm vota spontè promitterent.* Votum obligat sicut præceptū Decalogi, tamen illud spōte implemus.

3. Quia saltem de Castitate votum esse non potest. Nemo enim scit an Deus dederit illi donum continentiæ. At veró Sap. 8. 21. *Scio quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det.* Unde 1. Tim. 5. 14. *Volo Juniores nubere.* & Gen. 1. 48. dictum *Crescite & multiplicamini.* Resp. Sic nec ad fidem ullus converti deberet, quia nescimus an donum in ea perseverandi acperimus. Idem est & de Conjugio. Facienti tamen quod ex se est, Deus non negat gratiam, & ita possumus castitatem conservare. Paulus solùm jubet nubere eas quæ continenter nolunt vivere; alioqui 1. Cor. 7. dicit vers. ult. *Beatior autem erit si sic permanserit.* Illud ex Genesi, non est præceptum, sed benedictio statui conjugali data. *Benedixitq́ illis Deus, & ait: Crescite &c.*

4. Quia

4. Quia 1. Cor. 1. 12. Reprehenduntur dicentes. Ego sum Pauli, ego Apollo, ergo etiam reprehenduntur dicentes. Ego sum Benedicti, ego sum Francisci &c. Resp. Reprehendi ibi qui vim Baptismi dicebant procedere á Paulo vel Apollo, non autem qui disciplinam tenebant & monita, & directiones Pauli vel Apollo, qualiter tenent Benedictini Benedicti: Franciscani Francisci.

5. Quia 1. Cor. 7. 2. præcipit. *Unusquisq; suam uxorem habeat.* Resp. Illis hoc svaderi qui sunt incontinentes, neq; professi castitatem.

6. Quia, *meliùs est nubere quàm uri.* ut est 1. Cor. 7. 9. Sed quis est qui non uratur, id est, non tentetur? Resp. Etiam Paulo datus fuit stimulus carnis, non ideó tamen nuptias contrahebat. Sed ut 1. Cor. 9. 27. alio remedio utebatur. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Uri ergo non est tentari, sed tentationi consentire.

7. Quia 1. Tim. 5. 14. *Volo juniores nubere.* Resp. Loqui de incontinentibus quæ non sunt castitatem professæ. Professas autem nubentes condemnat, ibid. v. 11. 12. *Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.* Aug. in Ps. 75. Quid est, primam fidem ruperunt? *Voverunt & votum non impleverunt.*

8. Quia paupertas prohibetur. Deut. 15. 4. *Non erit inter vos mendicus.* Resp. Tamen Apostoli fuerunt pauperes. fuerunt & illi in quorum subsidium fiebant collectæ sive colligebantur eleemosynæ. Act. 10. 3. & 1. Cor. 16. 4. Non ergo Deut. prohibet paupertatem, sed promittit Judæis tam opulentam terram, ut illâ òbtentâ nemo futurus esset pauper.

CAPUT XVII. DE LEGE.

CONTROVERSIA LXXIII.

Quædam circa legem controversa stabiliuntur.

1. Differt lex Christiana á Mosaica. Quia Jer. 31. 31. de lege nova prophetat. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda fœdus novum: non secundùm pactum quod*

quod pepigi cum Patribus eorum, &c. dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam&c. Gal. 3. 23. *Priusquàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat &c.* Joan. 1. 17. Gal. 4. 31. ibid. 11. cui opponit Rom. 1. 16. Lex vetus gravis Act. 15. 10. Nova facilis Matth. 11. 30.

2. Novum testamentum veras leges continet. Matth. 5. 6. *Non veni solvere legem sed adimplere.* dicitque de non irascendo Fratri, de non concupiscenda uxore aliena, de membro scandalizante abjiciendo. Matth. 28. 19. Proponuntur leges Sacramentales. *Euntes docete omnes gentes.* Obligat ad credendum Marci 16. 16. *Qui non crediderit condemnabitur.* Matth. 5. 23. *Qui dixerit Fratri suo Racca, &c*

CONTROVERSIA LXXIV.

De observatione Legis Divinæ.

PARS PRIOR

Lex Dei potest impleri Est Catholicorum.

1. Quia de lege sua dicit Christus. Matth. 11. 30. *Jugum meum suave & onus meum leve.* de eadem lege 1. Joan. 5. 3. *Mandata ejus gravia non sunt.* de eadem Ezech. 36. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.*

2. Quia non præcipit Deus impossibilia: unde Philipp. 4. 13. *Omnia possum in eo.* Hieron. in Matth. 5. 44. ubi dicitur. *Diligite inimicos vestros,* ita habet: *Multi præcepta Dei imbecillitate suâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant ea impossibilia esse, quæ præcepta sunt &c. Sciendum Christum non impossibilia præcipere sed perfecta, quæ fecit David in Saule. &c.* Aug. de pecc. merit. & remed. cap. 6. tom. 7. pag. 340. *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat, quod jubet deesse.* & lib. de natura & gratia cap. 9. pag. 255. *Eo ipso quòd firmissimè creditur Deum justum & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus,*

tamus, omnia quippe facilia sunt charitati, cui uni sarcina Christi levis est.

3 Quia servârunt aliqui legem. Ps. 118. 32. *Viam mandatorũ tuorum cucurri.* 1. Joan. 2. 5. *Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* 1. Joan. 3. 6. *Omnis qui in eo manet non peccat.* Joan. 17. 6. *Sermonẽ meum servaverunt.* Matt. 23. 35. Abel vocatur justus. 1. Joan. 4. 4. *Vos ex Deo estis Filioli.* Gen. 6. 9. Noë vir justus. Eccli. 44. 17. Noë inventus est perfectus, justus. & vers. 20. *Abraham conservavit legem Excelsi.* & illum Joan. 8. 40. jubemur imitari. De Jobo dicit 1. 8. *Nunquid consideràsti servum meum Job, quòd non sit illi similis in terra, homo rectus & simplex, ac timens Deum, & recedens à malo.* & ipse Job de se 23. 12. *A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.* Ps. 108. 168. *Servavi mandata tua & testimonia tua* Ps. 128 23 *Proba me Deus & scito cor meum, interroga me & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me est.* Ps. 16. 3. *Probâsti cor meum, & visitâsti nocte, igne me examinâsti. & non est inventa in me iniquitas.* Act. 13. 22. de Davide. *Inveni David Filium Jesse qui faciet omnes volantates meas.* 3. Reg. 14 8. reprehenditur Jeroboam. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Laudatur Josias 4. Reg. 23. 25. *Similis ante eum non fuit Rex qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota virtute sua, juxta omnem legem Moysi.* Ezechias de se dicit Isai. 38. 3. *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Luc. 1. 6. de Zacharia & Elisabeth. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* in quæ verba Ambr. lib. 1. in Luc. *Quid ad hoc referunt, qui peccatis suis solatia præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse, & utuntur versiculo, quia scriptum est in Job: Nemo mundus est à sorde, nec si unius diei vita ejus sit in terra? quibus respondendum est, priùs, ut quid sit hominem esse sine peccato, definiant utrum nunquam omninò*

nò peccâsse, an desiisse peccare? Si enim hoc putant, sine peccato esse, nunquam omninò peccâsse, & ipse consentio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Sin autem eum qui veterem errorem correxerit, & in eam se transformaverit qualitatem ut temperet à peccato, negent abstinere à delictis: non possum in eorum convenire sententiam, cùm legamus, quia sic Dominus dilexit Ecclesiam, ut exhibeat ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

4. Quia Joan. 21. 17. Petrus Christo ait. *Domine tu scis quia amo te.* Paulus Rom. 8. 39. *Quis ergo nos separabit à charitate Dei? tribulatio, an angustia? &c.* charitas autem consistit in observatione mandatorum Dei, juxta illud 1. Joan. 5. 3. *Hæc est enim charitas Dei ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Verè dixit Marci 10. 20. Juvenis Christo, quia intuitus eum dilexit, cùm dixit, *Magister hæc omnia* præcepta, *observavi à juventute mea.*

PARS POSTERIOR

Lex Dei non potest impleri. Est Dissidentium.

1. MOtus concupiscentiæ non pati non est possibile: pati verò est contra illud. *Non concupisces.* Igitur lex servari non potest. Resp. Pati motus concupiscentiæ non est peccatum, sed illos sequi, juxta illud: Eccli. 18. 30. *Fili post concupiscentias tuas non eas*, hoc est enim concupiscere.

2. Quia Act. 15. 10. Lex vocatur jugum insupportabile. Resp. Et tamen illam aliqui supportârunt, ut patet hìc ex parte priore, proinde solùm valdè est difficilis observatu; præterea ibi non est sermo de lege Decalogi, de qua hæc est cõtroversia, sed de lege Mosaica cœremoniali, ut patet l. c. v. 5. qui dedit occasionem textui allato. *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderunt, dicentes quia oportet circumcidi eos, præcipere quoq; servare legem Moysi.*

3. Quia Gal. 3. 10. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Resp. ibi solùm opera quæ sunt ex lege Moysi post adventum Christi. Idcircò addit. *quoniam autem in lege nemo*

 justifi-

justificatur, manifestum est quoniam justus ex fide vivit. Apostolus autem nusquam facta ex fide damnat, imò Rom. 2. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

4. Quia Ps. 143. dicitur. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Resp. Et tamen reperti sunt multi justi. Non justificabitur ergo spectatis viribus naturæ sine adjumento gratiæ.

5. Quia 1. Tim. 1. 9. *Non est lex posita justo sed injustis.* atqui injusti legem non servant. Resp. ut patet ex consequentibus sermonem esse de lege peccata prohibente, hæc non est necessaria justis, quia etsi lex non esset, ex charitate quæ est *finis præcepti.* ut ibid. vers. 5. peccata fugerent, in quæ laberētur injusti charitate destituti nisi lege compescerentur; jam itaq; lege solùm diriguntur, non coguntur.

6. Quia 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus*: atqui peccatum fit per transgressionem legis: & cùm de omnibus dictum sit quòd peccatum habeamus, igitur nemo legem servat, ac nec servare potest. Resp. Ibid. addi, *& veritas in nobis non est*; id est, si hoc dicamus, mentiemur; non dicit verò, *& charitas in nobis non est*, quia etsi habeamus peccatum, adhuc in nobis est charitas seu justitia: proinde ibi Joannes loquitur de peccato veniali quód omninò saltem aliquando evitari á nobis non potest.

7. Quia Rom. 7. 14. *Scimus quia lex est spiritualis ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Resp. Lex est spiritualis quia servare illam non possumus nisi spiritu facta carnis mortificaverimus, quia sumus carnales, seu ad opera carnis propensi, & venundati sub peccato per Adæ transgressionem traditi concupiscentiæ ut nobis illa non obediat quæ etiam vocatur peccatum, unde subjungit, *non enim quod volo hoc ago, sed quod odi malum hoc facio.* qui certè locus est de cōcupiscentia. & vers. 20. *Si autem quod nolo illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*; sive concupiscentia me nolente, atq; adeò non peccante.

8. quia

8. Quia Gal. 3.8. *Christus redemit nos de maledicto legis.* Resp. Moyses apposuit maledictionem ijs qui non servavissent legem ejus, atq; ab hoc maledicto redemit nos Christus, nõ autem redemit ab observatione Decalogi imò comparavit nobis pro illo observando subsidia gratiæ juxta Ezech. 36. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Ita autem copiosa dedit gratiæ subsidia ut non servantibus legem suam dicat Isai 5. 4. *Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Ad hanc gratiam auxiliorum respiciens Aug. lib. de gratia & natura dicit. *Deus non præcipit impossibilia, sed præcipiendo movet ut facias quod potes, & hoc ores quod non potes, ut te ad implendum juvet.*

9. Quia saltem illud implere non possumus. *Diliges Dominum Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus.* Resp. Nihilominùs dixit David Ps. 118. 10. *In toto corde meo exquisivi te.* 3. Reg. 14. 8. *David secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* De Josia dictum 4. Reg. 23. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominũ in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi.* Diligitur enim Deus ex toto corde, cùm illi nihil præfertur.

CAPUT XVIII. DE PECCATO, GRATIA, JUSTIFICATIONE.

CONTROVERSIA LXXV.

De Peccato Originali.

PARS PRIOR

Posteri Adæ contrahunt peccatum Originale. Est Cath.

1. Quia juxta Eccles. 7. 30. *Hoc inveni quòd fecerit Dominus hominem rectum*; rectitudo autem hæc in eo sita, quòd ratio hominis subdebatur Deo, rationi veró appetitus, & hæc erat justitia originalis, cum cujus amissione conjuncta est quædam macula faciens filium iræ, & hanc posteri Adæ

de lege ordinaria contrahunt ut Job 14. dixit. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* LXX. legunt. *Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram.* de quo & David queritur Ps. 50. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.*

2 Quia Rom. 5. 12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* mors autem pœna illius peccati, & ut ait Conc. Arausicanum 2. can. 2. *Injustitiam Deo dare convincitur, qui mortem quæ est pœna peccati sine peccato quod est meritum mortis, ad nos transiisse dicit.* Hinc quia omnes moriuntur, etiam Fidelium Infantes, omnes etiam peccatũ originale contrahunt. Ob hoc peccatum Ephes. 4. *Eramus & nos naturâ Filij iræ.* quo tam clarè convincebatur Pelagius, ut vocem *naturâ* conatus fuerit expungere: *Sed antiquitas vocis*, inquit S. Aug. lib. 8. contra Julianum cap. 4. *non admisit hanc expunctionem.*

3. Quia 2. Cor. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* sed ut ibid vers. 15. *pro omnibus mortuus est*, etiam pro Infantibus Fidelium. & 1. Joan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantùm sed etiam pro totius mundi.* Itaq; omnes mortui seu peccàrunt in Adam.

4. Quia Ecclesia semper credidit contrahi peccatum originale, & contrarium sententes damnavit in Concil. Milevit. cap. 1. Et in Arausicano 2. quod fuit sub Leone I. Consensum etiam Patrum pro sententia Catholica adducit S. Aug. lib. 1. & 2. contra Julianum cap. 5. & 6.

PARS POSTERIOR

Posteri Adæ non contrahunt peccatum Originale.

Est Calvinistarum.

1. QUia Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Itaq; nec Posteri iniquitatem Adami. Resp. Hoc teste S. Aug. fuisse præcipuum argumentum Peligianorum, quo

quo impugnabant peccatum originale. & illud solvit in hūc modum lib. 6. contra Julianum cap. 10. 11. Propheticè id dictum esse de novo testamento, in quo futurum erat ut homines per Baptismum ab originali mundarentur, atq; ita non essent portaturi iniquitatem Patris; quod confirmat ex illo Jer. 31. *In diebus illis non dicent ultrà, Patres comederunt uvam acerbam, & dentes Filiorum obstupuerunt.* Præterea Posteri non Adami sed suū quod per transfusionē suarum in Adamum voluntatum commiserunt, portant, juxta illud Rom. 5. *Omnes in Adam peccavimus.* Deniq; non de originali, sed de actualibus agere, posset dici, Prophetæ.

2. Quia Rom. 5. *Per inobedientiam Adami multos esse constitutos peccatores.* Itaq; non omnes; præterea ibid. additur, in plures redundâsse gratiam Christi quàm peccatum Adami: itaq; peccatum Adami non in omnes redundavit. Resp. ad priorem locum S. Aug. lib. 6. contra Julianum cap. 12. Per *multos* à S. Paulo intelligi *omnes*, nam aliàs semper dicit *Omnes* ut *Omnes homines*, *Omnes peccaverunt*, ita etiam licèt Christi sangvis pro omnibus sit effusus, tamen dicit Evangelista de illo, *Qui pro vobis & multis effundetur.* Secundus locus in Græco, pro, *in plures*, habet, *in multos*, & in eo fit comparatio, quòd peccatum Adæ unum tantùm fundat peccatum: at verò gratia Christi aufert omnia peccata, originalia, & actualia.

3. Quia Chrysost. hom. 10. in Rom. & hom. 39. in epist. Corynth. & hom. ad Neophitos videtur non agnoscere peccatum originale; imó & Aug. lib. 1. contra Julianum cap. 6. Resp. id malè adscribi S. Chrysostomo, nam hom. 40. in 1. Cor. hæc habet. *Deus in regenerationis lavacro mentem gratiâ tangit, & radicale peccatum evellit, & mox peccatum consumēdo, quolibet auro puriùs splendentem facit.* Solùm autem locis citatis Chrysost. excludit à parvulis peccatum actuale voluntariæ inobedientiæ, quale fuit in Adamo, additq; etiam parvulos non habere peccata, scilicet actualia, de his enim ibi loquitur, & dicit non omnes mortuos in Adam morte scilicet

licet irreparabili, quia multi per Baptismum traducuntur ad vitam, ut patebit legenti textus illos. In simili sensu locutus Aug. qui aliàs propugnat libris ijsdem originale.

4. Quia si proles contraheret peccatum, causa peccati esset conjugium, atq; adeò èsset malum. Resp. Non conjugium esse causam peccati, sed naturam vitiatam, quia conjugium in statu innocentiæ non induxisset peccatum.

5. Quia Parentes sunt purgati per Baptismum ab originali peccato: itaq; illud non possunt transfundere in prolem. Resp. Illi quidem sunt purgati sed non natura quam communicant & cum illa non personalia sed naturæ accidentia.

6. Quia malé infertur ex eo quód omnes moriamur, omnes nos in Adam peccavisse; nam licet Matrem Dei doceant ipsi passim Catholici exemptam ab originali; nihilominùs mortua est: similiter male infertur ex eo, quòd si non contraherent originale non fuissent per Christum ab illo redempti. nam Mater Dei redempta licet non contraxerit, Resp. Est redempta ne contraheret, qui modus redimendi longè sublimior est altero illo quo quis jam á contracto eximitur peccato. Quod mortem attinet. Mortua sicut & Christus qui originale non potuit contrahere, sed corpus ejus non est in terram redactum, quæ propriè est pœna originalis peccati juxta Gen. 3. 9. ubi Adamo pœna imponitur. *In sudore vultûs tui vescêris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, pulvis es, & in pulverem revertêris.*

CONTROVERSIA LXXVI.

De Peccato Concupiscentiæ, sive sensualitatis.

PARS PRIOR

Non omnis motus concupiscentiæ circa illicita est peccatũ.

Est Catholicorum.

1. QUia Rom. 7. 8. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bona est, nunc autem jam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum.* & vers. 20. *Si autem quod nolo illud*

facio

facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. ubi est sermo de concupiscentiæ motibus, ex quo patet, quòd si non ille agit qui contra suam voluntatem percipit conscientiæ motus, non peccet. Unde etiam S. Paulus cùm hoc capite ostendisset non deberi hos motus homini imputari, statim initio cap. seq. infert. *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant.* id est, qui carni non consentiunt; & ita hunc locum accepit S. Aug. lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 10. *Non damnatur nisi qui concupiscentiæ consentit in malum.* Ex hoc etiam loco. *Non quod volo operor malum*, patet illos motus non esse peccatum, quia peccatum debet esse voluntarium, in hoc verò casu non quod vult homo operatur. Nam Aug. lib. de liber. arbitr. cap. 17. & 18 & lib. de Vera Religione cap. 14. & lib. 1. retract. cap. 9. docet peccatum adeò esse voluntariũ, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Idem lib. de duabus animabus cap. 11. docet. Et S. Chrysost. hom. 13. in epist ad Rom. *Quæcunq; culpa potest esse, ea est voluntatis.* & Ambr. lib. 1. de Jacob. cap. 3. *Nemo tenetur ad culpam nisi propriâ voluntate deflexerit.*

2. Quia Jac 1. 14. *Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus, concupiscentia autem cùm conceperit, parit peccatum.* itaq; non ipsa concupiscentia est peccatum, sed quando jam concupiscentia concepit, id est, voluntatis consensum obtinuit; ita locum hunc intellexit S. Aug. lib. 6. contra Julian. cap. 5. ubi ait. *Concupiscentia non parit peccatum nisi cùm conceperit, non concipit nisi cùm illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit consensum voluntatis; quando ergo adversùs eam dimicatur, hoc agitur ne concipiat, pariatq; peccatum.* Unde Eccli. 18. 30. monet. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere, si præstas animæ tuæ concupiscentias ejus, tradet te inimicis, & invidis tuis.* Ex quo S. Aug. lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas, si jam quisq; reus est, quòd tumultuantes & ad mala trahere nitentes, sentit eas, nec sequitur.* Et paulò post. *Nunquid iste jam reus est*

us est habendo tales animo concupiscentias, quas ei præstare non debes, ne in gaudium veniat diabolo & Angelis ejus qui sunt inimici & invidi nostri? Et mox. *Cùm dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quòd cedit eis, atq; consentit.* Idem repetit lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commota cupiditatem refrænat atq; compescit, quod dum fit non labimur in peccatum, sed cum aliqua luctatione coronamur.* & ep. 200. ad Asselicũ. *Quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus cõsensum, non esset unde diceremus: Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita nostra.* Idem repetit Conc. 3. in Ps. 118. & 1. de Civit. cap. 25.

3. Quia Eccli. 21. 1. *Fili peccâsti, non adjicias iterum.* & 1. Cor. 15. *Evigilate justi & nolite peccare.* Eccli. 5. 2. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Rom. 6. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore &c.* quæ monitiones frustra essent, si non concupiscentiæ motus quos vitare non possumus, essent peccata; imó etiam dormientes peccaremus, ut ex discursu S. Aug. inferri potest lib. 1. de Civit. cap. 25. *Illa concupiscentialis inobedientia, quæ præter voluntatis nostræ legem quasi lege suâ movetur, quantò magis est absq; culpa in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis.*

4. Quia 1. Joan. 1. 7. *Sangvis Christi emundat nos ab omni peccato.* Sed non emundat nos à concupiscentia, itaq; illa non est peccatum. Servit hîc quod dixit Aug. lib. 1. de nuptijs & Conjugio. *Concupiscentia in baptizatis non est peccatum, cùm ad illicita ei non consentitur.*

PARS POSTERIOR

Omnis motus concupiscentiæ ad illicita est peccatum.
Est Dissidentium.

1. QUia potentiam concupiscibilem Paulus appellat peccatum Rom. 7. isti verò motus procedunt á concupiscentia, itaq; & ipsi sunt peccatum. Resp. Concupiscentiam vocari peccatum, quia illius inordinatio processit ex pec-

peccato originali. Est etiam quoddam peccatum physicum; quia est quædam infirmitas. Ita S. Aug. conc. 3. in Ps. 118. cùm ait. *Non operari iniquitatem nisi eum qui obedit desiderijs peccati, quæ operatur in nobis langvor naturæ nostræ, & non obfuturum nobis langvorem istum, etsi insit, si desiderijs ejus illicitis nullis unquã obedientiam præberemus.* S. Cyrill. lib. 4. in Joan. cap. 51. *Voluptas quæ dum ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad peccatum solet allicere, quæ ante peccandi actum insidet, & mẽtis consensum accipit.* Prosper lib. 3. de vita contemplat. cap. 4. *Peccatum perpetrare non possum, nisi malæ delectationi consentiam.*

2. Quia scriptum est in Decalogo, in quo sola peccata prohibentur. *Non concupisces.* Resp. Ibi solùm prohiberi voluntariam concupiscentiam; ideò Rom. 7. illud præceptum. *Non concupisces*, vocatur præceptum mentis, quia menti est datum, id est, voluntati non sensualitati; præceptum enim datur naturæ rationali, ut est rationalis. Hinc Bern. serm. de sex tribulationibus. *Apetitus in corde prurit, sed nisi spontè cesseris, non nocebit: consensum cohibe ne prævaleat, & immaculatus eris.*

3. Quia motus concupiscentiæ juxta illud Rom. 7. *Quod nolo operor malum*, sunt mali, itaq; peccatum. Resp. Sunt mali ut homicidium non voluntarium, non ideó tamen peccata: ita docet S. Aug. lib. 6. contra Julian. cap. 5. *Regeneratus in Christo omni peccato caret, non omni malo.*

4. Quia concupiscentijs resistere non possumus juxta illud Rom. 7. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Resp. Idem ait Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo.* loquitur ergo loco adducto de sensu molesto concupiscentiæ, qui non est in nostra potestate, sed neq; est peccatum.

CONTROVERSIA LXXVII.

De Natura peccatorum.

PARS PRIOR

Aliqua peccata sunt ex se mortalia, aliqua venalia.

Est Catholicorum.

1. QUia S. Scriptura distingvit inter mortalia & venalia. De mortalibus dicit quòd animam occidant, ita Ezech. 18. 14. *Si averterit se justus à justitia sua, nunquid vivet?* 1. Cor. 6. 9. *Nescitis quòd iniqui regnum Dei non possidebunt, nec fornicarij, nec adulteri, &c.* Sap. 16. 14. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Jacob. 1. 15. *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* At verò de venialibus Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo JESU.* At verò etiamsi maneant in Christo, habent aliqua peccata juxta illud Eccles. 7. 23. *Non est justus homo in terra qui non peccet.* 1. Joan. 1. 8. *Si diximus quia peccatum non habemus. &c* & Jacob. 3. 2. *In multis offendimus omnes.*

2. Colligitur peccatorum diversitas ex diversitate pœnæ. jam veró Matth. 5. 22. *Qui irascitur Fratri suo, reus erit judicio, qui dixerit Racca, reus erit concilio: qui fatuè, reus erit gehennæ.* Jacob. 1. *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum*, scilicet veniale, *peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem*, id est, mortale efficitur.

3. Quia peccata non omnia eidem rei comparantur 1. Cor. 3. 12. *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum &c. stipulas, fœnum.* quædam ergo similia stipulæ, fœno. Hæc vocant levissima, minuta, quotidiana, brevia. Orig. hom. 24. in Lucam. Hieron. in cap. 5. Matth. Aug. lib. de natura & gratia cap. 38. & lib. de Spiritu & liter. cap. 6. & in Enchiridio cap. 71. & serm. 41. de Sanctis. Item Matth. 23. 24. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Luc. 6. 42. *Quomodo potes dicere Fratri tuo: Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Luc. 12. 59. *Non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas.*

PARS POSTERIOR

Nulla peccata ex se venialia sunt, sed ex eo solùm quia Deus illa non imputat pro mortalibus. Est Diffidentium.

1. QUia ea quæ vocant Catholici venialia, excludunt à regno Dei, Joan. 13. dicitur Petro. *Si te non lavero non habebis*

habebis partem mecum atqui hic Christus dicit de Petri venialibus ut docet Aug. in hunc locum, & Bern. de Cœna Domini; & patet hoc ipsum ex antecedentibus verbis: *qui lotus est non indiget nisi ut lavet pedes.* & tamen in pœnâ Christus comminatur amissionem vitæ æternæ. Confirmatur hoc ipsum ex Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus*, id est nullus, *vocabitur in regno cœlorum.* Resp. Peccatum Petri fuisse veniale, cum illo tamen, quamdiu in illo fuisset, regnum cœlorum non intravisset; unde dicit. *Nisi te lavero*, id est, quamdiu à venialibus non fuisset liberatus, & lotus. Nam Apoc. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum..* Ad locum secundum per *minima* intelliguntur peccata cogitationis & interna, licet sint magna, quia Pharisæi illa, quibus Dominus tunc loquebatur, pro minimis reputabant. Ita Chrysost. hom. 16. in Joan. & Theophilact. vel per minima intelliguntur præcepta legis quæ minùs perficiunt hominem quàm ea, quæ Christus explicuit, licèt sint magna quoad reatum.

2. Quia venialia negant esse levia Aug. lib. 1. de sermon. Dom. in monte cap. 18. & epist. 108. & Conc. 3. super Ps. 18. & alibi. Anselm. in comment. Basil. de reg. in compend. explicatis quæst. 4. Resp. Illos agere contra contemptores venialium, ideòq; aliquantùm loqui exaggeratè, non levia etiam sunt quia disponunt ad mortalia, non levia quia gravissimâ purgatorij pœnâ castigantur.

CONTROVERSIA LXXVIII.

De peccatorum remissione.

PARS PRIOR

Verè Deus nobis peccata dimittit. Est Catholicorum.

1. QUia S. Scriptura cùm loquitur de remissione peccatorum ijs terminis utitur qui absolutam significant peccatorum ablationem & destructionem. Nam dicit illa *tolli* Joan. 1. & 1. Paral. 2. dicit *deleri* Ps. 10. Act. 3. Isai. 44. dicit *lavari, mundari, ablui.* Ezech. 36. Ps. 50. Isai. 1. 1. Joan. 1. Act.

12. *Removeri à nobis longissimè & projici.* Ps. 102. Mich. 7. dicit *fuisse & ampliùs non esse.* Ps. 9. dicit *auferri* Exod. 34. 7. *Qui aufers iniquitatem, & scelera, atq; peccata.* & v. 9. *Si inveni gratiam ut auferas iniquitates nostras & peccata.* & in hoc sensu hi textus accepti à S. Aug. lib. 1. contra duas epistolas Pelagij cap. 13. ubi dicit. *Peccata dicimus non radi, sed auferi.* & in Ps. 31. conc. 2. ubi explicat illud: *quorum tecta sunt peccata &c.* ait. *Non intelligatis quod dixit, quorum peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant.* Ita & Chrysost. hom. 40. in epist. ad Corynthios.

2. Quia Scriptura illos quibus dimissa peccata, vocat, sanctos, immaculatos; ita Hebr. 9. & Ps. 1. & Ephes. 1. *Ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Rom. 4. 3. *Credenti autem in eum qui justificat impium.* Unde Aug. in Ps. 30. conc. 1. *Quid est, qui justificat impium, nisi ex impio facit pium?* 1. Cor. 6. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.*

3. Quia Rom. 5. dicit ampliùs in nobis operari gratiam Christi quàm fuerit operatum Adæ peccatum, illud veró verè nos infecit, itaq; & Christus verè nos mundavit. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam Christi &c.* & addit, quód major sit Christi gratia quàm Adæ peccatum.

PARS POSTERIOR

Non verè nobis Deus peccata dimittit. Est Calvinist.

1. QUia Ps. 31. 1. dicitur. *Beati quorum tecta sunt peccata.* Igitur peccata non verè dimittuntur sed teguntur. Resp. ibidem dici, *quorum remissa sunt peccata.* dicit ergo loco priore tecta peccata, scilicet oculis Dei, quibus nihil tegi potest, nisi quod non est. His enim oculis, ut est Hebr. 4. *Nuda sunt & aperta omnia.* & in Hebr. pro *tecta sunt*, legitur, *deleta:* & patet quòd pro eodem sit remittere & operire peccata, ex Ps. 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.*

2. Quia justificatio comparatur vesti, quæ solùm tegit, non

non abolet. Isai. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, &c. quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me.* Resp. Justificationem esse vestem quæ tegit conscientias ita ut intra nos maneat: nam Ephes. 4. 24. dum explicat quid sit induere novum hominem, dicit idem esse ac renovari in mente. *Renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem*, induere ergo justitiam idem est ac renovari.

3. Quia *justificare* idem solùm est, ac denunciare esse justum. Nam Prov. 17. 15. *Qui justificat impium*, id est, denuntiat, appellat, *& qui condemnat justum abominabilis est uterq; apud Deum.* & Isai. 5. 23. *Væ qui justificatis impium pro muneribus.* Resp. Rom. 2. 2. *Judicium Dei esse secundùm veritatem.* non enim perversè Deus judicat sicut homo qui appellat eum justum qui non est justus.

CONTROVERSIA LXXIX.

De gratiæ infusione in justificatione.

PARS PRIOR

In justificatione nobis verè infunditur gratia, & non solùm Christi justitia imputatur. Est Catholicorum.

1. QUia Scriptura dicit nobis in justificatione infundi Spiritum S. id est donum ejus, gratiam. Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè, ut justificati gratiâ ipsius hæredes simus.* Quia dicit charitatem nobis infundi. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Quia 2. Cor. 1, *Unxit nos Deus & signavit nos, & dedit pignus in cordibus nostris.* 1. Joan. 1. *Unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis.* & cap. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ejus in eo manet.* ex loco Rom. 5. ita argumentatur Aug. lib. de Spiritu & litera cap. 32. Si est diffusa, inhæret nobis. Rom. 8. *Spiritum adoptionis accepistis.* quod explicatiùs dicit Rom. 5. ubi agit de justitia. Cùm enim præmisisset: *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris.* subdit: *Si unius delicto mors regnavit, multò magis abundantiam*

dantiam gratiæ, & donationis justitiæ accipientes. & infra. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi &c.* Sicut ergo verè peccatum nobis Adæ inhæret, ita & justitia per Christum.

2. Quia Scriptura justitiam appellat novum hominem, vitam novam, renovationem, regenerationem, quæ omninó internè immutant hominem, patet pars prior ex Rom. 4. & 8. Tit. 3. ex quibus Chrysost. hom. de ijs qui baptizãtur. *Infantes baptizamus, ut eis detur, sanctitas, justitia, & adoptio.* quæ ipsa verba refert & approbat Aug. lib. 1. contra Julian. circa medium. & Cyrill. lib. 4. in Isai. orat. 2. Formatur in nobis Christus Spiritu S. divinam quandam formam per sanctificationem imprimente.

PARS POSTERIOR

Solùm nobis in justificatione justitia Christi imputatur.

Est Calvinistarum.

1. Quia 1. Corynth. 1. 30. dicitur. *Christus nobis factus justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Resp. Eo modo est justitia, quo Jer. 23. est. *Dominus fortitudo nostra.* scilicet in nobis efficiens fortitudinem. & Ps. 7. *Dominus patientia nostra, & spes nostra* & Joan. 11. *Resurrectio & vita nostra.* ex quibus patet etiam quomodo sumendum est cùm Jer. 23. dicitur. *Dominus justitia nostra.* Nam Rom. 3. 24. dicimur *justificati gratis per gratiam ipsius.* & Joan. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus.* Non tantùm itaq; nominamur, sed & verè sumus Filij Dei.

2. Quia Gal. 3. 27. *Quicunq; baptizati estis, Christum induistis.* Itaque sicut vestis non est intra nos, ita nec Christus ac justitia ejus. Resp. Ibid. v. 21. præmissum. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* & v. 24. *Ex fide justificamur.* Apostolus ergo illo capite solùm osten-

ostendit, quòd non ex lege sit justitia, sed ex fide Christi, & Christum quidem induimus in Baptismo, justificamur autem ex fide viva in Baptismo: alioqui si eandem haberemus justitiam quam Christus, essemus illi in sanctitate æquales.



PARS TERTIA

DE LOCIS EX QUIBUS ARGUMENTA DUCUNTUR IN CONTROVERSIIS FIDEI.

Tres ſunt hujuſmodi loci præcipui & ſufficientes. S. Scriptura. Praxis & fides antiquæ Eccleſiæ de cujus certitudine nemo dubitat. Deniq; SS. Patrum uniformis conſenſus.

CAPUT I.

De S. Scriptura.

Solummodo Indicem Alphabeticum in ordine ad locos cõtroverſijs utiles proponemus, ut eo duce quivis poſſit in Scriptura ejuſmodi textus facili negotio invenire.

INDEX S. SCRIPTURÆ CONTROVERSISTICUS

A

AAron nondum erat ſummus Sacerdos, cùm vitulum aureum permiſit erigi: id enim fecit Exod. 32. factus autem ſummus Sacerdos Exodi 40. 13. ut hoc ipſũ explicat Levit. 8. 12.

Aaronis Filij Abire & Nadab igne cœleſti combuſti, quia igne alieno ad Sacrificium uſi Levit. 10. 2. contra prohibitionem factam Levit. 9. 8.

Abſtinentia à certis cibis & potibus fuit in uſu, & quandoq; à Superioribus imperata Gen. 32. ult. Num. 16. 3. 1. Reg. 7. 6. 2. Reg. 23. 16. Jerem. 35. 6. ubi Nazaræi à vino abſtinentes laudantur v. 18. Zach. 7. 5. 1. Cor. ult. Luc. 1. 15. ubi dicitur

citur de Joanne quòd vinum & ſiceram non eſſet bibiturus. Act. 15. 28. Nomine Spiritûs S. præcipitur abſtinentia ab Idolothytis.

Adoratio religioſa creaturis exhibita ſine præjudicio Creatoris 3. Reg. 18. 7. & 4. Reg. 1. 13. & cap. 2. 15 Iſai. 49. 23. ubi prædicit quòd Reges adoraturi erant Eccleſiam vultu in terram demiſſo, & pulverem pedum ejus lambere debebant. Iſai. 60. 14. Pſ. 5. 8. Dan. 2. 46. ubi Rex Nabuchodonoſor cadens in terram adorat Danielem. Gen. 33. 3. & 42. 6. & 1. Reg. 20. 41.

Apparitiones Sanctorum poſt mortem Matth. 17. 3.

Æquivocatio in occultanda veritate Gen. 22. 2. & 27. 19. Exod. 11. & 13. & 1. Reg. 16. Joan. 2. & 7.

Æternum ſumitur pro temporali Exod. 21. 6. & 31. 16. Num. 25. 13. pactum Sacerdotij ſtatuit in æternum, hoc eſt, ad tẽpus, Jer. 25. 10.

Altare Eucharisticum in novo teſtamento Hebr. 13. 10. ubi dicit: *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui deſerviunt tabernaculo.*

Altaria in Dei cultum erecta, etiam ſine illius præcepto, approbata à Deo vel miraculo, vel precum exauditione, ut Noë Gen. 8. 20. & 12. 7. & 13. ult. & 26. 25. & 37. ult. Exod. 17. 15 Joſve 22. 10. Jud. 16. 24. altare Gedeonis & 1 Reg. ult.

Angeli orant pro nobis Zach. 1. 12. Tob. 12. 12. Apoc. 8. 3. Job. 5. 1.

Angeli nos adjuvant Gen. 16. 9. Lothum juverunt Gen. 19. 15. Num. 20. 16. Jud. 2. 21. 3. Reg. 19. 7. & 4. Reg. 1. 15. juvit Eliam. Pſ. 90. 11. dicitur. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Dan. 3. 49. adjuvat Angelus in fornace Babilonica. Tob. 6. 4. Jud. 13. 20. ubi dicit: *Cuſtodiunt me Angeli ejus.* Luc. 1. 13. Angelus Zachariam ſolatur. Joan. 5. 4. Act. 7. 38. Gal. 3. 9. Hebr. 1. ult. de Angelis dicit. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?*

Angeli ab hominibus ſacro cultu honorati. Baal adorayi

ravit Angelum Num. 22. 31. Jos. 5. 15. Jud. 13. 20. Gal. 4. 14. Gen. 48. 15.

Angeli á Sanctis viventibus invocati, ut auxilium nomine Dei afferrent. Gen. 48. 16. Jacob invocat: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Zach. 1. 12. Tob. 5. 21. Apoc. 1. 4. *Gratia vobis à septem spiritibus, qui in conspectu ejus throni sunt.* Non est autem hic sermo de Spiritu S. quia ut patet ex sequentibus: isti Spiritus stabant ante thronum, Spiritus autem S. sedet in throno.

Angelos invocatos ut benedicerent, patet ex textibus proximè adductis.

Angeli sunt plurimi Job 25. 3. Dan. 7. 10. Apoc. 5. 11.

Angeli nos custodiunt Matth. 18. 10. Ps. 90. 11. Judith. 13. 20. Tob. 12. 12.

Angeli præsident regnis Dan. 10 13. & vers. 20. & 21.

Anima hominis immortalis Eccle. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* non rediret verò si corumperetur. Sap. 3. 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt.* & v. 4. *Spes illorum immortalitate plena est.* 2. Mach. 6. 26. Matth. 10. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Luc. 16. 22. Act. 7. 58. S. Stephanus dicit: *D. JESU suscipe spiritum meum.*

Animæ Sanctorum ante Ascensionem Christi non fuerunt in cœlo, sed prima Christi anima cœlos conscendit Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit.* Hebr. 6. ult. Eph. 4. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.*

Animæ Sanctorum ante Christum fuerunt in limbo. Gen. 37. 35. Eccle. 9. 10. Job. 14. 13. Oseæ 13. 14. Zach. 9. 11. ubi Christum alloquitur: *Tu quoq; in sangvine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* 2. Mach. 6. 23. Luc. 16. 22. & Petr. 3. 19. Christus dicitur his qui in carcere erant Spiritibus prædicavisse.

Animæ Sanctorum ante diem Judicij ultimi sunt in cœlo. 2. Cor. 5. 1. *Scimus quoniam si terrestris domus habitationis*

hujus

hujus dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum nõ manu factam, æternam in cœlis. Philip. 1. 2. & v. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Hebr. 9. 15. Apoc. 7. 9. ubi dicit se vidisse in cœlo turbam magnam Sanctorum, & v. 14. dicit de illis: *Hi sunt qui venerunt de magna tribulatione.*

Apostoli Christum secuti uxores & res omnes reliquerunt. Matth. 19. 27. Petrus nomine omnium dicit. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* & v. 29. *Omnis qui reliquerit domum &c.* Luc. 5. 11. *Relictis omnibus secuti sunt eum.* Similia v. 28.

Antichristi proprietates nec Romano Pontifici, nec Cathedræ ejus competunt. Nam ille Dan. 11. 36. Elevabitur & magnificabitur adversùs omnem Deum. Alia signa 2. Thess. 2. 4. & 9. & 1. Joan. 2. 22. Apoc. 19. 20. & 2. Thess. 2. 3. debet esse unus homo qui sit propriè Antichristus, multi autem sunt Pontifices.

Apostoli habuerunt potestatem novas leges condendi, quæ potestas etiam est penes eorum Successores. Ita tulit legem 1. Cor. 7. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* & v. 27. *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem, solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Item legem tulerunt Act. 15. 28. de suffocatis.

Aqua olim benedicebatur Num. 5. 17. *Assumet aquam sanctam &c.* & 8. 7. *Aspergantur aquâ lustrationis.* & 19. 11. *Aspergebant tentorij suppellectilem aquâ.* Hebr. 9. 19. & 21.

B

BAptismus est necessarius ad salutem Matth. ult. 19. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.* Joan. 4. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Tit. 3. 5. & 1. Petr. 2. 21.

Baptismus tollit omnia peccata Act. 2. 38. & 22. 16. Zach. 13. 1. Ezech. 36. 23 *Et effundam super vos aquam mundam, & emundabimini ab omnibus iniquinamentis vestris.* Rom. 6. 4. & 1. Cor. 6. 11. Ephes. 5. 25.

Baptismus parvulorum. Matth. 19. Marc. 16. Act. 16. & 10 ult. Joan. 3. 3. admittit cæremonias Act. 2. 41.

Baptiſmus Joannis multùm erat diverſus â Baptiſmo Chriſti Marc. 18. Baptizatos à Joanne Paulus de novo baptizat Act. 19. 5.

Benedictionum uſus olim fuit 1. Tim. 4. 4. & 4. Reg. 2. 21. Exod. 28. 2. Levit. 21. 10. & 1. Reg. 215. & 1. Paral. 18. 11. & 1. Tim. 4. 5. Hebr. 9. 2.

Benedici ab hominibus poſſunt etiam creaturæ irrationales, & naturâ ſuâ immundæ, Exod. 39. ult. Levit. 27. 30. & 1. Reg. 9. 13. *Ipſe benedicet hoſtias, & deinceps comedent qui vocati ſunt.* Matth. 14. 19. acceptos panes quinq; & piſces Chriſtus benedixit Luc. 9. 16. & 1. Tim. 4. 5. & 1. Cor. 14. 16.

C

CAſtitas cælibum præfertur Matrimonio Iſai. 56. 5. Matth. 19. 10. & 1. Cor. 7. 40. *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit.* Apoc. 14. 4. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.*

Caſtitas cum Dei ope ſeruari poteſt Matth. 19. 12. *Sunt Eunuchi &c.* 1. Cor. 7. 8. Apoc. 14. 4. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.*

Cœlum ante Chriſtum nemo ingreſſus Joan. 3. 13.

Cæremoniæ ſacræ laudabiliter adhibitæ. Gen. 4. 4. & 8. 20. & ſeq. Exod. 12. 22. & 15. 20. & 24. 2. 6. 7. 8. Levit. 9. 22. *Et extendit manum ad populum & benedixit eis.* Num. 7. 1. 3. 4. unxit vaſa. Joſve 6. 6. coram arca fecit cantum tubis 1. Reg. 10. 1. Samuel ungit Saulem 2. Reg. 6. 6.

Cæremonia inclinandi ſe & procidendi coram Deo eſt cum laude uſurpata. Gen. 17. 3. & 24. 48. Levit. 9. ult. 2. Paralip. 7. 3. & 2. Eſdr. 8. 6. Job. 1. 20. Joan. 9. 39.

Cæremonia levandi manus in oratione adhibita Exod. 17. 11. *Cumq; levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël.* 2. Paralip. 6. 12. Pſ. 62. 5. Pſ. 140. 2. & 1. Tim. 2. 8. *Volo viros orare in omni loco levantes manus puras.*

Cæremoniæ à Chriſto adhibitæ Marc. 7. 33. Miſit digitos in aures ſurdi &c. Joan. 11.

Cæremonia procidendi in genua 3. Reg. 8. 54. & 17. 21. & 18. 42.

18. 42. Matth. 2. 11. *Et procidentes adoraverunt eum.* Luc. 22. 41. Christus positis genibus orabat. & v. 45. Act. 20. 36.

Cæremonia procidendi in faciem Matth. 26. 39. *Et procedens pusillum procidit in faciem suam orans.* Marc. 4. 35. Luc. 5. 12. *Procidens in faciem suam rogavit.*

Candelarum usus causâ devotionis Act. 26. 7.

Charitas fide præstantior 1. Cor. 13. 2. *Etsi habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum.* v. 13. *Major autem horum est charitas.*

Communionem habemus cum Sanctis Psal. 118. 63. Coloss 4. 24.

Confessio peccatorum etiam occultorum fiebat coram Sacerdote in lege Veteri cum fructu remissionis Gen. 41. 10. Levit. 5. 4. *Anima quæ juraverit &c.* & 6. 6. *Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti juxta æstimationem mensuramq; delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur ei pro singulis quæ faciendo peccavit.* Num. 5. 6. 7.

Confessio peccatorum in particulari in novo testamento Joan. 20. 2. & seq. Act. 19. 18. & seq. *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos.* 1. Joan. 1. 9. & 2. Cor. 5. 18. Jacob. 5. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Eccl. 4. 31. *Non confundaris confiteri peccata.* de Confessione in particulari loquitur, quia hæc confundit, non autem facta in in genere, dicendo se esse peccatorem.

Confirmationis Sacramentum conferebatur per manuum impositionem & unctionem, ac collationem donorum Spiritûs S. Act. 8. 16. & seq. & 19 5. & seq. 2. Cor. 1. 21. *Qui autem confirmat nos, vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Hebr. 6. 1. & 1. Joan. 2. 27. *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat vobiscum.*

Confirmationem conferebant Episcopi Act. 8. 12. ideò Philippus baptizavit, sed non confirmavit.

Consilia Evangelica à præceptis sunt diversa, & non obligant

bligant nisi voto firmentur Matth. 19. 11. *Non omnes capiunt verbum istud* v. 13. *Qui potest capere capiat.* 1. Cor. 7. 25. *De Virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do.* Matth. 19. 20. *Si vis esse perfectus &c.* Marc. 10. Luc. 18. 29. *Qui reliquerit &c.*

D

DEcimæ Sacerdotibus offerebantur Gen. 14. 20. Num. 18. 21. Deus assignavit decimas Filijs Levi. Deut. 14. 28. & 26. 12. Hebr. 7. 1.

Dedicatio templi 3. Reg. 8. 63. & 1. Esdræ 6. 16. & 1. Machab. 4. 48. & ædem & atria sanctificarunt 3. Esdræ 7. 2. & 2. Machab. 10. 9.

Dedicatio muri 2. Esdræ 12. 27. *In dedicatione autem muri requisiverunt ex omnibus locis suis.*

Deus plús potest quàm nos possimus intelligere. Luc. 1. 37. *Non erit impossibile omne verbum.* Ephes. 3. 20. *Qui potens est omnia facere superabundanter.*

Deus non movet ad peccandum, sed tantùm permittit peccatum. Jacob. 1. 3. *Nemo cùm tentatur dicat quoniam à Deo tentatur.* Exod. 23. 7. & Paralip. 19. 7. *Non est apud Deum iniquitas.* Judith 5. 21. Job 24. 10. Ps. 5. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap 14. 9. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Eccli. 15. 20. *Nemini mandavit impiè agere.* Oseæ 13. 19. Rom. 9. 14.

Dei fœcunditas Isai. 66. 9.

Diaconus. Act. 6. 3. & seq. Philip. 1. 1. & 1. Tim. 3. 8. 12.

E

ECclesia ut est templum materiale. Jud. 20. 2. In Ecclesiam cunctæ tribus Israël conveniebant. 1. Cor. 11. 18. & 14. 34.

Ecclesia sumitur pro Præpositis Ecclesiæ Matth. 18. 17. *Quodsi Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Eccle-

Ecclesiæ non obedientes sunt puniendi. Deut. 17. 12. & 18. 20. Lev. 14. 16. Ecclesia Catholica totum mundum & omnia regna complecti debet. Gen. 22. 17. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedîsti voci meæ.* quod explicat Act. 13. 3. 26. *Vos estis filii &c. dicens ad Abraham: & in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* hoc ipsum confer cum Gal 3. 8. 16. item Ps. 2. 8. *Postula â me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Confer cùm Act. 13. 33. Ps. 8 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Confer cum Rom. 10. 17. Ps. 44. 17. Isai. 2. 23. Dan. 7. 14. Sophon. 2. 11. Zach. 9. 10.

Ecclesia Catholica durabit ad finem mundi, neque potest deficere. Ps. 88. 37. *Semel iuravi in Sancto meo si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.* Isai. 9. 7. Dan. 2. 44. & 7. 14. 27. *Cujus regnum sempiternum, & omnes Reges servient ei, & obedient.* Matth. 16. 18. & ult. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Luc. 1. 33. Isai. 61. 9. Ps. 47. 10.

Ecclesia Catholica non potest errare in publica doctrina circa fidē & mores. Isai 59. ult. Confer cum Joan. 17. 18. Matt. 16. 18. Joan. 16. 15. confer cum 14. 16. & 1. Tim. 3. 15. *Columna & firmamentum veritatis.* Ephes. 4 12.

Ecclesia Catholica est visibilis. Act. 20. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI.* certè non invisibilem. Rom. 15. 54. & 2. Cor. 1. 2. & 3 9. & 16. 17. & Coloss. 1. 24. & 1. Tim. 3. 5. & 1. Petr. 5. 2. *Pascite eum qui in vobis est gregem DEI.* & v. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babilone collecta.*

Episcoporum ordinatio Act. 13. 2. 3. Levit. 21. 10. *Pontifex, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestibusq; sanctis est vestitus.*

Episcopus â Presbytero est diversus, & habet potestatem ordinandi, judicandi. Act. 6. 3. & 14. 22. & 1. Tim. 2. 19. *Manus nemini citò imposueris.* Tit. 1. 59. Eucharistia continet realiter corpus & sangvinem Christi. Matth. 26. 26. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur, hic sangvis qui effundetur.* Marci 14. 22. & seq. Luc. 22. 19. 20. Joan. 6. 52. *Panis quem ego dabo, Ca*

ro mea est. & u. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis* &c. 1. Cor. 10. 16. & 11. 24. & u. 29. neque DEUS in Sacramento utitur tropis ut patet etiam ex lege vetere Gen. 17. 11. *Circumcidetis carnem.* Exod. 12. 26. *Et erit Agnus sine macula.* & Matth. ult. *Baptizantes eos.* Certè etiam pro nobis non panis in cruce datus, nec vinum effusum. Vnde 1. Cor. 11. 29. *Qui manducat indignè non dijudicans Corpus Domini.*

Eucharistia continet corpus Christi etiam in minima particula Matth. 26. 26. quia Ephes. 3. 20. *Potens est facere omnia* (Deus) *superabundanter, quàm petimus aut intelligimus.*

Eucharistia non debet confici prædicando, sed benedicēdo. 1. Cor. 18. 16. Luc. 22.

Eucharistiæ usus sub una specie sufficit Joan. 6. 33. *Panis qui descendit de cælo dat vitam mundo* & v. 58. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

Eucharistia subinde tantùm sub una specie dabatur ab Apostolis Act. 2. 45.

Excommunicatio jussu Dei instituta 1. Esdræ 10. 8. *Qui nō venerit in tribus diebus juxta consilium Principum ac Seniorum, auferetur universa substantia ejus, & ipse auferetur de cœtu transmigrationis.* Matth. 18. *Quodsi non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus, &c* 1. Cor. 5. 2. & 1. Tim. ult. *Quos tradidi Sathanæ ut discant non blasphemare.*

Excommunicatio aliquando exercenda 1. Cor. 5. 4. & 1. Tim. ult. 2. Thess. 3. 14.

Excommunicatio etiam á Christo instituta Matth. 16. 19. *Quodcunq; ligaveris super terram &c.* & 18. 18. Joan. 20. 23. *Quorum retinueritis peccata &c.*

Excommunicati sunt vitandi 1. Cor. 5. 11. Apoc. 2. 14. *Quia habes tenentes doctrinam Balaam &c pugnabo cum illis in gladio oris mei.*

F

FAcere, in Scriptura sumitur pro sacrificare Exod. 29. 39. *Hoc est quod facies in altari, agnos anniculos duos &c.* Levit. 23. 16.

23. 19 *Facietis hircum pro peccato.* Levit. 15. 15. & v. 30. Num. 6. 11. & 9. 2. Judic. 13. 16. 3. Reg. 18. ſæpiùs.

Fides poteſt eſſe ſine charitate & ſine bonis operibus Mat. 7. 22. *Multi dicent in illo die Domine Domine &c.* atqui nemo invocat ſine fide, & reſpondetur illis: *Neſcio vos* 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem* &c. *nihil ſum.* erit ſcilicet fides, ſed mihi non proderit. Joan. 12. 42. & S. Jacob. fidem peccatoris cõparat corpori mortuo. Tit. 1. 16. *Factis fidem negant.*

Fides ſine charitate non juſtificat. 1. Cor. 13. 2. Gal. 5. 5. 6. Ephes. 3. 17. Jacob. 2. 14. *Quid proderit fratres mei* &c.

Fides juſtificans amitti poteſt. Rom. 11. 20. *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere ſed time* &c. Fidem habens de ſe dicit 1. Cor. 9. ult. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicavero ipſe reprobus efficiar.* & 18. 12. & 1. Tim. 1. 9. *Habentes fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* & ult. 10. & 2. Tim. 2. 12. & 2. Petr. 3. 17.

Fides non facit nos certos de præſenti juſtitia & ſalute, ut nos juſtos & ſalvandos credere debeamus. Eccleſ. 9. 1. *Neſcit homo, utrùm ſit amore an odio dignus.* Eccli. 5. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Rom. 11. 20. & 1. Cor. 4. 4. *Nihil mihi conſcius ſum.* &c. & 9. ult. Philip. 2. 12. & 2. Pet. 1. 10. Prov. 20. 9.

Fides, quâ credimus articulos revelatos, debet eſſe firma. Rom. 4. 18. *Qui contra ſpem &c.* 1 Cor. 15. ult. *Itaq; fratres mei dilecti ſtabiles eſtote & immobiles.* Epheſ. 4. 13. *Ut non ſimus &c.*

Fides eſt una. Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.*

Fides innititur voci vivæ Doctorum Eccleſiæ, tanquam inſtrumento neceſſario; ſine quo ordinariè nemo fidem acquirit. Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes.* Luc. 1. 12. *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt.* Act. 8. 30. & 9. 7. & 10. 5. & Rom. 10. 14. & ſeqq. 1. Cor. 1. 21. & 15. 14. Heb. 2. 3. & 1. Joan. 4. 6.

Fides ut proſit, neceſſariò debet habere adjuncta bona opera. Gal. 5. 6. Nam in Chriſto JESU neque circumciſio aliquid valet &c. ſed fides, quæ per charitàtem operatur. Jac.

2. 4. *Quid prodest &c.*

Fiduciam aliquam habere possumus in homine. Rom. *15.* 30. Philemon. 2. 2.

Festa. *3.* Reg. 8. 63. & 2. Paral. 30. 2. *Inito ergo consilio Regis ac Principum decreverunt, ut facerent Phase Domino.*, & u. 23. Jud. *16.31.* Esther. 9. 20. *21.*

Festa Judæorum hæc erant. Sabbatum in memoriam creationis mundi. Gen. *22.* Exod. *16.* 23. Num 28. 29. Neomenia initium lunæ, in memoriam eductionis ex Ægypto. Num. 28. *11.* & *1.* Reg. 20. *5.* in memoriam divinæ gubernationis. Pascha in memoriam liberationis ex Ægypto, cui annexum festum azymorum. Levit. 23. *6.* 7. Num. 28. *16.* Exod. *12.* 3. 56. & *14. 5.* Septimus dies azymorum erat festus. Pentecoste, quia lex DEI data in monte Sinai die quinquagesimo â Paschate. Deut. *16. 10. 16.* Levit. *12. 15.* & hoc ipsum festum dicebatur primitivorum messis Exod. 23. *16.* quia tùm incipiebat messis. Tubarum, quæ fiebant ex cornibus arietum, quia substituto ariete Isaac liberatus. Levit. 23. 24. Num. *29. 1.* Expiationis, quia dimissum illis peccatum adorationis vituli. Levit. *16.* 30. & *23. 27.* Num. 29. *2.* Scenopægiæ, seu Tabernaculorum. Exod. *23. 16.* Levit. 23. 34. Deut. *16. 13.* quia in deserto vixerunt in tabernaculis. Dicitur & festum Collectionis, seu laborum ex agro Exod. *23. 16.* Cœtûs, seu collectæ quo colligebantur necessaria ad Divinum cultum, & significabatur pax promissa in terra promissionis, ut ait S. Thom. *2. 2.* q. *103.* a 4. ad *10.* Levit. 23. 36. atque ità Festa erant octo.

Festa á Judæis instituta. Festum sortium, quia populum liberavit Esther Esth. 9. *17.* 26. & seq. Encæniorum seu purgationis templi facta sub Machabæis *1.* Mach. 4. 49. Recepti è cœlo ignis sacri 2. Mach. *1. 18.* Ob cæsum Nicanorem *1.* Mach. 7. 49. & 2. Mach. ult. 37. Vide Cornelium in Levit. 23. 22.

Filius Dei est Deus Isai. 35. 4. Baruch. 3. 36. Rom. 9. 5

Fiduciam aliquam possumus habere in operibus nostris.

bonis Tob, 4. 12. Isai. 38. 3. Hebr. 10. 32. & seq.

G

GEhenna in novo testamento sumitur pro inferno Matth. 10. 28. & 18. 8. 9. Marci 9. 44. Luc. 12. 5.

Gratiæ Dei cooperamur liberè 1. Cor. 15. 10. & 13. 9. Act. 7. 51. Ps. 94. 8. Rom. 8. 26.

H

HÆretici Sap. 2. 22. *Excæcavit illos malitia eorum, & nesciêrunt viam Domini.*

Hæretici non tolerantur Matth. 18. 15. 17. Apoc. 2. 14. 15. Deut. 13. 5. 10. & 17. 12. & 18. 20. & 2. Reg. 18. 40. & 4. Reg. 10. 26. Act. 5. 5.

Hæretici sunt Antichristi 1. Joan. 2. 18. *Nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis,* 2. Thess. 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis*, quod Aug. 20. Civit. 19. de Hæreticis intelligit.

Hæretici sunt excommunicati Matth. 18. 17. & 1. Cor. 5. 2. 15.

Hæresim repetentes seu in eam recidentes Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam* (Eucharistiam) *donum cœleste, & participes sunt facti Spiritûs S. gustaverunt nihilominùs bonum Dei Verbum, virtutesq; venturi sæculi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam &c.*

Honor factus hominibus corporis reclinatione. Gen. 27. 29. *Incurventur ante te Filij Matris tuæ.* & 33. 3. *adoravit pronus in terram.* & 46. 26. 28. & 48. 12. Daniel. 2. 46. & 3. Reg. 18. 7. *Qui cùm cognovisset eum,* [Eliam] *cecidit in faciem suam.* 4. Reg. 1. 13. *Qui cùm venisset, curvavit genua contra Eliam, & precatus est eum.* 1. Paral. 21. 22. Apoc. 3. 9.

Honor Creaturis exhibitus propter DEUM redundat in DEUM 1. Reg. 8. 8. *Non enim te abiecerunt sed me.* Prov. 14. 31. Zach. 2. 8. Matth. 10. 14. & 23. 21. & 25. 40. *Amen dico vobis quam diu fecistis &c.* Act. 9. 4. *Saule Saule quid me persequeris?* 1. Cor. 8. 12. Apoc. 13. 5. Ps. 81. 6. *Ego dixi Dij estis.* Luc. 10. 16. *Qui vos*

audit me audit, qui vos spernit me spernit.

Honor Latriæ DEO exhibendus. Joan. *16, 2.* Hebr. *9. 9.* Matth. 4. *10.* *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies* Luc 4. 8. Actor. 7. *7.* & *24. 14,* Rom. *1. 9.* atquí atiam in Eucharistia est DEUS?

I

IDololatræ aliter colebant idola, quám Catholici imagines & SS. reliquias: illi scilicet cultu, qui sistebat in idolo. Exod. *32. 4.* *Fecitq; illis vitulum conflatilem, & dixerunt: hi sunt Dij tui Israël.* Isai. 44. 14. *Fecit & sculptile sibi, & adorat illud, & obsecrat dicens: libera me, quia DEUS meus es tu.* & u. *17.*

Idololatræ sperabant in simulachris. Ps. *134. 18.* *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Isai. *42. 17.* Abac. *2. 18.*

Idolis Sacrificia directè offerebantur Ps. *105.* 38.

Imagines factæ sunt jussu Dei in lege veteri. Exod. *25.* 18. *Duos quoq; Cherubim aureos & productiles facies* & 37. 7. 8. Num. *21.* 8. *Fac serpentem aneum.*

Imagines non absolutè Deus prohibuit Deut. 5. Exod. 20. Levit. 26. 1 *Non faciietis idolum ut adoretis illud.*

Imagines rerum variarum non sunt improbatæ 3. Reg. 6. 23. *Et fecit in oraculo duos Cherubim.* & *10.* 19. *& duæ manus hinc & inde.* *1.* Mach. *13.* 28. & seq. *& statuit septem pyramides.* Matth, 22. 20. *Cujus hæc est imago?*

Imago visibilis repræsentans Deum corporis inflexione est adoranda. Gen. 18. 3. *Apparuerunt illi tres viri stantes &c.* qui repræsentabant Deum. Exod. 34. 5. *Cùm descendisset Deus.* Jos. 5. 15. Num. 22. *31.*

Jejunium à Superioribus indictum. 1. Reg. 14. 24 *Maledictus est vir qui comederit panem ad vesperam.* *2.* Paralip 20. 3. *Josaphat prædicavit jejunium.* 1. Esdr. 8. 51. Jer. *36.* 9. Esther 4. 16. Jonæ 3. 5.

Jejunij voluntarij exempla Deut. 9. 9. *Et perseveravit in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens & aquã non bibens.* & 18. Jud. 20. 26. & *1.* Reg. *7.* 6. & ult. ult. *2.* Reg.

1. 12.

1. 12. & 3. 35. Pſ. 108. 34. Matth. 4. 2. Marc. 20. prædicit Chriſtus Eccleſiam jejunaturam. Luc. 7. 37. Act. 13. 2. & ſeq. 2. Cor. 11. 27.

Jejunij utilitates Num. 30. 14. Jud. 20. 28. Joël 1. 14. & 2. 12. Matth. 6. 17. *Et Pater qui videt in abſcondito reddet tibi.*

Ignis verus eſt in inferno Judith 16. 21. Eccli. 7. 19. Iſai. 66. 24.

Infernus etiam ante judicij diem torquet impios & dœmones. Luc. 16. 22. *Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno, &c & cùm eſſet in tormentis.* 2. Petr. 2. 3. & ſeq. Judæ 3. 5. & ſeq.

Inferni pœnas non eſt paſſus Chriſtus Act. 2. 24.

Infernus eſt verè Luc. 10. 15. & 16. 22. & 24. Matth. 13. 41. Marc. 9. 41. Apoc. 21. 8.

Inferni pœnæ ſunt æternæ. Marc. 9. 42. Apoc. 14. 11. Matth. 25. 40. Luc. 16. 24.

Judicium univerſale 2. Cor. 5. 10. Matth. 25. 31.

Judicium particulare ſtatim fit poſt mortem. 2. Cor. 5. 10. Hebr. 9. 27. Luc. 16. 22. Eccli. 11. 28. & ſeq.

Infidelis non in omni opere peccat Rom. 2. 14. & per bona opera præmium temporale meretur. Exod. 20. Ezech. 19. 19.

Juſti fuerunt aliqui, ut Noë Gen. 6. 9. Luc. 1. 6. Zacharias & Elizabeth. & 15. 7. *Gaudium erit in cœlis, &c. quam in nonaginta novem juſtis.* Joan. 1. 47. Act. 11. 24. Barnabas. 1 Pet. 1. 15. *Sancti eritis quoniam ego Sanctus ſum.*

Juſti non ſunt qui non peccent venialiter, niſi ſint ſpecialiter à Deo exempti. Prov. 20. 9. Eccli. 7. 21. *Non eſt homo juſtus in terra qui faciat bonum & non peccet.* Matth. 5. 12. *Et dimitte nobis debita noſtra.* Rom. 3. 9. & Joan. 1. 8.

Juſti multi ſunt in Eccleſia, tamen reſpectu malorum aliquando pauci. Gen. 6. 5. Pſ. 13. 1. & ſeqq. Pſ. 14. 1. Oſeæ. 4. 11. *Perijt Sanctus de terra.*

Iuſti nulli ſunt in terra, quin aliquando fuerint inimici DEI, ſaltem ob originale peccatum, niſi aliquem DEUS ſpecialiter exceperit. Pſ. 50. 3. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* Epheſ. 2. 1. & ſeq.

Juſti

Justi sine speciali revelatione Dei non possunt scire se esse justos, aut in bono perseveraturos, aut vitam æternam consecuturos. Eccli. 9. 1. *Nescit homo utrum sit amore an odio dignus.* Eccles. 5. 5. *De propitiato peccato noli esse absq; metu.* Rom. 11. 20. 21. & 1. Cor. 4. 4. *Nihil mihi conscius sum. &c.*

Justificatio non consistit in non imputatione peccati, sed partim in vera culpæ remissione, partim in infusione gratiæ animæ inhærentis. Ps. 50. 9. *Asperges me hyssopo &c.* Isai. 16. 7. & 44. 27. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Jer. 50. 20. Rom. 5. 8. 19. 17. & seq.

Justificatio non soli fidei attribuitur. Joan. 3. 36. Act. 26. 18. Rom. 3. 22.

Justificatio *Spei* attribuitur Rom. 8. 24. *Spe enim salvi facti sumus.* Ps. 36. ult. *Salvavit eos quia speraverunt in eum. Charitati.* Ps. 105. 31. confer cum Ps. 25. Luc. 4. 47. *Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multùm.* Joan. 16. 27. *Misericordiæ & eleemosynæ* Prov. 15. 27. *per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Tob. 12. 19. Dan. 4. 24. *Baptismo* Rom. 6. 4. Ephes. 2. 26. *Seipsum tradidit pro ea* (Ecclesia.) *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* 1. Petr. 3. 21. *Pœnitentiæ.* Ezech. 18. 21. Marci 1. 4. *Eucharistiæ* Joan. 6, 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Jurare absolutè licet Ps. 62. 12. & 2. Cor. 1. 23. non licet autem temerariè Matth. 5. 14.

Justitia non est æqualis in omnibus justificatis 1. Reg. 24. Eccli. 24. Prov. 4. & 2. Tim. 20.

Justificatio obtenta amitti potest. Ezech. 18. & 33. 12. *Justitia justi non liberabit eum in quacunq; die peccaverit* & v. 18. & 2. Petr. 2. 21. *Meliùs erat eis. &c.*

Justitia ut conservetur in adultis opus bonis operibus. Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 1. Joan. 3. 17. Matth. 3. 10. *Omnis arbor &c.* 2. Petr. 1. 10. *Quapropter &c*

L.

LAicis non licet tangere res sacras Num. 1. 31. *Cùm proficiscendum fuerit deponent Levitæ tabernaculum, & quisquis externorum accesserit, occidetur.* & 3. Reg. 10.

Lex Moſaica Judicialis & cæremonialis per novam abrogata. Matth. 11. 13. *Lex & Prophetæ uſq; ad Joannem.* Marci 15. 38. Act. 13. 38. Gal. 3. 13. & 4. 5. *At ubi venit plenitudo temporis &c.* Epheſ. 2. 13. 1. Petr. 1. 11.

Legis & Eccleſiæ novæ ſtatus perfectior quám veteris 1. Cor. 1. 6 Hebr. 7. 18. 10. 12. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem legis Eccleſiaſticæ perfectioni nihil derogat quod interdum abrogetur, vel immutetur.* Quia etiam vetus lex abrogata eſt. & Gen. 1. 29. Deut. 24. 1. confer cum Mat. 19. 9. item Matth. 10. 5. confer cum Matth. ult. ult. Act. 15. 20. confer cum modernis qui comedunt ſuffocata & cum ſangvine, Act. 16. 6. confer cum 19. 20.

Libertas Hæreticorum qualis Job 11. 12. Oſeæ 7. ult. Gal. 3. 12. & 2. Petr. 2. 18.

Liberum arbitrium cum gratia Dei operatur per bona opera 1. Cor. 13. 8. *Unusquiſq; &c* 1. Cor. 15. 19. Jacob. 4. 8. *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis.*

Limbum incolebant Sancti ante mortem Chriſti, quia aliqui rediêrunt ad vitam, & certè non ex cœlo, neq; ex inferno. 3. Reg. 7. 20. Luc. 16. 23.

M

MAndata Dei poſſunt impleri. Gen. 20. 4. 5. *Abimelech non tetigerat eam.* 3. Reg. 11. 34. Matt. 11. 30. *Jugum enim meũ ſuave eſt.* Marc. 10 20. *Hæc omnia obſervavi à juventute mea.* Luc. 1. 6. & 1. Joan. 3. 22. *Quoniam mandata ejus cuſtodimus.* 1. Joan. 5. 2. Matth. 19. 18. Joan. 14.

Machabæorum liber ſecundus eſt Canonicus, quia ſi non eſt talis non poterunt credere ob verbum ſcriptum ex nihilo eſſe mundum, quia hoc nullibi eſt ſcriptum niſi in hoc libro cap. 7. 28. *ut intelligas ea quæ ex nihilo fecit Deus.* Nam Sap. 2. 2. ſolúm de hominibus dicitur quòd ſint ex nihilo.

Matrimonium eſt Sacramentum Eph. 5. 31. & Theſſ. 4. 3. 4.

Melchiſedech fuit Sacerdos Rex Salem, Gen. 14. 18.

Miſſæ ſacrificium olim prædictum Levit. 25. 10. & ſeqq. *Ponam tabernaculum in medio veſtrûm,* &c Iſai. 19. 19. & Malach.

v. 11. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda &c.*

Missa à Christo & Apostolis facta. Matth. 26. 28. & 1 Cor. 11. 23. *Hoc facite &c.* confer cum Ps. 109. *Tu es Sacerdos &c.*

Messias est Deus Zach. 2. 12. 13. Isai. 35. 4.

Mediator Christus dicitur quatenus nos per mortem redemit. 1. Tim. 2. 56. *Unus est Deus. &c* Heb. 9 15. & 1. Joan. 4. 14.

Miracula sunt signa veræ fidei Matth. 16. 17. & 1. Cor. 12.

Meritorum & demeritorum tempus est vita præsens. Eccli. 9. 5. & 2. Cor. 10. *Ut referat unusquisq; in corpore suo prout gessit sive bonum sive malum.*

Moyses fuit verus Sacerdos. Ps. 98. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* ideóq; sacrificia offerebat.

Musicæ vocalis & instrumentalis usus in sacris. Exod. 15. 20. & 2. Paral. 29. 25.

O

OMnis: hæc vox admittit in Scriptura exceptionem. Gen. 15. 12. *Omnis caro corruperat viam suam.* confer cum v. 9. *Noë vir erat justus.* Joan. 15. 15. cum Joan. 16. 12.

Opera hominum possunt esse sine peccato Job. 1. 22. *In his omnibus non peccavit Job labijs suis* & 2. 10.

Opera bona sunt meritoria vitæ æternæ. Gen. 4. 7. & Apoc. 22. 12. *Ecce venio citò & merces mea mecum est reddere unicuiq; secundùm opera sua.* Eccli. 16. 5. Matt. 25. 34.

Operari licet propter divinam retributionem Ps. 17. 21. & 118. 12. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem* & 18. 12. Matth. 19. 24. *Ecce nos reliquimus omnia. &c* Coloss. 3. 24.

Opera bona requiruntur omninó ad salutem cum fide. Matth. 5. 20. 21. & 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* & 25. 4. *Esurivi enim.* & 1. Cor. 6. 8 9.

Opera superogationis laudabiliter fiunt 1. Cor. 7. 12. Vide Abstinentia, Altaria, Castitas, Cæremoniæ, Consilia, jejunium, Musica, Oratio, Peregrinationes, Vota.

Opera bona spem fulciunt. Jacob. 2. 24.

Orationis frequens usus Christo fuit diu, noctuq;, item Sanctis. Ps. 118. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* & Act. 10. vide de Cornelio. 1 Tim. 5. 5. *Instes Orationibus die ac nocte.*

Oratio pro mortuis licita. Quia Christus oravit ut redirent ad hanc vitam miseram. utiq; multò magis orandum ut eant ad beatam. Heb. 12. 14. Elias oravit 3. Reg. 17. 21.

Orabatur olim pro mortuis 2. Mach. 12. 43. & 46. Cives Jabes Galaad pro defuncto Saul & Jonatha septem dies jejunârunt.

Ordinis Sacramentum institutum Luc. 22. 19. *Hoc facite.* facere significat sacrificari. Vide *Facere.* Joan. 20. 22. Accipite Spiritum S. &c. Act. 14. 22. *Cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros.* 1. Tim. 4. 14. *per manus presbyterij.*

Oratio non semper exauditur. Jacob 4. 3.

P

PApa accepit à Christo potestatem regendi Ecclesiam cùm dictum Petro Joan. 21. 8. *Pasce oves meas.* Nec obest quód tum Petri successores non adfuerint. Nam Num. 11. 17. descēdit Spiritus S. supra viros descriptos non solùm qui aderant, sed qui aberant. & Joan. 20. 22. Quando Spiritus S. datus à Christo Apostolis, etiam Thomas absens fuit illius particeps. Similiter non aderant Christo præsentes qui defacto habent potestatem baptisandi prædicandi, quando illa á Christo dabatur.

Papæ rectè osculamur pedes. Quia Isai. 49. 23 hoc specialiter prædictum. Item Christus quod plus est, lavit Apostolis pedes. Joan. 13. 14. & Luc. 7. 38. osculum admisit Magdalenæ.

Papa jure coram nemine debet aperire caput. Quia hoc Deus præscripsit summo Pontifici. Levit. 21. 10.

Passioni Christi collaborandum est Col. 1. 24. Tit. 2. 11.

Parentibus non obediendum cùm Deo contraria præcipiunt. Matth. 10. 37. Act. 2 29.

Paupertas voluntaria Deo placet Matth. 19. 21.

Peccatum originale ejusq; effectus Gen. 8. 21.

Peccata sunt in confessione specificanda Isai. 43. 27. *Narra si quid habes ut justificeris.* 1. Joan. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra.*

Peccata sunt inæqualia. Thr. 4. 6. *Major effecta est iniquitas Filiæ populi mei, peccato Sodomorum.* Prov. 6. 30. Matth. 11. 21. *Quisquis dixerit verbum &c.* & 23. 24. & 11. 48. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui &c.* Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es &c.* Joan. 19. 11.

Peccans non amat Deum, 1. Joan. 5. 3.

Peccati culpâ dimissâ non semper remittitur pœna temporalis. Num. 14. 19. & seqq. *Dimitte obsecro peccatum populi hujus &c.* tamen, *non videbunt terram pro qua juravi Patribus eorum.* cùm tamen præmisisset: *dimisi secundùm verbum tuum.* Num. 27. 13. & seq. confer cum 20. 24. David monitus à Nathan obtinuit remissionem peccati & tamen punitus 2. Reg. 12. 3. & 1. Cor. 3. 13. Vide Pœna peccati.

Peccatum interdum sumitur pro pœna peccati. Gen. 4. 7. *Nonne si bene egeris &c.* Zach. 14. 19. *Hoc erit &c.* 2. Cor. 5. 21. *Eum qui &c.*

Peregrinationes seu processiones voluntariæ pietatis causâ susceptæ. 1. Reg. 11. 3. 5. 10. & 2. Reg. 6. 12. *Abijt ergo David & deduxit arcam Dei de domo Obededom cum gaudio.* 3. Reg. 8. 42. *Insuper & alienigena &c.* & v. 45. & 1. Paralip. 15. 25. *Universusq; Israël ducebant arcam fœderis in jubilo & sonitu buccinæ.* 2. Petr. 1. 2. Matth. 21. 8. 9. *Turbæ autem quæ præcedebant & sequebantur, clamabant dicentes Osanna Filio David.* confer cum Joan. 12. 12. Act. 8. 27.

Petrus primo loco ponitur ab Evangelistis Matth. 10. 2. *Primus Simon qui dicitur Petrus.* Marci. 6. 13.

Petrus factus est à Christo Pastor ovium ac ideó & cæterorum Apostolorum Joan. 21 15. *Pasce Agnos meos.* Act. 13. 7. *Scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit audire per os meum.*

Petri officium pastorale verum regimen & potestatem alios gubernandi significat. Quia Joan. 21. 7. ποίμαινε τα πρό-

βα

βα τά μȣ, ponitur vox quæ non solùm *pasce*, sed in locis aliijs significat, *rege*, ut Ps. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Matth. 2. 26. *Ex te enim exiet qui regat populum meum.* Act. 20. 18. Apoc. 12. 5. & 19. 15. vertitur *ποίμανε* in *rege.* Vox etiam ipsa *pascere* significat in scriptura *regere.* 2. Reg. 5. 2. *Tu pasces populum meum Israël.* & 7. 7. Joan. 10. 11. *Ego sum Pastor &c.* Demum vox *Maschal* quod significat Pastorem, proprium est dominationi.

Petro quód primatus competat, patet. Quia in catalogo Apostolorum loco primo ponitur Matth. 10. 2. Illi soli claves cœlorum traditæ. Matth. 16. 19. alijs in singulari claves cœli. confer cum Gal. 3. 16. Præterea alijs discipulis præsentibus Matth. 17. 18. pro solo Petro & se Christus eundem staterem dari jubet. Matth. 17. ult. Insuper, inventis discipulis dormientibus tanquam præcipuo dicit Petro: Matth. 26. 40. *Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum?*

Q

QUasi aliquando non similitudinem, sed veritatem significat. Joan. 1. 4. *Quasi Unigeniti à Patre.*

R

RAsura capitis Sacerdotum non est prohibita Ezech. 44. 20. & Jer. 9. 26. & Baruch. 6. Sed solùm prohibita in morte propinquorum in signum doloris Levit. 2. 22 Ezech. 44. ne similes viderentur Sacrificulis idolorum raso capite sacrificantibus. Sed hâc causâ cessante instituitur rasura Sacerdotum Act. 21. 24. præcipitur. *Sanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita.* Ezech. 5. 1. Num. 6. 9.

Redempti sunt omnes à Christo. 1. Tim. 2. 4.

Reliquiæ Sanctorum multa miracula & utilitates nobis afferunt. 2. Reg. 6. 12. Domui Obededom benedixit Deus propter arcam. 4. Reg. 2. 14. *Elias pallio divisit aquas.* & 18. 21. per ossa Elisæi mortuus excitatur. 4. Reg. 4. 36. *Pone baculum super faciem pueri.* Matth. 14. 36. Fimbria vestimenti sanat. Act. 5. 15. Umbra Petri. Quòd autem ille baculus nihil profuerit,

id non factum ex defectu baculi, sed ex defectu illum applicantis: sicut & oratio sæpè vitio nostro non exauditur licèt Christus promiserit se illam exauditurum Joan. 14. 13. imò & de Christo dicitur Marc. 6. 5. quòd propter incredulitatẽ quorundam non potuerit miracula facere.

Reliquias Sanctorum licet asservare Exod. 13. 19.

Reliquiæ Sanctorum honorari possunt & debent. 1. Reg. 21. 4. & 3. Reg. 2. 26. & 13. 24.

S

SAcerdos debet esse cælebs. Tit. 1. 5. & 8. unius uxoris, id est nō bigamus, Luc. 14. 26. & hanc unam dimittere. *Si quis venit ad me &c.* ideò Apostoli Matth, 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* Nam 2. Tim. 2. 4. *Nemo militans Deo &c.* Hinc Conc. Carthag. II. ait. *Omnibus placet, ut Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se contineant, utq; Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoq; custodiamus.*

Sacerdotes possunt administrare Politica, & malos etiam morte punire. Exod. 18. 18. *Et ait Moyses consecrâstis hodie manus vestras Domino.* Deut. 17. 18. & 2. Paral. 13. 14. *Egressus autem Pontifex Jojada &c.* Act. 5. 3. Petrus morte punit Ananiam & Saphiram.

Sacerdotum est legem Domini explicare, dubia circa doctrinam resolvere, judicare. Levit. 10. 10. Deut. 17. 18. &c.

Sacerdotum missio est duplex, vel immediatè á Deo, vel per homines. Gal 1. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem.* &c. 1. Joan. 4. 1. *Nolite credere omni spiritui* &c. Matth. 23. 13.

Sanctorum animæ statim post mortem intrant cœlum. 2. Cor. 5. 1. *Scimus* &c. Vide, Animæ Sanctorum.

Sancti mortui sciunt quid in hac vita agatur. 1. Reg. 28. 16. Samuel dixit quæ egit Saul 2. Paral. 2. 12. Elias post abitum ex hoc mundo literas ad Regem dedit. 4. Reg. 2. 11. Eccli. 46. ult. Luc. 9. 20. & seq. Erant Moyses & Elias. & 15. 7. *Majus*

gau-

gaudium in cœlis &c. igitur ſciunt de illo peccatore pœnitentiam agente. Luc. 16. 29. Ait Abraham. *Habent Moyſen & Prophetas.*

Sanctis in altera vita revelat Deus res noſtras uti fecit cùm viverent Gen. 18. 7. *Nunquid celare potero Abraham* &c. Amos 3. 7. Joan. 15. 15.

Sancti orant in particulari pro vivis Jer. 15. 1. *Si ſteterit Moyſes* &c Baruch. 3. 4. & 2. Mach. 15. 14. *Hic eſt qui multùm orat.* &c 2. Petr. 1. 15. Apoc. 5. 8. *Ceciderunt coram Agno* &c. Quia nos Sancti amant. 1. Cor. 13. 8. Tum quia ſunt unum corpus nobiſcum ſub Chriſto capite Ephes. 1. 22.

Sancti poſt mortẽ juvãt nos tũ meritis tum precibus Gen. 26. 24. *Multiplicabo* &c. 3. Reg. 11. 11. & Coloſſ. 4. 12. Vide Angeli.

Sacra à laicis adminiſtrari non poſſunt. 2. Paral. 26. 19. Epheſ. 4. 1. 11. Nam quod dicitur 1. Petr. 2. 9. & Apoc. 5. 10 non de omnibus accipiendum, ſed de aliquibus inter omnes; excipe Baptiſmum nam ferè 500. dictum qui aderant. *Euntes baptizate &c.* & 1. Cor. 15. 6. & Ephora circumcidit, quod erat tum loco Baptiſmi Exod. 4. 24.

Sancti defuncti meritò invocantur. Job. 17. 18. 19. *Deprecabuntur &c.* ſcilicet juſti ſepulti. Gen. 48. 10. confer cum Deut. 28. 10. & cum Iſai. 63. ult. &c.

Sanctos invocando non diffidimus Deo; quia ipſe Deus remittit Jobum ad Sanctos, 42. 8.

Sanctis poſſunt dari tituli ſpecioſi, ut, juvate nos, protegite nos, ſalvate. S. Virgini; Domus Dei, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, ſecundaria ſpes noſtra. Exod. 7. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Luc. 10. 35. *Ego dixi Dij eſtis.* 1. Cor. 3. 9. *Dei adjutores ſumus.* Gal. 3. 19. Moyſen vocat Mediatorem.

Sancti poſſunt vocari Mediatores ſed non tales qualis Chriſtus. Gal. 3. 19. ubi de Moyſe confer cum 7. 30.

Sancti poſſunt invocari ſine injuria Dei eodem nomine, quo Deus ipſe invocatur. Quia narrantur quædam in Scriptura quæ ad Deum ſpectant, & tamen etiam hominibus attri-

attribuuntur. Exod. *14. 31. Et crediderunt Domino & Moysi servo ejus.* *1.* Reg. 12. 19.

Sanctis honor Dei causâ exhibitus redundat in Deum. 2. Thess. 1. 20. *Cùm venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Quia Sancti sunt membra Christi Ephes. *1.* 22. & 5. 30.

Sancti in cœlo existentes possunt adorari cultu duliæ. Tali cultu sine reprehẽsione fuit adorata anima Samuelis 1. Reg. 28. 14. Et Christus promisit Sanctis quód hoc modo essent colendi Luc. 12. 32. Joan. 12. 26. *Si quis mihi ministraverit &c.* Præterea Sancti in cœlo sacro dominio gaudent. Apoc. 2. 26. *Qui vicerit &c.* & v. 28. & 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum &c.*

Scriptura non omnia Christi facta continet Joan. 20. 30.

Scriptura meminit multa necessaria dicta & facta à Christo & discipulis, quæ tamen nullibi describit. Luc. 3. 18. *Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.* & 9. 11. & *2.* Tim. 2. 2. *Quæ audîsti à me per multos testes hæc commenda fidelibus omnibus.* *1.* Thess. 3. 13. & seqq.

Scriptura est difficilis intellectu & eget interprete. Luc. 24. 27. Act. 8. 30. *Quomodo intelligere possum, si non aliquis ostenderit mihi.* 2. Petr. 3. 16. De epistolis Pauli dicit quòd aliqua difficilia contineant.

Solus non semper ab eodem dato alicui titulo excludit alios, sed solùm indicat non ita primariò illis convenire Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* confer cum Ephes. 6. *5.*

Spiritus S. est Deus. Exod. 20. 2. confer cum Isai. 63. 14. Joan. 4. 24. Act. 5. 4. *5. Non es mentitus hominibus, sed DEO.* Act. 28. 25.

Spiritus S. est persona intelligens Isai. 48. 16. Luc. 2. *12. Ille docebit vos omnia.* Joan. 14. 25. &c.

Spiritus S. distingvitur à Patre & Filio. Matth. 28. 19. *Euntes baptizate &c.* Joan. 14. 26. & seqq.

Spiritus S. & à Filio procedit. Joan. *16. 7. Mittam eum ad vos,* certè non per motum localem cùm sit ubiq; : non per

Incarnationem: non per dona, quia dicit ſe illum ipſum miſſurum: itaq; per proceſſionem, quare & addit. *non loquetur à ſemetipſo* &c. u. 15. *quia de meo accipiet*: & 17. 9. Rom. 8. 9. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus.* Gal. 4. 6. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui.* 1. Petr. 1. 10.

Spes timorem non excludit Philip. 2. 12. Job. 31. 14. quia nimirum ſub conditione vita æterna nobis promittitur.

Superiorum obſervanda ſunt decreta etſi non ſint in ſcriptura. Exod. 16. 24. *Feceruntq́ ita ut fecerat Moyſes, & non cõputruit.* 18. 15. Num. 16. 46. 47. & Deus ideò placatus fuit v. 28. & 1. Eſdræ 10. 8. *Omnis qui non venerit in tribus diebus &c.* Jer. 15. 6. 18. Act. 18. 28.

Superiores Eccleſiaſtici in veteri lege habebant poteſtatẽ judicandi & puniendi errantes in materia fidei, etſi eſſent iſti ſubjecti civili poteſtati. Deut. 17. 8. & ſeqq.

Superiores Eccleſiaſtici & locum & poteſtatem majorem habebant quàm alij. Joan. 20. 21. Act. 20. 28. *In quo vos Spiritus S. poſuit regere Epiſcopos.* 2. Cor. 10. 28.

Superiores Eccleſiaſtici etiam mali diriguntur à Spiritu S. Num. 23. 5. *Poſuit verbum &c.* Matth. 23. 1. & ſeq. *Super Cathedram Moyſis &c.* Joan. 14. 27. Matth. 7. 22. *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus?* Joan. 11. 51. *Hoc à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius.*

Superiores Eccleſiaſtici ſunt Magiſtri, Judices, approbatores doctrinæ. Eccli. 11. 12. Act. 8. 35. *Aperiens autem &c.* & 9. 17. *Surge &c.* & 10. 15. non ad Scripturam remittitur. Rom. 10. 14. *Quomodo autem audient ſine prædicante?* 1. Cor. 1. 21. & 1. Joan. 4. 1. 6.

Superiores Eccleſiaſtici poſſunt præcipere ſub peccato, quia illis non obediens Deo non obedit. Exod. 16. 2. 8. & 1. Reg. 8. 7. Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* 1. Theſ. 4. 18.

Superiorum dicta recipienda ſunt ac ſi à Deo prolata eſſent. Gen. 7. 3. confer cum Matth. 9. 4. Act. 3. 18. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* 2. Cor. 2. 17. & 13. 3. *An experimentum quæritis ejus in me qui loquitur Chriſtus?*

Superiores imperârunt quædam ſub peccato etſi in Scriptura non contineantur. *Vos autem cavete &c.* 1. Reg. 14. 27. & 1. Mach. 14. 45.

Superiores ſub excommunicatione imperârunt. 1. Eſdr. 10. 8. *Omnis qui venerit &c.* Matth. 18. 17. *Si non audierit Eccleſiam &c.* & v. 16.

Superiorum quædam juſſa vocat Scriptura neceſſaria. Act. 15. 28.

Superioribus parendum propter conſcientiam. Rom. 13. 2. *Qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit.*

Superioribus non obedientes Dei juſſu occiduntur. Deut. 17. 12. Joſ. 1. 8. *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis eis, moriatur.*

Superiores Eccleſiaſtici poſſunt ob juſtam cauſam in lege divina poſitiva diſpenſare. Deut. 24. 1. confer cum Matth. 19. 9. Joſve 5. 6. confer cum Gen. 17. 12. & cum Exod. 4. 24. & ſeq. & cum Levit. 12. 3. Lex fuit ſingulis annis ut comederetur agnus Exod. 13. 3. 14. tamen ſolo ſecundo anno egreſſionis ex Ægypto Num. 9. 1. & in campeſtribus Jericho Joſ. 5. 10. per totos 38. annos non eſt comeſtus agnus, quia non fuerunt circumciſi. Lex prohibebat offerri Sacrificium niſi coram tabernaculo & arca. Levit. 17. 5. & v. 9. Joſ 22. 29. tamen per diſpenſationem Eccleſiæ factum eſt contrarium. Jud. 6. 19. & 1. Reg. 7. 9. & ſeq. Lex fuit Num. 36. 7. ut unuſquiſq; ex ſua tribu uxorem duceret, ut docet Lyranus & Abulenſis, tamen diſpenſatum Jud. 21. 1. Nam David ex tribu Juda accepit Michol filiam Saulis, 1. Reg. 18. 27. ex tribu Beniamin. Lex erat ut ex ſola tribu Levi miniſtrarent Arcæ Num. 1. 51. tamen etiam Eleazar 1. Reg. 7. 1. filius Aminadab filij Saul fuit 1. Paral. 39. ex tribu Beniamin 1. Reg. 9. 10. Lex prohibebat alienigenam ducere uxorem Exod. 34. 16. & 3. Reg. 11. 2. & hujus legis tranſgreſſores punivit Deus Jud. 3. 5. & hoc vetabatur Samſoni Jud. 4. 3. tamen David 3. Reg. 15. 5. duxit Moocham filiam Regis Geſur. 3. Reg. 3. 3. Salmon Matth. 1. 5. Rahab Chananæam, ut eſt Joſ. 2. 1.

Esther nupsit Assuero Gentili. Lex prohibebat pugnare Sabbato: pugnârunt 1. Mach. 2.32. Christus & Apostoli præceptam lege divinâ circumcisionem sustulerunt, imò vetuerũt Act. 15. 5. Gal. 5. 2. attamen Paulus Timotheum circumcidit Act. 16. 3. & post abrogatam de hoc legem festinavit Jerosolymam ad celebrandum festum Pentecostes Act. 20. 16.

Superiores Ecclesiastici licet illa doceant quæ non sunt in Scriptura, audiendi sunt. Matth. 5. 33. *Omnis qui dimiserit &c.* Luc. 16. 18. confer cum Deut. 24. 1. Act. 1. 12. confer cum Exod. 16. 19. &c.

T

TEmpli profanatores puniti. 1. Mach. 9. 54. & Matth. 21. 12. ejiciebat vendentes.

Templi ornatus 1. Mach. 4. 57. & 3. Reg. 6. 20. 22. Luc. 21. 25.

Templo varia dona oblata sine præcepto Dei. Num. 7. 2. & 2. Reg. 8. 11. & 1. Paral. 18. 11.

Templa Hæreticorum abolebantur á Dominis fundi. Exod. 23. 23. *Non adorabis Deos alienos &c. destrues eos.* Num. 33. 52. Deut. 7. 25. & 5. Reg. 6. 8. *Diruit aras eorum. &c*

Traditiones Apostolicæ sunt servandæ etsi non sint scriptæ. Act. 15. 42. *Perambulabat &c.* 2. Thes. 3. 14. *Quodsi quis nõ obedit verbo nostro per Ecclesiam, hunc notate.* v. 6. & 2. & 1. Cor. 11. 23. Act. 15. 41. *Confirmans Ecclesias præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Act. 16. 4. *Cùm pertransirent civitates, tradebant eis custodire mandata quæ decreta erant ab Apostolis & Senioribus.*

Trinitas. Matth. 28. 19. & Gen. 1. 26. 27. *Faciamus hominem &c.* Gen. 2. 18. *Faciamus ei adjutorium &c.* confer cum v. 22. *& ædificavit &c. Faciamus*, significat plures: *ædificavit*, unum. & v. 11. 17. *Venite descendamus &c.* Ps. 66. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

V

UBiquistarum hæresi contraria est Scriptura. Matth. 26. 11. *Pauperes semper habebitis, me autem non semper.* Marci 16. 6. *Surrexit non est hîc.* Luc. 24. 51. Joan. 6. 24. & v. 15. *Quoniam*

non eram ibi. Nam Christi humanitati non sunt communicata, sed Christo in persona Verbi; alioqui humanitas esset increata, æterna, independens, atq; ita in persona Verbi non in se tradita sunt illi omnia, & ita intelligendum. Coloss. 2. 9. Matth. 11. 27. At verò Ephes. 4. 10. omnia secundùm humanitatem implevit successivè, & cùm dicitur esse ad dexteram Dei, Coloss. 3. 1. Heb. 1. 13. significatur ejus dignitas. Est nobiscum ad consummationem sæculi per gratiam & internum regimen. Matth. 18. 20.

Verbum Dei non semper tempore Apostolorum fuit scriptum. Joan. 16. 3. *Cùm autem venerit Paracletus &c.* 21. 25. Act. 1. 3. & 1. Cor. 11. 34.

Verbum Dei appellatur vivæ vocis doctrina. Act. 4. 31. & Hebr. 13. 7. Act. 1. multa Christus per 40. dies locutus Apostolis quæ non sunt scripta.

Vestitus Clericorum diversus à populi. Gen. 35. 2. & 1. Reg. 2. 8. Zach. 13. 4.

Vestitus Monachalis. 1. Reg. 19. ult. Hebr. 11. 37.

Unctionis Extremæ Sacramentum Jacob. 5. 4. *Infirmatur quis &c.*

Ungebantur olim Sacerdotes. Exod. 29. 29. & 4. 13. Levit. 8. 12. Et Prophetæ 3. Reg. 19 16.

Ungebantur olim Reges idq; jussu Dei 2 Reg. 2. 4. & 5. 3.

Vocatio extraordinaria est miraculis probanda Joan. 5. 36. *Ego autem habeo &c.* Num. 16. 18. Joan. 11. 42. & 2. Cor. 12.

Vocatio extraordinaria licèt sit à Deo, examinari tamen debet à Superioribus Ecclesiasticis. Gal. 2. 2. confer cum 1. 12.

Vocatio ordinaria fit per Superiorem, qui habet potestatem alijs imponendi manus. Jer. 14. 15. Act. 25. 24. *Placuit nobis eligere viros & mittere ad vos.* Rom. 10. 15. Heb. 4. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur á Deo.*

Vota spontè suscepta Gen. 28. 20. & 1. Reg. 1. 11. Ps. 21. 26.

Vota commendata Num. 6. 13. Ps. 79. 21. *Vovete & reddite.*

Vota in lege nova futura prædixit Isai. 19. 21.

Vota impleri debent sub peccato Levit. 27. 23. Deut. 23. 21. Ps. 49.

Pſ. 49. 14. & 1. Tim. 5. 11. *Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.*

Vota per Superiores poſſunt commutari Levit. 27. 8. *Si pauper fuerit, & æſtimationem &c.*

Vota poſſunt abrogari à Superioribus. Num. 30. 4.

Vetus teſtamentum eſt ſcriptum ad doctrinam noſtram. Rom. 15. 4. *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* 1. Cor. 9. 10. *Nam propter nos ſcripta ſunt.*

Unctiones ſacræ adhibitæ Exod. 30. 33. & 29. 6. 7.

CAPUT II.

PRAXIS ET FIDES ANTIQUÆ ECCLESIÆ.

1. CANONIZATIO Sanctorum fuit in uſu. Nam Apoſtoli ſtatuerunt feſtum S. Stephani, teſte S. Clem. lib. 8. conſtit. cap. 33. S. Cyprianus epiſt. 37. *Dies Martyrum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias SS. Martyrum celebrare poſſimus.* Aug. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſâ ſolennitate celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, & orationibus adjuvetur.*

2. *Tranſubſtantiatio* in Euchariſtia credebatur. Greg. Nyſ. orat. Cathec. 37. *Hic panis ut Apoſtolus ait, per Verbum Dei & orationem ſacrificatur. 1. Tim. 4. 5. non quia comeditur, & progrediens ut Verbi corpus evadat, ſed à Verbo in corpus transmutatur ſtatim cùm dictum eſt: Hoc eſt Corpus meum.* Ambr. de ijs qui myſterijs initiantur cap. 9. *Fortè dicis? aliud video, quomodo tu aſſeris quòd corpus Chriſti accipiam? &c. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? non enim minùs eſt novas dare rebus, quàm mutare naturas.* & cap. 5. *Antequam conſecretur, panis eſt, ubi verba Chriſti acceſſerunt, corpus eſt Chriſti.* Euſeb. Emiſſ. ſerm. de corpore Dei. *Antequam invocatione ſummi Numinis conſecretur, ſubſtantia illa panis eſt & vini, poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis Chriſti; quid mirum autem eſt ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata convertere?*

3. *Præter fidem requirebantur bona opera.* Aug. lib. de operibus cap. 14. *Excutiendum est à cordibus Religiosis ne malâ securitate suam salutem prodant, si ad eam obtinendam solam fidem sufficere putaverint.*

4. *Traditiones* non scriptæ admittebantur. S. Clemens Romanus traditiones Apostolicas collegit ab Ecclesia servandas; inter quas sunt istæ. A Presbyteris non posse ordinari Presbyteros, nec Diaconos, nec Subdiaconos, nec Lectores, nec alios Ecclesiæ ministros, sed tantùm ab Episcopis. lib. 3. constit. cap. 2. & 20. & lib 8. cap. 16. 17. Decimas & primitias omnium dandas esse Sacerdotibus lib. 2. cap. 34. & lib. 7. cap. 3. Baptizati caput oleo sacro inungendum lib. 3. c. 16. & lib. 7. c. 42. Supra baptizandum invocari Patrem, & Filium, & Spiritum S. ibidem. Baptizatum signo crucis signandum & alio Chrismate ungendum. lib. 3. cap. 17. & l. 7. c. 23. & 44. A tribus Episcopis quantùm fieri potest Episcopum ordinandum. lib. 3. cap. 20. & lib. 8. cap. 4. & 27. Posse promitti Deo virginitatem adjuncto voto de ea servāda lib. 4. cap. 13. Servandam esse ante Pascha jejunium Quadragesimæ lib. 5. c 12. Christum præcepisse Apostolis certa jejunia, nominatim quartæ & sextæ feriæ lib. 5. c. 14. & lib. 7. cap. 24. Pascha semel in anno & quidem non alio die quàm Dominico, idq; non cum Judæis celebrandum cap. 16. Semel tantùm quemvis baptizandum esse lib. 6 cap. 15. Episcopo, Presbytero, Diacono, non licere post ordinationē ducere uxorem, aut eâ, quam duxerat ante, uti. lib. 6. cap. 17. Christum pro Sacrificio cruento incruentum corporis & sangvinis instituisse ibid. cap. 23. Eucharistiam non baptizato non dandam lib. 7. cap. 37. Per sumptionem Eucharistiæ fieri ut Christi corpus in nobis habitet, & à nobis participetur. lib. 7. c. 27. lib. 8. c. 13. & 14 Animam ex nihilo creatam corpori infundi lib. 7. c. 25. Deum Patrem esse ingenitum lib. 7. c. 40. & 41. Oleum quo baptizandus inungitur debere ab Episcopo benedici lib. 7. c. 43. & invocandum in ejus benedictione Deum, ut illud sanctificet, & tribuat gra-

tiam Spiritualem, & vim efficientem, & remiſſionem peccatorum, ac præparationem ad Baptiſmum. ibid. Aquam quâ quis baptizandus eſt priùs benedicendam eſſe à Sacerdote [non neceſſariò autem ab Epiſcopo] ut accipiat ſanctificationem è cœlo, gratiam, & vim lib. 7. c. 44. Euchariſtiam ad altare eſſe offerendam in veſte non vulgari, ſed ſplẽdida, miniſtrantibus Epiſcopo Presbyteris & Diaconis, & tunc ab Epiſcopo ſignum Crucis manu formandum in frõte. lib. 8. c. 12 Euchariſtiam offerendam ad altare pro Sanctis omnibus, pro populo, alijſq; vivorum neceſſitatibus. ibid. Ad altare dum offertur Euchariſtia, & alijs temporibus, orandum pro mortuis lib. 8. c. 13. & 41. Ubi etiam longam pro mortuis Orationem á S. Jacobo factam ponit. Aquam benedicendam vel ab Epiſcopo, vel á Presbytero, eiq; per invocationem Domini & hanc benedictionem tribui vim ſanandi & morbum depellendi, dœmones fugandi, inſidias expellendi lib. 8. c. 29. Feſta, Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſcenſionis, SS. Apoſtolorum, S. Stephani, & aliorum celebranda abſtinendo à labore manuum. lib. 8. c. 33. Horis, quas vocamus Canonicas, ad galli cantum, manè, ad tertiam, ſextam, nonam, veſpere, orandum eſſe. ibid. Circa occaſum ſolis ad accenſionem lucernarum, orandum, & ſcilicet tempore quo nunc pulſantur campanæ lib. 8. c. 35 & 36. & 37. Memorias mortuorum adhibitis Pſalmis, precibus, lectionibus, poſſe fieri, tertio, nono, quadrageſimo die, & anno exacto. l. 8. c. 42. & his precibus non quoſvis, ſed tantùm piè defunctos juvari lib. 8. c. 43. In defunctorum exequiis epulum dari pauperibus, & amicis lib. 8. c. 44. Miſſa quoque præcipuas orationes, ut Kyrie leiſon, Surſum corda. Gloria in excelſis. Canonem, & ſimiles ab Apoſtolis inſtitutas recenſet. lib. 8 c. 5. 10. 11. 12. & ſeq. Idem in epiſt. ad Fratrem Domini, ait Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, ideóq; á Chriſto vocatum Petrum, fuiſſe omnibus Apoſtolis potentiorem, & promiſiſſe. poſt mortem ab obſecrando pro ſalute omnium non ceſſaturum, præ-

cepiſſe etiam ne ullus erubeſcat peccata confiteri ei qui animæ ſuæ curam gerit, ut ita ab ipſo per verbum Dei & conſilium ſalubre curetur. Quia & cogitationes malas cordi ſuo advenientes Sacerdotibus Domini manifeſtare. Inter Apoſtolos univerſo orbi præfuiſſe. Epiſt. 2. Petrum Apoſtolorum omnium Patrem vocat, & ab eo ſe accepiſſe teſtatur, ut fragmenta corporis Dominici ita cuſtodiantur, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, Altaris pallam, candelabrum, velum, ſi fuerint vetuſtate conſūpta, non attrectanda á quovis, ſed comburenda, & cineres eorum in baptiſterium inferendi, vel in decenti loco reponendi, ne pedibus conculcentur. Pallas altaris, & vela in Sanctuarij ſordidata miniſterio, in pelvi nova, quam nihil aliud tetigerit, abluenda. Epiſt. 3. ait Petrum dixiſſe. Non licere in alijs locis Miſſas & Sacrificia celebrare, niſi in deſignatis & conſecratis ab Epiſcopo. S. Dionyſius multis deſcribit traditiones in libris de Hierarch. Similiter Ignatius M. Egeſippus teſte Euſeb. lib. 4. c. 8. in libros quinq; traditiones Apoſtolicas redegit. S. Iræneus lib. 3. cap. 82. ait Hæreticos ex Scripturis urgeri, & dum eas contemnunt, ad Traditiones quæ ab Apoſtolis per ſucceſſiones Epiſcoporum in Eccleſijs cuſtodiuntur, provocari; ſed illos neq; ſcripturis, neq; traditioni conſentire. Præterea, ſemper credidit Eccleſia Patrem eſſe Ingenitum. Baptizandos Infantes, verba in Baptiſmo proferenda. Euchariſtiam non eſſe dandam non baptizatis. Paſcha die Dominico celebrandum, &c. quæ non ſunt in Scriptura.

5. *Aliqua faciebant SS. viri quæ à Scripturâ non jubebantur.* Non comedebant Judæi nervū femoris, quia hic in Jacobo ab Angelo fuit redditus ſtupens. Joſeph. lib. antiq. c. 16. Anna Samuelis caput noluit radi 1. Reg. 4. 11. Prophetæ proceſſionem fecerunt ad locum ſacrum in Gabaa cum tubis, tibijs, tympanis, cantantes divinas laudes 1. Reg. 10. 5. & 13. 3. David coram arca ſaltabat 2. Reg. 6. 16. Idem curavit cum Muſica deferri Arcam ex domo Obededom 1. Paralip. 15. 16. & 26. Idem aquam de ciſterna Bethleem libavit Domino 2.

Reg. 23.16. Arca Dei cum ſolenni proceſſione portata 3. Reg. 8.4. Idem conſtituit varios miniſtros è Levitis coram arca Domini 1. Paralip. 16. 4. Ædificato templo Salomon obtulit victimas 2. Reg. 8. 6. David conſtituit oſtiarios tabernaculi 1. Paral. 9. 29. Idem pro arca tetendit tabernaculum 1. Paral. 15. 1. Judæi ſeptem dies addiderunt celebrationi Paſchæ. Salomon erexit alium locum pro victimis in templo, 3. Reg. 8. 64. Elias erexit altare ſuper 12. lapides 3. Reg. 18. 12. Rechabitæ non guſtabant vinum Jer. 35. Plurima ſimilia in Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum.

6 *Decidebantur quædam circa fidem etſi non eſſent expreſſè in Scriptura.* Act. 15. 28. De abſtinendo à ſuffocatis. Eccleſia, Sabbatum commuttandum in diem Dominicum. S. Paulus declaravit in arca fuiſſe virgam & manna Heb. 9. 4. Eccleſia, Euchariſtiam à jejunis ſumendam. &c.

7. *Miſſa celebrabatur Latino ſermone in Eccleſia occidentali idq́ ex Apoſtolica inſtitutione.* quia non poteſt oſtendi origo iſti' alia. Regula vera eſt S. Aug. qua ſæpè utitur, & ſe defendit contra Donatiſtas maximè in lib. de Baptiſmo, & lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24. Quod univerſa tenet Eccleſia, neq; â Conc. inſtitutum, ſed ſemper retentũ eſt, non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum, rectiſſimè creditur; & S. Leo ſerm. 2. de Pentec. Univerſales omnes Eccleſiæ conſvetudines de traditione Apoſtolica prodijſſe, affirmat. Idem de Græca Eccleſia currit, nam omnes Orientales etſi diverſi lingvis inter ſe, eâdem Græcâ in Sacris utebantur. Idem de alijs quæ Chaldaicè aut Hebraicè Miſſas faciunt, ut Indi, pars Æthyopum. Certè nec ipſe Chriſtus Germanicè aut Gallicè conſecravit. Et ita Græci licet jam diverſum ab antiquo habeant idioma, Græco antiquo: Itali Latino: Æthyopes & Meſopotaniam incolentes, uti olim, Hebraico ſermone ſacra faciunt. Aliquibus tamen pauculis Gentibus ob juſtas cauſas à Romanis Pontificibus conceſſum eſt, ut lingvâ propriâ in rebus ſacris uterentur.

8. *Eſſe traditiones à Scriptura diverſas, nec in illa contentas*

 acceptas,

acceptas tamen ab Apostolis, & per successionem Personarum & doctrinæ, ac praxis in Ecclesia conservatas. Hoc docet expressé S. Clem. Rom. lib. 8. constit. Apostolic. Qui etiam epist. 1. tom. 1. Conc. dicit, ideó se á S. Petro (cujus ibi refert verba) adhuc vivo electum esse in Romano Pontificatu successorem, quia nemo tam plené didicisset, præter doctrinæ ejus rationem etiam Ecclesiasticas dispositiones ac ipse. Idem ait S. Dionys. cap. 1. de Cœl. Hierarch. & cap. 4. & 5. citat libros Traditionum. & S. Alexander I. Martyr epist. 1. S. Fabianus M. epist. 2. S. Iren. lib. 3. cap. 2. 3. 4. S. Justin. M. Apolg. 2. & q. 118. á gentibus proposita. Tertull. de Corona cap. 3. & de præscr. cap. 19. & 20. Orig. in cap. 6. ad Rom. & hom. 5. in Numeros. Cl. Alex. initio Strom. & lib. 5. S. Cypr. lib. 1. epist. 12. & Conc. de ablutione pedum. S. Basil. de Spir. S. c. 27. & 29. S. Chrysost. hom. 4. in epist. 2. ad Thess. S. Nazianz. orat. 1. in Julian. S. Ambr. serm. 23. 34. & 36. & lib. 3. de Sacram. c. 1. & 2. & lib. de his qui initiantur c. 2. & 6. S. Epiph. hær. 41. Euseb. lib. 1. de monstrat. Evang. c. 8. Innoc. I. ep. 1. Leo I. Serm. 6. de Quadrag. & serm. 8. & 9. de jejunio mensis septimi S. Aug. 20. Civit. 19. & l. 2. contra Donat. c. 7. & l. 4. c. 24. S. Damasc. l. 4. c. 13. & 17. Quin & S. Matthiam Apostolum scripsisse librum de Trad. testatur Cl. Alex. qui eum citat lib. 2. 3. & 7. Strom. Similem librum scripsit Egesipp. teste Euseb. lib 4. c. 8. Quin & S. Ignat. M. teste Euseb. lib. 3. hist. c. 30. vel 36. Idipsum patet ex ijs quæ pro particularibus Ecclesiæ ritibus afferuntur.

9. *Non omnia contineri in Scriptura quæ credit & servat Ecclesia Catholica.* S. Clem. cit. S. Sixtus I. epist. 1. S. Dion. cap. 1. Eccl. Hier. ubi ait Ousian. hoc est substantiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ esse collocatam non tantùm in divinis libris, sed etiam in non scripta ab Apostolis data traditione, quā verbum Dei appellat. Cl. Alex. l. 5. & 6. strom. S. Epiph. hær. 41. S. Basil. cit. S. Aug. lib. 2. contra Donat. c. 3. & l. 5. c. 23. & alij ferè omnes supra cit. Hoc enim ipso quod docent multa esse tradita ab Apostolis, quæ non sunt in scriptu-

ptura & tamen retinentur in Ecclesia, non omnia esse scripta quæ tenentur ab Ecclesia.

10. *Aliquæ traditiones Ecclesiasticæ, quas scilicet Ecclesia servādas omnibus proponit, sunt ejusdem prorsus authoritatis cum Verbo Dei scripto*, scilicet æquè in veneratione retinendæ, æquè credendæ tanquam à Deo profectæ, ut Dei Verbum & credendum quòd sint legitimè & salubriter institutæ; ita definitum est in Conc. Trident. sess. 4. ideòq; S. Dion. cit. non scriptas traditiones vocat. Dei Verbum à Deo traditum. S. Cl. lib. 1. constit. c. 1. doctrinam Apostolorum, & tales, inquit Iren. lib. 3. c. 4. oporteret sequi etiamsi Apostoli nobis scripturas non reliquissent. Tertull. de Coron. c. 3. Fidem (quæ tamen verbo Dei innititur) Traditionum non scriptarum in Ecclesia Dei esse observatricem. Cypr. de abluen. pedib. S. Basil. de Spir. S. cap. 27. eandem vim habere ad pietatem quam habet scripta Apostolorum doctrina. S. Chrysost. hom. 4. in epist. 2 Thess. tam fide dignas esse quám quæ Apostoli per epistolam tradiderunt. S. Hieron. dialog. adu. Lucifer. eas in Ecclesia habere authoritatem legis scriptæ. S. Aug. epist. 86. Eas pro lege tenendas esse & lib. 1. contra Cresconi cap. 33. cùm eæ retinentur, S. Scripturæ retineri veritatem.

11. *Semper mos fuit Veterum Hæreticorum repudiare ea quæ ex traditione non scripta in Ecclesia habebantur, nec ita expressè in Scriptura.* Hoc S. Iren. lib. 3. cap. 2. & Tertull. de præscr. testatur de Valentino & Marcione. De Arianis verò S. Epiph. hær. 69. & S. Hilar. epist. ad Constantium Aug. Theodoret. l. 1. hist. c. 8. & S. Aug. l. 1. contra Maximin. De Aërianis idem scribit S. Epiph. hær. 75. De Eunomio S. Basil. lib. de Spir. S. c. 10. quod etiam colligitur ex cap. 27. & 29. Idem de Iconomachis, de Nestorio, Eutiche, Dioscoro testatur Basil. Episc. Ancyranus in confessione quam obtulit in septima Synodo act. 1. anathematiz. 7. de hæreticis Apostolicis. Idem S. Bernard. sermon. 62. in Cantic. & colligitur ex Epiphanio.

12. *Pro Hæreticis habiti sunt ab Ecclesia Veteri qui rejiciebãt dogmata & ritus ex sola traditione non scripta acceptos.* uti Helvidius qui negabat D. Matrem semper Virginem fuisse; & Quartadecimani qui Pascha non die Dominico, more Ecclesiæ, diverso á Judæis celebrandum volebant, & illi qui quadragesimæ jejunia contempserunt apud Aug. de Heres. cap. 53. & in Concil. Gangrensi in epist. ad Episcopos Armeniæ. Item tenentes Baptismum posse iterari. S. Epiph. hær. 42. & Concil. Viennen. ut habetur in cap. Unico § ult. de Summa Trinit. l. 6. & in Florent. in decret. Eugenij & Trident. sess. 7. cap. 11. de Baptismo, & in 7. Synodo Generali act. 7. feriuntur anathemate, qui Traditiones Ecclesiæ sive scripto, sive consvetudine receptas, non curaverint, quod repetitur VIII. Syn. Generali act. 8. & post act. ult. can. 1.

13. *Moderni Hæretici eodem planè modo impugnant Traditiones non scriptas, quo impugnabant Veteres.* Nam dicunt nos verbo Dei admiscere legalia & ritus Judaicos; hoc ipsum dicebant de Apostolis teste S. Iren. lib. 3. c. 2. Valentinus & Marcion cùm traditionibus Apostolorum non scriptis urgerentur. & Aëriani jejunia Ecclesiæ, onera Judæorum libertati Evangelicæ contraria appellabant. Præterea dicunt nos observare dies, & menses, & tempora, quod Apostolus repræhendit in Gallatis cap. 4. & esse non contrarios eidem Apostolo ad Col. 2. dicenti. Nemo vos judicet in cibo, & potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ. Hoc ipsum Hæretici veteres objiciebant Ecclesiæ Catholicæ ut apparet ex Tertull. adv. Psychicos cap. 4. S. Nazianz. Orat. in Pētec. S. Hieron. in cap. 4. ad Gal. Dicunt etiam nos adversari illi dicto Domini, sine causa colunt me docentes mandata & præcepta hominum; quod etiam Arriani objiciebant Catholicis ad Traditiones recurrentibus, teste S. Aug. lib. 1. contra Maximinum.

14. *Romanam Ecclesiam esse Matrem principalem ab errore immunem & caput omnium Ecclesiarum.* Ita tenuit Concil. II. Generale epist. ad Damasum apud Theodoret. l. 5. c. 9. & idipsũ jam supra probavimus.

15. *Petrum fuisse Principem Apostolorum & caput totius Ecclesiæ Christi, & Petram supra quam Christus ædificavit Ecclesiam.* docuit S. Clem. epist. 1. S. Anacl. epist. 1. & ferè omnes alij SS. Pontifices Rom. Martyres in epist. 1. Decretal. ac Concilia, & nemo sentit contrarium. Tertull. de præscript. cap. 22. Orig. lib. 3. in Matth. Hippolit. M. lib. de Consen. S. Athan. in epist. ad Felicem. S. Cypr. lib. 1. epist. 3. & lib. 4. epist. 9. S. Hilar. in cap. 16. Matth. S. Basil. in lib. de Pœnitentia. S. Nazianz. orat. de moderat. habenda in disput. S. Chrysost. hom. 27. ex varijs locis in Matth. & hom. 4. in cap. 6. Isai. S. Epiph. in Ancorato. S. Ambr. in hymno quem citat S. Aug. lib. 1. Retract. cap. 21. & serm. 47. in 4. Luc. S. Hieron. in 16. Matth. & lib. 1. contra Jovin. & lib. 1. contra Pelagian. & epist. ad Marcellam. & in cap. 2. & 16. Isai. S. Paulin. epist. ad Severum. S. Aug. in Ps. 69. & tract. 11. in Joan. & serm. 124. de temp. & serm. 29. de Sanctis. S. Maxim. Tauron. hom. 1. in natali Petri & Pauli Optat. Milevit. lib. 2. contra Parmenion. S. Cyrill. Jeros. catheh. 2. S. Cyrill. Alex. in Joan. l. 2. c. 12. Theodoret. & Psellus in 4. Cant. Theophilact. in 22. Luc. Eutym. in 16. Matth. & ult Joan. S. Greg. lib. 4. epist. 3. & l. 6. epist. 37. & in Concil. Calced. Gen. quod fuit unum è quatuor celeberrimis congregatum anno 454. Sexcenti & triginta Patres act. 3. appellabant Petrum Petram, & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ. B. Pacianus epist. ad Semproniam. S. Bern. epist. 237. & lib. 2. de Consid. Quibus adde S. Dionys. Areopagitam Pauli discipulũ, qui libro de div. Nomin. cap. 3. Petrum appellat Supremũ decus, & antiquissimum columen Apostolorum.

16. *Romanum Pontificem in hoc Ecclesiæ primatu esse Petri successorem, & caput Supremum in terris totius Ecclesiæ Catholicæ.* Hoc expressè asseruerunt ferè omnes SS. Pontifices MM. alijque qui primis trecentis annis, & postea, gubernârunt. S. Clemens epist. 1. S. Anacl. epist. 2. S. Evarist. epist. 1. S. Alex. epist. 1. S. Pius epist. 1. S. Anicet. ad Galliæ Episc. S. Victor ad Theophilum Episc. S. Stephanus ad Episcopos Siciliæ.

S. Calixtus ad Bened. S. Lucius ad Episc. Hisp. & Gall. S. Bernard. lib. 2. de Consid. &c.

17. *Ecclesia Orientalis agnovit Romanum Pontificem esse super omnes Ecclesias & Caput totius Ecclesiæ.* Patet id ex allatis proximè.

18. *Romanus Pontificatus non humanâ sed divinâ institutione habet ut sit Caput totius Ecclesiæ.* S. Anacletus quartus à S. Petro Papa, in epist. 3. in qua ait se à S. Petro ordinatum Præsbyterum. Hæc, inquit, Sacrosancta Romana Ecclesia, non ab Apostolis sed ab ipso Salvatore Domino primam obtinuit & eminentiam potestatis, super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est. Idem dicit S. Alex. epist. 1. S. Pius I. ep. 1. Julius in epist. contra Orient. pro S. Athan. S. Leo epist. 84. ad Anast. Episc. Thessal. Gelas. ad Anast. Aug. & in Decr. cum LXX. Epp. habito, ubi sic dicitur: S. Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis cœteris Ecclesijs prælata est, sed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit. Anast. II. ep. ad Anast. Imper. Pelagius II. epist. 1. ad Epp. Orientis. S. Athan. & Synodus Alexandrina in epist. ad Felicem Papã. & Conc. Chalced. Quando ergo idem Conc. in absentia Legatorum Summi Pontificis act. 15. vel Can. 28. ait Romanam Ecclesiam á Patribus habuisse primatum propter principalitatem Urbis Romæ in totum orbem, falsum, & invalidum decretum edidit; tum quia absentibus Legatis Rom. Pontificis Leonis est factum ab illis, & postea non receptum â Leone qui reliqua decreta confirmavit, illud unicum damnavit epist. 55. 59. & alijs. Tum quia ille ipse Canon Concil. Nicæni quo freti PP. Chalcedonenses illud dixerunt, apertè illis contrarius est, nam sextus Canon Conc. Nicæni ut in eodem Concil. Chalcedonensi act. 16. refertur, talis est. Ecclesia Romana semper habuit primatum &c. Nec revocãdus est in dubium hujus Can. textus, quia ita citatur á Legatis Summi Pontif. quasi suspectus, nam certum est authẽticum textum Conc. Nicæni fuisse in Archivio Romano nõ

autem.

autem in Græcia, ubi quia corruptum erat Conc.Nicænum ab Arianis adhuc tempore S. Athanaſij, qui illi concilio interfuit, motus eſt S. Athan. ad petendum per epiſt. à Romano Pontif. incorruptum Conc. Nicæni exemplar. Deinde cum annis circiter 60. ante Nicænam Synodum Dionyſ. Alex. Patriarcha accuſatus ſit apud Rom. Pontificem, & nec Romanus Pontifex Judicem ſe eſſe negârit, Alexandrinus etſi Græcus judicium illud recuſârit teſte Athan. in libro de ſententia Dionyſij Alex. evidens judicium eſt, non datum eſſe Romanæ Eccleſiæ primatum á Conc. Nicæno, ſed illud antea habuiſſe.

Hinc patet falli 1. Calvinum cum ſuis lib. 4. inſtit. cap. 7. ſ. 17. dicentem, Phocam Imper. conceſſiſſe Bonifacio III. primatum in omnes Eccleſias, ſeu ut Papa univerſalis Patriarcha vocaretur, nam Juſtinianus Imp. qui annis 70. præceſſit Phocam, epiſt. ad Joannem II. quæ habetur in Codice tit. 1. lib. 4. & 5. Joannem Papam vocat caput omnium Sanctarum Eccleſiarum, & adhuc illo antiquiùs 11. Conc. Generale Calcedon. annis 70. Papam Leonem in epiſt. act. 1. vocat Caput omnium Epiſcoporum, & in alia epiſt. ad Theodoſium Aug. quæ habetur in 2. tom. Conciliorum: appellat Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum. Et Valentinian. Imp. qui Phocam præceſſit annis 140. in epiſt. ad Theodoſ. ſcribit; Romanæ Civitatis Epiſcopum primatum Sacerdotij ſuper omnes habere. Et his omnibus antiquiores ut S. Iren. qui Policarpum Apoſtolorum auditorem noverat: S. Athan. & alij ſupra cit. agnoſcunt Primatum Romanæ Eccleſiæ, & Pontificis. Quando ergo Phocas decreto ſuo ſanxit, Romanum Pontificem eſſe primum omnium Sacerdotum, non eſt hic ſenſus decreti, quaſi illum ei conceſſerit quem antea non habebat, ſed ut id quod habuit antea retineretur firmiùs, & à malevolis non negaretur nec uſurparetur, ſicut uſurpari cœperat á Joan. Conſtantinop. Patriarcha tempore Greg. Mag. Sæpè enim contingit ut Imperatoria authoritas magis timorem incutiat, in officio contine-
at

at quám Pontificia. Sic Act. 15. ſanxerunt Apoſtoli converſis ex Gentibus abſtinendum eſſe á fornicatione, nec tamen inde ullus inferet tunc primùm hoc decretum factum eſſe, quia & in lege naturali, & in Decalogo extabat. Sic & Apoſtolus doctrinam ſuam á ſe traditam ſæpè ait illis ad quas ſcribebat Eccleſijs, quæ tamen ante illum jam tradita erat á Chriſto, & quoad aliqua etiam in veteri lege.

Errat 2. idem Calvin. docens, ante hoc tempus in Romana Eccleſia non fuiſſe uſurpatos iſtos honorificos titulos, & ante Conc. Nicænum nihil eſſe antiquius quod valeat ad ſtabiliendum hunc Primatum. Nam Leo Papa qui multùm præceſſit tempora Phocæ & Greg. Magni, cujus epiſtolas Calvinus ejus eſſe fatetur ſup. cit. ſcribens ad Imperatorem, & ad Imperatricem, & ad Græcos Epiſcopos ſe vocat Epiſcopum Univerſalis & Catholicæ Eccleſiæ. epiſt. 14. 15. 57. 68. 69. 97. Idem fecerunt ferè omnes alij Pontifices poſt Petrum ut apparet ex eorum epiſtolis tom 1. Conc. imò ipſum Conc. Nicænũ, uti ſupra dictũ eſt, fatetur Eccleſiã Romanã ſemper habuiſſe primatum. & S. Aug. epiſt. 162. in Romana Eccleſia ait ſemper viguiſſe Apoſtolicæ cathedræ principatũ.

Patet hinc 3. Canonem tertium Synodi ſextæ in quo Cõſtantinop. Epiſcopus æquatur Romano nullius valoris eſſe. Tum quia eſt contra divinam inſtitutionem, quæ Romanum Pontificem omnibus prætulit. Tum quia omnes illi Canones qui dicuntur ſextæ Synodi, ſunt invalidi; illegitima enim erat illa Synodus, & falſò appellata ſexta. Tum quia Canones non in hac Synodo, ſed annis poſt aliquot facti furtivè poſt ſextam Synodum, quæ nullos edidit Canones, ut patet ex ſeptima Synodo act. 4. & 5. ac proinde meritò eos Canones Beda lib. de ſex ætatibus, in Juſtiniano appellat erraticam Synodum, & dicit reprobatos fuiſſe á Sergio Papa qui tunc ſedebat, quod etiam ſcribit Paulus Diac. lib. 8. de rebus Rom. cap. 9.

Hinc patet etiam Canonem ſextum primi Nicæni Conc. ut habeat Epiſcopus Alexand. poteſtatem Ægypti, Lybiæ,

&

& Pentapolis, quoniam & Epiſcopo Romano parilis mos eſt &c. Non hunc ſenſum habere, quaſi Epiſcopus Romanus non habeat omnes Provincias ſibi ſubjectas, ſed aliquas tantùm in occidente, quemadmodum Alexandrinus in Oriente; verùm hunc eſſe ſenſum, ideò Alexandrinum illas tres Provincias tanquam ſibi ſubjectas debere gubernare, quia parilis eſt mos Epiſcopo Romano ſubjiciendi illas Alexandrino, & poteſtatem ei ſuper illas concedendi. Sic exponit hunc Canonem Nicol. I. Papa in epiſt. ad Michaëlem.

19. *Fuit ſemper in Eccleſia præter Epiſcopos & Presbyteros diverſitas alia inter Clericos, ſcilicet erãt Diaconi, Subdiaconi, Acoliti, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarij.* Expreſſè id teſtatur S. Clem. l. 8. Conſtit. Apoſt. in quo ferè omnium officia deſcribit. & S. Ignat. M. epiſt. ad Antiochen. Conc. Rom. ſub Sylv. cap. 3. Cornel. Papa in epiſt. ad Flavian. Antiochen. ut eſt apud Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 33. S. Hieron. in cap. 2. ad Tit. & epiſt. ad Nepotianum. Concil. Cartag. IV. cui S. Auguſtin' interfuit. à cap. 2. ad 10. ubi etiam ritus ordinandi ſimiles modernis explicantur. Errat ergo Calv. qui lib. 4. inſtit. c. 19. § 27. minores Ordines antiquis fuiſſe incognitos ait.

20. *Epiſcopum á Presbytero diverſum fuiſſe non tantùm nomine & loco ſeu ordine, ſed poteſtate & juriſdictione, dignitate, & ſuperioritate in Presbyteros.* Hinc enim S. Clem. l. 2. conſtit. c. 30. Epiſcopum ait tenere locum DEI, Presbyterum locum Chriſti, vel ut habet l. 2. c. 32. Epiſcopum eſſe loco Chriſti, Presbyteros autem loco Apoſtolorum. vel ut alij PP. Epiſcopos loco Apoſtolorum, Presbyteros autem loco LXX. Diſcipulorum. S. Ignat. M. epiſt. 5. ad Trallianos, Sacerdotes vocat Conſiliarios & Aſſeſſores Epiſcopi. Hujus quoq; excellentiæ hæc ſunt argumenta. 1. Quia ſolis Epiſcopis ſacrum Chriſma conficere licebat teſte Dion. cap. 4. & 5. Eccleſ. Hierar. Conc. Cartag. II. cap. 3 & Cartag. III. c. 36. 2. Quia ordinare Presbyteros ſolius eſt Epiſcopi. S. Epiph. hær. 57. S. Damaſus epiſt. 3. Conc. Antioch. can. 10. Ancyr. can. 12. S. Chryſoſt. Theodoret. Theophilact. Oecum. in 3. & 4.

cap. 1. 1. Tim. S. Hier. epist. 85. ad Evag. ubi hoc ait. Episcopum respectu Presbyteri esse quod est Imperator respectu exercitûs, & ordinare alios solúm eum posse, atq; ita differre ab eo Presbyteros, sicut differebant ab Aarone cæteri Sacerdotes; quod etiam repetit epist. 2. ad Nepotian. Quanquam ergo S. Hieron. in cap. 1. ad Tit. ait. Idem Presbyter quod Episcopus, & antiquo diaboli instinctu studia in religione fierent, si diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. Communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernantur &c. Id non dicit quasi par eorum esset potestas; sic enim sibi manifestè contradiceret, sed quód consvetudine potiús, quám dispositione Dominicâ factum est, ut Presbyteri qui olim ad consilia de gubernandis Ecclesijs unà cum Episcopis congregabantur, ut patet Act. 15. 4. & 23. & cap. 16. 4. postea solis Episcopis cura hæc communi consilio gubernandi Ecclesias in Concilijs relicta sit, & hoc manifestè non aliud ipsa Hieron. verba indicant. Non enim dicit fuisse communem Presbyterorum cum Episcopis potestatem, sed consilium commune; dicit autem, idem esse Presbyterum & Episcopum, propter tria. 1. Quoad munia Sacerdotum propria, scilicet consecrandi Eucharistiam & similia, eandem habent potestatem Episcopi & Presbyteri. 2. Quia initiò Ecclesiæ nomen Presbyteri & Episcopi erat utrisq; commune, ut patet 1. Petr. 5. ubi Petrus Episcopus se Presbyterum vocat, & Act. 20. Paulus alloquens Presbiteros Ecclesiæ Ephesinæ, eos vocat Episcopos. 3. Quia olim ad Consilia de regimine Ecclesiæ advocabantur unà cum Episcopis Presbyteri, qui tamen etiam eo tempore erãt ab Episcopis diversi, ut patet ex loc. cit. Act. 15. & 16. Præterea manus baptizatis imponere, scilicet confirmare, solis licebat Episcopis. S. Leo epist. ad Epp. Germ. & Gall. & S. Damas. epist. 3. de Chorepiscopis. S. Hieron. contra Luciferianos. Insuper sine concessione Episcopi non licebat baptizare Presbytero. Tertull. lib. de Baptismo. S. Cl. can. 40. Apost. S. Hieron. contra Lucif. Meritò itaq; S. Ignat. epist. ad

ad Tarsen. & Smyrnen. inculcat ut Presbyteri sint subditi Episcopis ut Christi Apostolis. & epist. ad Trallian. Quid aliud est, inquit, Episcopus quàm is qui omni principatu & potestate superior est. & epist. ad Philadelph. Boni sunt, ait, Sacerdotes, melior autem est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei.

21. *Pro Hæretico habitus est in Ecclesia veteri Aërius* teste S. Epiph. hær. 75. & S. Aug. lib. de hæresibus cap. 53. *qui dixit Episcopum non differre à Presbytero*, & hunc omnia posse quæ ille.

22. *Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, in primitiva Ecclesia perpetuò cælibes vivebant.* Scilicet, vel carebant uxoribus, vel si eas ante susceptos Sacros Ordines duxerant, ab ijs postea abstinebant, nec alias ducebant. Hoc apparet ex S. Clem. can. Apost. 27. Conc. Nicæno I. can 3. Concil. Cartag. V can. 5. Conc. Africano c. 37. Concil. Neocæsar. habito anno 312. c. 1. Conc. Aurelian. III. c. 2. Conc. Elibertin. c. 33. Tolet. II. c. 1. Tolet. IV. c. 26. Tolet. VIII. c. 6. Calixto I. apud Gratian. dist. 27. c. Presbyteris. Syricio [quem falsò adversarij primum hanc legem tulisse ajunt] epist. ad Himeric. c. 7. Innoc. I. epist. ad Victrinum. c. 4. & epist. ad Exuper. c. 1. Leone I. ep. 82. ad Anast. Epis c. 4. S. Greg. Mag. l. 1. epist. 42. Origene hom. 23. in Num. Euseb. l. 1. demonstrat. c 9. Epiph. hær. 59. Chrysost. hom. 2. de patientia Job. Basil. epist. 17. in addit. ad Petagonum Presb. Nisseno. l. de Virginit. c. ult. Cyrillo cathech. 12. Oecum. in c. 3. primæ ad Timoth. Ambr. lib. 1. de off. c. ult. & epist. 82. Hieron. lib. contra Vigilant. initio, & in fine Apolog. pro libris contra Jovinian. S. Aug. lib. de adulterinis conjug. c. 20. Aratore qui ante 1000. annos floruit in Act. Apost. c. 30.

Ex dictis patet 1. Errare Calv. l. 4. Instit. c. 12. § 21. dicentem, Omnes Veteres Patres approbâsse conjugium in ordine Episcopali; nam nullus Patrum hoc approbavit, sed cōtrarium asseruerunt. Quin imò Jovinianus Hæreticus qui cælibatum impugnabat acerrimè; Episcopos tamen esse de-

 bere

bere cælibes fatebatur, teste S. Hieron. lib. 1. contr. Jovinian. quin imò quamvis falsa VI. Synodus, quæ aliás Trullana appellatur, concedat Clericis usum Matrimonij cum uxoribus ante ordinationem acceptis, post illam tamen uxores vetat Conc. 3. quin imò usum earum quas habuerunt ante promotionem ad Episcopatum prohibet Episcopis, & eas Monasterio includi jubet. Quòd veró eadem Synodus ait, decr. 13. licere ex Apostolica doctrina Presbyteris cohabitare uxoribus, errat: nam contrarium patet ex allatis. Quare etiam Conc. Cartag. II. quod 300. annis præcessit Trullanam Synodum c. 2. ait, cælibatum supradictorum docuisse Apostolos, & ipsam servásse antiquitatem. Porró Canon VI. Apostolicus qui citatur in Trullana Synodo, non vetat Episcopos, Presbyteros, Diaconos absolutè propriam abjicere uxorem, sed ita abjicere ut illi sumptus necessarij desint, ita enim Trullana Synodus can. 48. explicat hoc de Episcopis jubens ut uxores eorum in monasterio sumptibus eorundem alerentur. Accedit, quia nullius hominis laudati, á temporibus Apostolorum extat exemplum, qui in sacris Ordinib⁹ non continenter vixerit. Quæ enim Adversarij proferunt exempla, vel intelligi debent de minoribus Clericis infra Subdiaconatum, quibus etiam modó licet Matrimonio uti, vel de uxoribus quas ante Ordines susceptos duxerant, vel sunt aperta mendacia, ut quæ ex Innoc. I. epist. 22. afferunt, quasi Presbyteri Macedoniæ duxerint uxores, vel certè sunt exempla eorum, qui ob hoc reprehenduntur.

Patet 2. etiam in Ecclesia Græcorum ante ann. 700. non licuisse ijsdem Matrimonio uti. id testantur PP. Græci cit. & S. Hieron. Unde Conc. I. Nicæn. can. 3. vetat ne cum illis cohabitet vlla mulier suspecta, præter Matrem, Sororem, Aviam, nec uxoris meminit, A fortiori ergo non erat licitum Matrimonium, si cohabitatio fuit prohibita. Quare quæ scribit Socrates, & ex illa Sozomenus, & Suidas, & author tripart. hist. ob intercessionē Paphnutij Conc. Nicænum Clericis Uxorum usum concessisse, falsum est. 1. Quia sibi contra-

diceret, cúm cohabitationem cum mulieribus vetet. 2. Quia Euseb. qui Conc. Nicæno interfuit cit. loc. cælibatum in Oriente & Occidente necessariò observandum à Clero scribit, quod non scriberet, si Conc. Nicænum contrarium concessisset. 3. Quia antiquiores hist. ut idem Euseb. & Ruffin. quamvis multa de Paphnutio scribant, hujus rei non meminerunt. 4. Ipse Luter. lib. de Concil. p. 1. Cælibatum à Concilio Nicæno statutum fatetur. 5. Quia si Socrates, qui erat Novatianus hæreticus, falsa scripsit de consvetudine Ecclesiæ sui temporis lib. 5. hist. c. 21. quasi licuerit suo tempore cuiqúe celebrare Pascha, quando vellet, nec de hoc quidquam certi Ecclesiam statuisse, cùm tamen Nicæna Synodus certam diem Paschati celebrando statuerit, & si dicit in Romana Ecclesia jejunium non servari ante Pascha, nisi tres hebdomadas, cúm certum sit eam solitam fuisse jejunare diebus 40., ut patebit ex multis testimonijs quæ inferiùs ponemus, mirum non est, lapsum esse in re antiqua Socratem, & alios qui hoc ipsum ab illo acceperunt, & inter illos Sozomenum Novatianum, cujus historiam ab Ecclesia rejectam scribit S. Greg. lib. 6. epist. 31.

23. *Non post 300. annos à Christo, uti volunt Dissidentes, sed à temporibus Apostolorum fuisse homines utriusq; sexûs, vitam monasticam, quoad essentialia modernis hominibus similem profitentes.* Hoc testatur Philo Judæus, qui ut author est Euseb. lib. 2. c. 16. Romæ S. Petrum vidit, & usus ejus colloquijs: is ergo lib. de vita contempl. fusè describit vitam Monachorum, & Sacrarum Virginum suo tempore inchoatam, ubi expressè ait eos in professione paupertatis & continentiæ, in jejunijs, & contemplationibus separatim ab alijs, &c. vixisse. Hoc autem eum scribere non de Judæorum secta, sed de Christianis apertè testatur S. Epiph. hær. 29. S. Hieron. in Viris illustribus de Philone. Niceph. lib. 2. hist. c. 15. Post Philonem hoc ipsum scribunt S. Clem. Rom. teste Epiph. hær. 30. & Hieron. lib. 1. adu. Jovinian. Idem testatur S. Dion. Areopagita epist. ad Demophil. Monachum. & cap. 6. Eccl. Hierar.

 prolixè

prolixè explicat formam vitæ Monasticæ. S. Ignat. epist. ad Philipp. meminit Collegij Virginum, & Viduarum, easque ad Antiochen. Deo se consecrasse, ait. & epist. ad Heronem vocat pretiosa Dei monilia, & epist. ad Tarsen. veluti Sacerdotes Christi habendas. S. Justinus M. ad Antonium Pium. Quibus addi potest ex Abdia Babilonio in hist. Apost. qui scribit S. Joan. Evang. spontaneam paupertatem inculcásse, & S. Matthæum prædicásse B. Mariam servandæ Virginitatis votum primam Deo vovisse, & eundem ampliùs 200. Virgines consecrâsse in cælibatu, sacrumq; eis velamen imposuisse, & affirmásse nefas esse nubere Deo sacram, quod & ipsi Centuriatores scripserunt.

24. *Ædes sacras, quas nunc templa vocamus in memoriam Sanctorum erigi solitas, & nominibus eorum insigniri vetustissimus est mos.* S. Marcum (qui ante S. Petrum obijt) Alexandrinam fundâsse Ecclesiam, eamq; Petri nomine dedicasse scribit S. Anacl. epist. 3. & S. Gelasius I. in Conc. Romano, & Petr. Damiani serm. de S. Marco S. Joannis Evang. Ecclesiam sub ejus nomine ædificatam adhuc eo vivente scribit l. 5. hist. Apost. Abdias Babil. Idem & in vita S. Joannis sub nomine B. V. MARIÆ scribit extructam fuisse Basilicam vivente adhuc S. Joanne. S. Anacletum quoq; qui à S Petro fuit Presbyter ordinatus, & postea tertius Rom. Pontifex Vaticanā Basilicam sub ipsa B. Petri morte in ejus honorem ædificâsse author est Damasus, ut omittam Lyranum in Ps. 18. & in cap. 24. Matth. scribentem à S. Sabiniano S. Petri discipulo quatuor ædificatas Ecclesias in Gallia in honorem B. Virginis, S. Stephani Protomart. S. Joan. Bapt. & Apostolorum. Idem testantur factum alijs Sanctis, Patres qui primis DC. annis floruerunt. S. Ambr. l. 1. epist. 5. S. Hieron. contra Vigil. S. Athanas. in epist. ad Solitarios. &c. Idem confirmant omnes Veteres Historici.

25. *Imagines Christi, B. Virginis, Angelorum, aliorumq; Sanctorum olim pingi solitas & in templis collocari consvetudo est ex Apostolica traditione.* Habita enim est Synodus ab Apostolis Antiochiæ

tiochiæ, in qua teste Pamphilo mart. Canones quidam editi fuerunt, quos ait se reperisse in biblioth. Origenis. Inter hos Canon VII. erat talis, ex græco apud Turnanum lib. 1. pro epist. Pontif. c. 25. latinè sic redditus. Ne decipiantur Salvati ob idola, sed pingant ex opposito Divinam, humanamque manufactam impermixtam effigiem DEI veri ac Salvatoris nostri JESU Christi, ipsiusq; Servorum, contra idola ac Judæos, neq; errent in Idolis, neq; similes fiant Judæis. &c. citatus idem Canon in Conc. G. Nicæno II. act. 1. à Greg. Pesinuntis Episc. & S. Basilij authoritate confirmatur. Habuisse autem Antiochiæ Synodum SS. Apostolos, præter dicta scribit S. Innocent. I. epist. 18. ad Alex. Episc. Idem mos imaginum colligitur ex Dion. Areopag. lib. de cæl. Hierar. ubi agit de picturis Angelorum. Tertul. lib. de pudicitia. S. Chrysost. in Liturgia. Vt omittam VII Synodum Gen. quæ usum & cultum imaginum, ult. act. ait esse fidem Apostolorum & PP. Orthodoxorum: & Synodum VIII. quæ Can. 3. renovat decreta Synodi VII. & Conc. Romanum fere mille Episcoporum sub Greg. III. in quo damnata est hæresis Iconomachorum.

Errat ergo Calvinus, qui lib. instit. c. 11. §. 13. negat fuisse in templis Christianorum communiter Imagines primis annis 500. nam id citati PP. refellunt.

26. *Imagines Sanctorũ primus Ecclesiæ annis religioso cultu honorabantur.* testatur hoc Basil. epist. advers. Julianum citatâ in VII. Synodo act. 2. Lactant. Chrysost. Athan. quæst. 16. ad Antioch.

27. *Hæreticorum, Judæorũ, & Gentilium mos erat, veteres Christianos carpere propter honorem, qui Sanctis, & eorum imaginibus exhibetur.* Ideò enim teste Tertull. in Apolog. cap. 16. Christianos appellabant Religiosos Crucis; & ut est apud Minut. Felicem in Octavio: Crucis adoratores. Idem scribit de Juliano Apostata S. Cyrill. Alex. l. 6. in Joan. De Paulinianis S. Damasc. l. 4. c. 17. De Judæis Euseb. l. 4. hist. c. 27. De alijs hæreticis Hieron. contra Vigilant.

28. *Vetus Ecclesia SS. invocabat auxilium, tanquam eorum qui scirent preces nostras & pro nobis orarent.* S. Dion. c. 7. Eccl. hierar. S. Athanas. serm. de S. Deipara. Theod. l. 8. ad Græcos. S. Ambr. lib. de Viduis. Hieron. lib. contra Vigilantium. & in epistol. ad Paulam & Eustochium. S. Cyrillus Cathech. 5. Concil. Calcedon. act. 11. & VI. Generale c. 7.

29. Partes eædem Missæ quæ modò, fuerunt antiquitùs. Verborum: *Sursùm corda.* R. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus D. DEO nostro.* R. *Dignum & justum est.* meminit August lib. 2. de bono perseverãtiæ c. 13 & l. de viduitate. Cypr. in expositione Orat. Dominicæ. Basil. & Chrysost. in suis Liturg. eadem fere græcè habent.

Pater noster in Missa recitari ait Hieronymus advers. Pelagianos lib. 3.

Qui pridie quàm pateretur &c. meminit Ambros. l. 4. cap. 5. de Sacram. Canonis particulæ citantur ab Irenæo. Clem. Tertull. & Græcorum Canon.

Credo Isidor. in suo Missali.

Hymnos aliquot composuit S. Marcus, quibus modo utimur, ut est apud Euseb. l. 1. hist. cap. 18 plures addit S. Amb.

Hymnos & Psalmos cantatos fuisse in Ecclesia scribit S. Aug. lib. 2. retract. cap. 11. & Confess. 10. cap. 33. & retract. in Joan. 12. & Conc. Tolet. 4.

Kyrie eleyson repetiti ut modò, meminit Innoc. III. de officio Missæ cap. 19. Basil. Chrysost. in Liturg.

Introitus Missæ fuit in usu tempore Dionys. hierarch cap. 3. qui ferè ex Psalmis desumitur.

Alleluja cantabatur Aug. in Ps. 106. & tr. 8. in epist. Joan. & Hieron. ad Fabiolam.

Pax vobis Cyrill. in Joan. lib. 12. cap. 54. & Chrysost. in Matth. hom. 33. & in 2. Cor. hom. 18. & ad Col. hom. 3.

Epistola legebatur. Dion. hier. cap. 3. Justin. Apol. 2.

Non per solam Scripturam sed & per verbum traditum antiqua Ecclesia refutabat hæreticos. Quia Nicænum Concil. ut scribit Athan. & Euseb. Cesar. apud Theodoret. l. 1. c. 8. in

fine

fine & cap. 12. *Ex non ſcriptis vocibus, piè tamen excogitatis Arianos damnant, petentes teſtimonia à veteribus Epiſcopis & Scriptoribus, qui hoc verbo* homouſion *uſi ſunt annis 130.* ante Conc. Nic. & l. 2. Concil. pag. 521. col. 1. per traditionem in eodem Concil. reijcitur Arianus probans Filium DEI eſſe Creaturam. Similiter ad traditionem recurritur lib. 2. pag. 523. col. 2. Conc. III. Epheſinum tom. 2. hujus Concil. c. 7. & 26. traditioni non conſentaneam Neſtorij doctrinam damnat. Et c. 28. Symbolū Nicænum confirmat, & in concluſione ſic loquitur Conciliū. *Sequentes igitur omnium SS. PP. confeſſiones & intentioni eorum æquis veſtigijs inhærentes profitemur. &c.* Concil. Calcedonen. act. 5. opponit hæreſi Neſtorij epiſt. Cyrilli Alex. & Leonis Papæ & ante fidei profeſſionem ſic ait: *Sequentes igitur SS. PP. ſic confitemur. &c.* Et PP. illius Concilij in fine acclamabant: *Hæc fides Patrum, hæc fides Apoſtolorum &c.* Idem factitatum & in alijs Gener. Concilijs.

30. *Sanctos vetus Eccleſia colebat & honorabat tum in ſe tum in eorum reliquijs.* Id patet ex l. c. pro invocatione Sanctorum: invocatio enim eorum, eſt ſpecies cultûs. Sed directè ipſiꝰ cultûs teſtes ſunt: Clem. l. 5. conſtit. cap. 7. Juſt. apol. 7. Cypri. l. 4. epiſt. 5. Baſil. orat. in S. Mamantem. S. Aug. ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo. &c.

31. *Feſtos dies in honorem SS. dicatos antiqui colebant.* S. Clem. l. 8. conſtit. c. 33. Origenes hom. in illud Matth. *Vox in Rama.* S. Baſil. orat. in Gordianum M. Prudent. in hymno de SS. Petro & Paulo. Concil. Tolet. III. can. 23. Meritò itaq; Concil. Gangrenſe ante annos 1100. & ampliùs damnat anathēate Euſtachium & complices, qui memorias Martyrum ſpernendas docebant.

Neq; hic obſtant dicta aliquorum Patrum, quæ opponunt Diſſidentes, qui videntur dicere nec Sanctos nec Imagines colendas eſſe nec adorandas, neq; illis templa erigenda. Quia Patres loquuntur de tali adoratione & cultu, quo DEUS colitur: hoc enim modo Gentiles & hæretici obijciebant Catholicis cultum quē Sanctis ab ijs deferri videbant. Similiter dùm

Iren. arguit Carpocratem, quòd imaginem Christi haberet, id facit ideò, quia eam colebat eo modo quo Gentes idola colũt' scilicet sacrificijs, ut clariùs explicat S. Epiphan. hær. 29. & S. Aug. hær. 7. & quòd imaginem Christi & Pauli haberet eodẽ loco, quo imagines Pithagoræ & Homeri. Sic & Epiph. hær. 79. reprehendit Collyridianos, non quòd honorarent B. Vir. sed quia eam pro Deâ haberent & illi sacrificarent. 2. Dùm ajant PP. non esse in templis collocanda simulachra vel idola: loquuntur de Idolis Gentium. Imagines enim SS. non sunt idola nec simulachra, ut declaratum est sub pæna anathematis lata contra dicentes contrarium. in VII. Syn. Gener. act. ult. aut talibus imaginibus Dei quibus quis putet posse exactè exprimi naturam Dei, quæ nullo modo est comprehensibilis â creatura; nostræ autem imagines non sunt institutæ ad exprimendam divinitatem sed ad memoriam & cultum excitandum. 3. Dùm objiciunt Dissidentes Conc. duo: Constantinop. sub Leone Iconomacho, quod â quibusdam immeritò vocatur Ephesinum III. alterum sub Constantino Copronimo, quorum utrumq; definivit abolendas imagines, nihil probant. 1: Quia illa Concilia illegitima fuerunt, quippe facta sine Romano Pontif. nec unquam ab illo approbata. Definitum autem est in Conc. I. Nicæno, sine sententia Rom. Pontificis non licere celebrari Concilia Gen. ut scribit Socr. lib. 2. cap. 13. 2. Quia illis Concilijs nulli Patriarchæ nec per se nec per Legatos consenserunt, ideoq; meritò per VII. Synodum Gen. legitimam cui adfuerunt Legati Adriani Papæ, & quod approbatum fuit etiam â Leone III. teste Ivone 4. qart. c. 147. reprobata fuerunt. Quamvis uutem Synodus Francofordien. reprobaverit VII. Synodum factam pro retinendis imaginibus, causæ Catholicæ non officit. 1. Quia illi reclamârunt Legati Rom. Pontif., ut ipsi Centuriatores centur. 8. cap. 9. fatentur. 2. Quia ipsa Synod. Francoford. ut apparet ex lib. Caroli M. decrevit judicium ultimum controversiarum ad Romanum Pont. pertinere, & ideo reprobavit VII. Synodum, quia eam putaret sine Romani Pont. consen-

su

ſu congregatam. Quare cùm Romani Pontif. contrarium judcaverint, decretum Synodi Francoford. ſi quod fuit ſentẽtiæ noſtræ contrarium, ipſo ſuo ſe judicio convellit. 3 Synodus Francof. reverà errore facti non juris decepta fuit, ut patet ex præfat. lib. Carolinorum; putavit enim Synodum VII definiviſſe adorandas eſſe imagines eâ adoratione, quâ ipſa S. Trinitas adoratur, hoc autem nunquam fecit, aut docuit Eccleſia, ſed contrarium, quare nobis tale decretum non adverſatur. Non eſt autem mirum authorem librorum Carolinorum Synodo Francof. hoc de VII. Synodo mendacium obtruſiſſe, nam ſi modò nobis Disſidentes imponunt, quòd divinos honores imaginibus impendamus, cùm contrarium in tot libris Catholicorum legant, quid mirum eſt illũ autorem idem ſcripſiſſe de 7. Synodo ab illo remotiſſima quippe Nicææ in Græcia celebrata, quã pauciſſimi habere poterant. Deniq; Conc Elibertinum non prohibet quin habeantur abſolute picturæ io templis, nec earum uſum improbat, ſed tantùm ne in templorum parietibus id quod colitur depingatur. nimirum quia tunc nondum reddità per Conſtantinum pace Eccleſiæ, durantibus perſecutionibus, periculum erat ne ſacræ imagines, ſi in parietibus eſſent depictæ, & non in tabulis quæ auferri poſſent, ab Ethnicis ſupervenientibus inhonorarentur. Imò hoc ipſum indicat eo tempore fuiſſe uſum imaginum. Præterea, etſi non eſſet hæc cauſa talis decreti, jure optimo poteſt aliquando propter rationabilem cauſam res prohiberi ad tempus, & in certo aliquo loco, licet alioqui legitimè inſtituta. Sic etiam ſerpens ille æneus DEI juſſu exſtructus ſucceſſu temporis propter abuſum quorundam recte fuit ablatus, ex quo tamen inferri non poteſt priorem ejus uſum fuiſſe illicitum.

32. *Pro animabus defunctorum preces tanquam illis utiles fundebantur in veteri Eccleſia.* teſtis eſt S. Clemens conſtit. Apoſt. lib. 8. c. 40. Pallad. in hiſtoria Lauſicana c. 41. Quare & Calvin. fatetur lib. 3. inſtit. cap. 5. §. 10. ante mille & trecentos annos uſu receptum fuiſſe orare pro defunctis.

33. *Pro haeretico habitus est Aërius qui orationem pro defunctis negabat.* Epiph. hær. 75. S. Aug. de hæref. c. 53. & alij.

34. *Purgatorium credebatur in quo animæ egeat precibus & suffragijs vivorum, per quæ â pænis liberantur.* patet ex supradictis. Et nominatim pænarum purgatorij meminit Tertullia. lib. de anima cap. 35. & ult. Hilar. in Psal. 118. Greg. l. 4. dilog. cap. 7. & 30.

Quando autem aliqui PP dicunt post hanc vitam non esse locum Pænitentiæ & Satisfactionis, non morum corrigendorum, & cui hîc non remittuntur peccata, in altero sæculo non esse remittenda, loquuntur de tali loco & statu qualis est in hac vita, in qua nimirum etiam peccatorum mortalium potest obtineri remissio, & homo in meritis ac demeritis crescere, quod in altera vita non contingit. Nam quidam putabant etiam mortalia in purgatotio remitti. contra quos egit Cæsar. l. c. 2. Cùm ait Aug. in altera vita duo tantúm esse loca: Regnum cælorum, & gehennam, nec plura ex scripturis colligi, loquitur de talibus locis in quib⁹ animæ totá æternitate sint mãsuræ. Quare nõ cõtradicit purgatorio, quia post judicij diem non erit. nam Aug. agens contra Pelagianos, qui pueros sine Baptismo mortuos, nec in inferno, nec in cœlo totâ æternitate futuros esse ajebant, sed in tertio quodam loco, idq; sine beatitudine aliqua, id dixit, ad quod respondemus.

35. *Templa in primitiva Ecclesia divinis precibus consecrari, & dedicari solitum fuit.* S. Cl. Rom. epist. 2. ad Fratrem Domini, hoc esse faciendum ait se accepisse à S. Petro. & cap. 3. prohibet Missas celebrari alibi quàm in locis consecratis, idque Apostolos á Domino accepisse, & sibi tradidisse. S. Evarist. M quintus post S. Petrum Rom. Pontifex apud Burchardum lib. 3. decretorum c. 27. jubet omnes Basilicas in Sacro Missæ debere consecrari: quodsi de Ecclesiæ consecratione ambigitur, á vicinis Presbyteris exquirere. Ejusdem perpetuó servati ritûs testes sunt Euseb. lib. 4. de vita Constant. c. 40. Theodoret. l. 9. c. 30. & rursus Euseb. l. 10. hist. c. 3. ade-

òq; erat usitata hæc consvetudo ut Ariani hostes Ecclesiæ tanquam magnum crimen exprobraverint S. Anastasio (ut ipse Athan. meminit in epist. ad Constantinum Imp.) quòd in Ecclesia nondum consecrata Synaxim celebravisset, quod factum S. Athan. excusans non ait id sibi licuisse, sed quia propter aliarum Ecclesiarum angustiam, & nimiam populi frequentiam, summa populi necessitas, & ingens periculi metus eum renitentem id facere coëgit. De eodem ritu scribit S. Amb. serm. 89. de Dedicat. Basilicæ, & l. 1. epist. 5. S. Aug. varios sermones habuit in diebus talium Dedicationum. S. Greg. l. 3. Dial. c. 30.

36. *Crucis signi usus fuit in Veteri Ecclesia.* Id testatur S. Cl. l. 3. constit. c. 16. S. Martialis epist. ad Burdegalen., c. 8. Orig. hom. in diversos Evangelij locos. S. Aug. serm. 19. de SS. ubi sic loquitur: Hoc signum, præsidium est amicis, obstaculū inimicis: hujus Crucis mysterio rudes cathechisantur, eodē mysterio fons regenerationis consecratur, ejusdem crucis signo per manûs impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt, cum ejusdem crucis charactere Basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione verborum Dominicorum conficiuntur. Sacerdotes & Levitæ per hoc idem ad Sacros Ordines promoventur, & universaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in hujus virtute perficiuntur. & tr. 18. in Joan. Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur vel frontibus credentium, sive ipsi aquæ quâ regenerantur, sive oleo & chrysmati quo unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur &c. Prudent. in hymno ante somnum. S. Ephrem l. de pœnitentia c. 3. & l. de armatura spirituali c. 2.

Quin & miracula crucis signo edita legimus, Dæmones fugatos, apud Nazianz. orat. 1. contr. Julian. Theodoretum lib. 3. hist. c. 3. & hist. tripart. lib. 6. c. 1. S. Hieron. in Ps. 85. & Cornel. Papa apud Euseb. l. 6. c. 33. scribit Novatianum á dæmone raptum quod non recepisset in fronte signaculū

Christi

Christi &c. Habet enim vim fugandi dæmones & terrendi, ut docet Orig. cit S. Ephrem lib. de vera Pœnitentia. S. Aug. serm. 19. de SS. Cyrill. cathech. 13. & 14. S. Athanas. lib. de Incarnatione Verbi.

37. *Crucis signo graves morbos curatos* scribit S. Chrysost. hom. 55. in Matth. Ado Treviren. in S. Appollinari S. Petri discipulo 10. Kal. Aug. S. Ambros. l. 2. de Virgin. & Donatum Eboreæ Episc. crucis signo ingentem draconem interfecisse author est Sozom. l. 7. c 25. & Niceph. l. 12. c. 45. S. Benedictum veneni vim superâsse S. Greg lib. 2. Dialog. cap. 3. Alia quoq; crucis miracula passim recensent, Metaphr. Greg. Turonen. & ferè omnes historici Ecclesiastici.

38. *Aquam baptizmatis benedici & consecrari prius solitam*, scribit S. Dion. cœl. hier. c. de Baptismo. Cypr. l. 1. ep. 12. Aug. serm. 181. de temp. &c.

39. *Oleum Chrismatis pro baptizando benedici solitum* S. Cl. l. 7. c. 43. S. Dion. & alij.

40. *Oleo solitos ungi baptizandos* S. Cl. l. 3. c. 16. Tertull. de corona milit. cap. 3. Basil. de Spiritu S. c. 27. Ambr. lib. 1. de Sacram. c. 2. & alij.

41. *Baptizandi renuntiabant Sathanæ & Angelo ejus* S. Clem. l. 2. c. 4. & 42. S. Dion. Eccles. Hierarch. c. 4. Tertull. de corona Milit. c. 3. & alij.

42. *Baptizandorum aures & nares tangebantur à Sacerdote digito cum saliva dicente Epheta, quod est, adaperire.* Hanc cæremoniam commemorat Ambr. de his qui initiantur cap. 1. & l. 1. de Sacram. cap. 1.

43. *Solebant Crucis signo benedici qui baptizabantur.* S. Clem. l. 3. c. 16. S. Dion. Eccl. Hier. c. de Baptismo. Cypr. serm. de Passione Christi in fine.

44. *Sal consecratum in os baptizandi ingerebatur.* Orig. hom. 6. in Ezech. S. Aug. l. 1. Confess. c. 11. Conc. Cartag. III. cui Aug. interfuit can. 5.

45. *A Baptizante imponebantur manus baptizando.* S. Dion. l. c. S. Aug. serm. 18. de temp. c. 3.

46. *Baptizandi exorcisabantur verbo & insufflatione ad dæmonem expellendum ab eis.* totum hoc expressè narrat S. Aug. de Eccles. dogmatibus c. 31. & meminit hujus ritûs lib. 2 de nuptijs & concupiscentia c. 17. Chrysost. hom. de Adam & Eva. Cœlestinus Papa epist. ad Epp. Galliæ. Has sufflationes in Baptismo irridebat Julian. Apost. teste Nazianz. orat. 4. in Julian. & Julianus Pelagianus apud Aug. l. 2. de nuptijs.

47. *Post Baptismum iterum baptizati ungebantur.* S. Clem. l. 7. c. 3. S. Dion. l. c. Ambr. l. 2. de Sacram. c. 5.

48. *Baptizandi habebant Patrinos.* Hos vocat Susceptores S. Dion. cœl. hier. c. de Baptismo. Tertull. de Corona cap. 3. Offerentes. S. Justin. q. 56. ad orthodoxos, Sponsores Tertull. de Baptismo c. 18. Fidejussores. Aug. serm. 116. 163. 215. Fidei doctores. Idem epist. 23. ad Bonifac. Patrini vocantur ab Higino Papa can. de Consecr. & dist. 4.

Thurificatio seu thimiamata adhibebantur in templis. S. Dion. Eccles. hier. c. 3. Canon tertius Apost. novæ tertiæ editionis, quartus Veteris. S. Ambr. in c. 1. Lucæ.

49. *Processiones ad templa publicæ* etsi primis trecentis annis ob gravissimas persecutiones fieri non poterant, tamen á tempore Constantini per quem Ecclesiæ pax est data, illarum meminerunt Scriptores Ecclesiastici fieri solitarum ab hominibus gregatim ad loca sacra cum cantu euntibus, vel certè SS. reliquias honorificè transferentibus. Sic Juliani tēpore è Daphno Antiochiam delatæ sunt S. Babilæ M. reliquiæ teste Sozom. l. 5. hist. c. 9. Socrate l. 3. c. 16. Theodoret. lib. 3. c. 10. Chrysost. Orat. contra Gentil. & hom. 4. de laudib. S. Pauli. Sic etiam Sozom. l. 7. c. 10. & Socr. l. 5. c. 8. & 9. scribunt jussu Theodosij Imper. reliquias Miletij translatas fuisse Antiochiam cum alternatis Psalmorum cantibus viâ regiâ portatas, & quolibet loco honoratas.

50. *Funera Christianorum cum cereis accensis deducebantur.* B. Virginis corpus cereis ardentibus elatum scribit Niceph. l. 2. c. 22. ita & S. Cyprianum sepultum esse, testis est Pontius Diacon. in actis Passionis S. Cypr. in fine. Idem factum tra-

dit in funere Miletij S. Greg. Nissen. orat. funebri: & in funere Cæsarij S. Nazianz. orat. *1.* funebri. & idem in funere Constantij orat. adv, Julian. & in funere S. Macrinæ Nyss. orat funebri. & in funere Constantini, Euseb. lib. 4. vitæ illi' c. 66. & in funere Paulæ.

51. *Adhibebantur & hymni & cantus in funeribus Fidelium.* S. Dion c. 7. S. Clem. l. 6. c. 29. Nyss. epist. ad Olymp.

Malè autem Dissidentes asserunt dicentes Synodum Elibertinam can. 34. facum usum prohibuisse, non enim illum prohibuit, sed superstitiosum illarum usum, scilicet, ne accensis cereis super defunctorum sepulchra animas inquietarent, nimirum, superstitiosis ritibus, vel Magicis carminibus evocarent. sicut *1.* Reg. c. *28.* Samuelis anima dicit; Quare inquietâsti me ut suscitarer? quo etiam modo Conc. Trident. non usum candelarnm, sed superstitiosum earum numerum in Missis vetat sess. *22.* de observ. in celebr. Missæ.

52. *Thurificatio fiebat in funeribus.* Tertull. in Apol. Nyssen. orat. in funere Miletij. Unde in Conc. Calced. act. 1. Dioscorus accusatus fuit quia in funere Peristeriæ pientissimæ fæminæ, quæ sua legaverat Sanctis locis, oblatio incensi fuisset ejus culpâ prætermissa.

53. *Octava, vigesima, trigesima, quadragesima, sexagesima die agebatur defunctorum memoria.* docent id libri Rituales antiqui. De *Octava* S. Hieron. de funere Paulæ epist. 22. Die quoq; tertio, quarto, & nono, & anno exacto. exequias faciendas ait Clem. cap. 42. adhibitis psalmis, precibus, & lachrimis. Die 3. 30. 40. hoc ipsum factum esse indicat S. Amb. de obitu Theodosij. *Anniversariâ* quoq; die pro anima orari solitum, testis est Tertull. de Corona c. 3. & lib. de Monogamia c. 20. & l. de exhortat. ad Castitatem c. 11. Nazianz. in funere Cæsarij orat. S. Ambr. orat. 2. de obitu Fratris.

54. *Convivia funeralia exhibebantur pauperibus & alijs.* S. Cl. l. 8. c 44. Orig. hom. 3. in Job. Chrysost. hom. in Matt. Paulin. epist. *31.* Nazianz. de vitæ differentijs.

55. *Quadragesima jejunium servabatur in primitiva Ecclesia.*

S. Cl.

S. Clem. l. 5. constit. c. 12. S. Ignat. epist. ad Phillip. Tertul. lib. de jejunio c. 2. & 13. Chrysost. hom. in Gen. Maxim. in sermonib. de Quadrag. Leo Papa in ijsdem. *Idq; ab Apostolis institutum* scribit Hieron. epist. ad Marcell. adv. Montanum. Dorotheus Abbas in libro de vita rectè instituenda doctr 15. Meminerunt ejusdem Jejunij Concil. Nicæn. I. can. 5. Laodicenum can. 19. Aurelianum I. can. 11. Bracarense II. can 9. Quando autem Aug. epist. 86. ait se non invenire definitum quibus diebus oporteat jejunare, quibus non loquitur de præcepto Christi & Apostolorum, quod non extat scriptum in novo testamento, ut patet legenti textum.

56 *Jejunij feriæ Quartæ & Sextæ* meminit canon Apostolicus 68. Ignat. epist. ad Philippen. Orig. hom. 10. in Levitic. Tertullian. lib. de jejunio & alij.

57. *Pro usu Eucharistiæ vasa consecrabantur.* Nazianz. orat. ad Arian. & de seipso. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. cap. 10. Conc. Arelatense I. c. 13 ubi anathemate feriuntur, qui ea ad profanos usus, scilicet ad sublevandos pauperes convertebāt. Athan. in apol. 2. contra Arianos. Theodoret. lib. 2. hist. c. 12. Niceph. l. 10. cap. 29. scribunt, duorum qui vasa sacra ablata profanaverunt, alterum vermibus corrosum interijsse, alterum subitó medium crepuisse.

58. *Sacerdotes in Sacris ministerijs non vulgaribus, sed diversis utebantur vestibus.* S. Anacl. epist. 1. de oppressione Episcoporum. Orig. hom. 11. in 20. Levit. Chrysost. & Basilius in Liturg.

59. *Albarum usus fuit*, quas Græci ὀνυχάριον appellant, scribit S. Clem. lib. 8. constit. cap. 12. Chrysost. in Liturg. & hom. 83. in Matth. Concil. Cartag. IV. tempore August. can. 41. Falluntur ergo Dissidentes, qui Albarum inventionem tribuunt Gregorio VII. qui sedit anno 1073.

60. *Tunicæ, quas Casulas vel Planetas vocamus, fuerunt.* S. Hieron. epist. de obitu Nepotiani cap. 10. ad Heliod. Euseb. lib. 10. c. 4.

61. *Dalmaticæ erant in usu.* S. Sylu. apud Damasum in Pō

 tificali

tificali. Autor quæſt. Novi & Vet. teſtam. Auguſtino antiquior, ut patet ex quæſt 44. ex ijs quæ habentur tomo 4. Auguſtini, eiq; attribuuntur. quæſt. 46. Pontius Diac. in paſſione S. Cypr. S. Greg. l. ep. 3.

62 *De Stola ſeu Orario.* S. Ambr. in Orat. funeb. Satyri. Nazianz. orat. 1. Theodoret. l. 2. hiſt. c. 27. & hiſt. tripart. l. 5. c. 37. ſcribit Innet'cum quendam ſaltatorem, cum induiſſet ſtolam, quam ad Eccleſiam Ieroſol. cohoneſtandam Conſtant. Imp. Macario Epiſcopo donaverat ut in ea Baptiſma adminiſtraret inter ſaltandum cecidiſſe, & contritum perijſſe. Similia ultionis Divinæ miracula narrat Victor perſec. Vandal. l 1. Beda. l 1. hiſt Anglic. c. 29.

63. *De Capparum quas, pluvialia, Græci τειβωνας vocant uſu.* ſcribit S. Epiph. hær. 15. & 16.

64. *De Pallis ſive Auleis quibus altare decoratur* S. Cl. epiſt. 2. Theodoret. l. 2. hiſt. c. 3.

65. *De linteaminibus ac velaminibus* quibus cooperiebantur altaria. S. Clem. ep. 2. Optat. l. 6. cont. Parmen.

66. *De Mitra Pontificali* ſeu Corona Polycr. apud Euſeb. l. 3. c. 23. & Hieron. in cel. Scriptor. Ecles. in Polycrate, qui Joannem Evang. ait geſtaſſe in capite auream laminam (qualem Sacerdos in lege Veteri geſtabat) quod & de S. Jacobo Jeroſol. Epiſc. ſcribit Epiph. hær. 59. De Infula gemmis diſtincta S. Ambroſij, Euodius in Epigram. de S. Euodio. De ſua etiam cydari ſeu Corona Nazianz. apolog. 3. & Aug. epiſt. 147. Fuiſſe autem pretioſas has Pontificias Coronas apparet ex Ammiano Marcell. Ethnico, qui lib. 26. ſcribit, á quodã Africano Tyranno interceptam Sacerdotalem Coronam eſſe reſtitutam cum alijs rebus Theodoſio Imper. á quo victus erat.

67. *Coronam tondebant Clerici & Monachi.* S. Dion. Eccl. Hierar. c. 6. S. Anicetus Papa epiſt. ad Gallos. Cyrillus in vita S. Eutymij qui floruit ſub Theodoſio Seniore, ut patet ex Cod. Theodoſiano L. 3 de fide Catholica. Paulino epiſt. 7. Aug. de opere Monach. c. 33. & epiſt. 147. Sabian. de vero ju

dicio

dicio & Providentia Dei l. 8. in fine. Morem hunc docuisse Apostolos scribit Isid. l. 2. de div. offic. 14. & ipsum Petrum Coronam gestasse. Beda l. 5. hist. Angli. c. 22. Ejusdem coronæ meminit Justinian. Imper. in authent. coll. 7. tit. 5. cap. 2. & 3. Quin & Ammianus Ethnicus l. 15. innuit.

68. *Horæ Ecclesiasticæ, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Matutinum in Galli cantu, observabantur.* S. Clem. l. 8. c. 40. Tertull. ad Psychicos c. 10. & Cypr. serm. 6. de orat. Dom.

69, *Organorum Musicorum usum fuisse* sub Italiano Pontifice. scribunt Martin. Polonus, Platina &c. sed Julianus multó antiquior S. Gregorio in c. 31. Job probat usum organorum in templis antiquissimum. Sed quamvis Ecclesiæ ceremoniæ tam antiquæ non essent, liceret ei novas instituere ad majorem majestatem cultûs divini, & devotionem in Fidelibus excitandam. Benè enim ait S. Aug. epist. 118. Insolentissimæ esse insaniæ disputare contra id quod universa facit Ecclesia. & l. 1. contra Crescon. c. 38. Quamuis, inquit, hujus rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earūdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur Veritas. tùm enim hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ quam ipsarum scripturarum commendat authoritas.

70. *Confessio auricularis fiebat coram Sacerdote.* testis est S. Cl. epist. 1 ad Fratrem Domini. ubi de S. Petro inter alia sic scribit. Instruebat actus suæ vitæ omni horâ custodire, & in omni loco Deum respicere, firmiter scire, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare. S. Dion. Areopag. ep. 8. ad Demophilum reprehendit, quòd Sacerdotem peccatorē Sacerdoti procidentem, & verecundè peccatorū remedia quærentem repulisset: & alium Sacerdotem, qui illum pœnitentem justificaverat, convitijs laceràsset. S. Cypr. de lapsis & lib. 3. epist. 16. Anastas. Synaita orat. de Sacra Synaxi. Anastasius Nicænus q. 6. in Scripturam. Euseb. l. 6. cap. 27. Decij quoq; tempore fuisse institutos Pœnitentiarios (à quibus, ut etiam modo fit, fuerunt alij Sacerdotes diversi) ab-

solvendi à peccatis potestate praediti, qui particulatim & secretè peccata excipiebant, pœnitentias injungebant, absolvebant. Socr. lib. 5. cap. 19. & Sozom. lib. 7. c. 16. qui licet postea dicant à Nectario Patriarch. Constantinop. sublatos pœnitentiarios, & cuiq; permissum ut pro sua quisq; conscientia ad Eucharistiam accederet, in hoc mentiuntur, erant enim Novatiani ut scribit Niceph. l. 6. c. 37. Novatiani enim negabāt veram potestatem remittendi omnia peccata esse penes Sacerdotes, sed tantùm penes DEUM. Certum enim est Chrysostomi tempore, qui Evagrio successit, Patrum viguisse usum Confessionis. Publicam ergo peccatorum confessionē, quæ in more erat etiam cum secreta, quod ratione illius scandalum ortum erat, Nectarius abrogavit, & postea etiam Leo Papa epist. 82. dicens. Sine illa sufficere confessionem factam Sacerdoti. Quando Chrysost. suadet, ut soli Deo fiat confessio, id suadet, ne fiat publica omnibus audientibus, sed sufficere, ut coram Sacerdote fiat, cujus thronum in Cælo collocatum ait hom. 5. in verba Isai. S. Aug. lib. L. homil. hom. 41. & in Ps. 66.

71. *Confirmari solebant Fideles post Baptismum unctione sensibili olei, & manuum impositione.* S. Clem. lib. 10. c. 10. Dion. cap. 3. eccl. hier. Cyrill. catech. 3. ubi ait. Hoc non esse ungventum nudum & commune, sed Chrisma Christi, quod adventu Spiritûs S. per ipsius divinitatem energiam habet, quo frons & alij sensus corporis tui symbolicé inunguntur, & corpus quidem isto visibili ungvento perungitur, anima verò sancto vivificoq; Spiritu sanctificatur. Basil. de Spiritu S. c. 27. Hier. lib. 6. in Amos. Ambr. de ijs qui initiantur. Aug. 15. de Trinitate cap. 26.

72. *Sanctificatio hujus olei ab Apostolica institutione habebatur.* Clem. & Basil. ll. cc. imò illam ad Christum refert. Fabian. Papa in epist. ad Orient. Epp. qui id in novissima cœna Apostolos docuerit, ad quod alludens Cypr. lib. de Unctione chrismatis, divinam institutionem vocat, ubi etiam ait: Chrisma consecrari solitum die Cœnæ Domini, quo institutio Eu-

charistiæ

chariſtiæ facta celebratur. Vocatur Sacra à Conc. Cartag. tempore Cypriani celebrata: & à Cypr epiſt. 72. Aug. lib. 2. contra literas Petiliani c. 104.

73. *Chriſma in Eccleſia ſervari ſolitum.* tum ex uſu ejus quē allata Patrum teſtimonia indicant, apparet tum ex Optat. Milevit. l 2. contra Parmenianum, qui narrat conſervatam in Eccleſia ampullam Chriſmatis á Donatiſtis per feneſtram eſſe ejectam, ſed non defuiſſe manum Angelicam, quæ ampullam Spirituali ſubvectione deduceret, ne caſum ſentiret, ſed illæſa inter ſaxa conſideret. Notantur Novatiani Hæretici apud Theodoret. l. 7. hæreticarum fabularum de Novatis, qui baptizatos non inungebant ſacro chriſmate.

74. *Oleo conſecrato infirmos ungi ſolitos.* Dion. cap. 7. Cyrill. catech 5. Innoc. I. epiſt. 1. ad Decentium cap. 8. Aug. ſerm. 215. de tempore. & author lib. de viſit. infirmorum. Athanaſ. Nycænus quæſt 23.

75. *Euchariſtia extra uſum aſſervari vel in templo, vel decenti domûs loco ſolita.* S. Clem. l. 8. c. 13. Tertull. l. 2. ad Uxorem c. 3. Orig. hom. 13. in cap. 25. Exodi. Aug ſerm. 252. de tempore Quin & venientibus de longinquo in Urbem Epiſcopis à Pōtifice mitti obviam ſolebat. S. Iren. apud Euſeb. lib. 5. cap. 24. & Agathen. Conc. can. 2.

76. *Vinum aquâ mixtum in Euchariſtiæ confectione adhibitum.* S. Jacob. in Liturgia. Clem. lib. 8. cap. 17. Alexand. I. epiſt. 1. Cypr. l. 2. epiſt. 3. qui ait eſſe hoc ex traditione Domini. Juſtin. M. Apol. ad Antonin. Pium.

77. *Realis Chriſti præſentia in Euchariſtia credebatur*, ob quā verè ejus corpus ſumitur ore, & non ſolà fide, illudq; eſſe non ſolùm in cœlo, ſed etiam in ſacra menſa. Legantur attentè S. Martialis teſtimonia, qui fuit unus ex LXXII. Domini diſcipulis, epiſt ad Burdegal. c. 3. S. Ignat. ep. ad Smyrnen. apud Theodor. Nazianz. orat 2. de Paſchate.

78. *Euchariſtia olim adorabatur, vel invocabatur ut Deus,* S. Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. cap. 3. p. 3. Aug. epiſt. 118. cap. 3 & in Pſ. 98. ubi ait tali adoratione eſſe adorandam, quali non

poteſt ſine impietate adorari terra ſcabellum pedum Domini: hinc lib. 2. contr. Fauſtum ait, nonullos dicere ſolitos, quòd propter panem & calicem Euchariſticum Chriſtiani Cererem & Liberum colerent.

79. *Miſſæ vocabulum* habetur in Conc. Rom. II. ſub Sylveſtro I. tom. 1. Conc. pag. 594. Venetæ editionis. In Cartag. II. can. 3. Apud Ambr. l. 5. epiſt. 33 Leo epiſt. ad Dioſcorū, In antiquiorum Pontificum epiſtolis paſſim.

CORROLARIUM

ATq; hinc patet 1. modernam Romanam Eccleſiam, idem ſentire de fide & moribus, ijſdemq; uti cæremonijs, quibus uſa eſt, & quod ſenſit Eccleſia primis quingentis, vel ſexcentis annis. 2. Malè Græco-Ruthenos Schiſmaticos ſuam fidem appellare antiquam. cúm ab antiqua fide Græcorum Catholicorum valdè diſcrepet. 3. Cùm Diſſidentes nō poſſunt ſuæ fidei antiquitatem oſtendere, omninò novam fidem, & non eam quam Apoſtoli tradiderunt, habent 4. Romanam eſſe veram Eccleſiam quandoquidem eadem eſt, quæ fuit primitiva, quam etiam Diſſidentes fatentur fuiſſe veram. Sed ulteriùs

80. *Eccleſiam aſſerebant viſibilem.* Iren. lib. 3. c. 3. Orig. hom. 30. in Matth. Cypr. lib. de unit. Eccleſ. Chryſoſt. hom. 4. in cap. 6. Iſai. ait: Faciliús eſſe Solem extingvi quám Eccleſiā obſcurari. Aug. contra Fauſtum l. 19. cap. 11. In nullum nomen Religionis, ſeu verum ſeu falſum coagulari poſſunt homines niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium vinculo colligentur. Imò Confeſſio Auguſtana art. 7. viſibilem profitetur cúm ſic Eccleſiam definit. Eccleſia eſt cōgregatio in qua Evangelium rectè docetur & rectè adminiſtrantur Sacramenta.

81 *Eccleſiam deficere in fide non poſſe.* S. Aug. lib. de Symb. ad Catechum. c. 6. Eccleſia contra omnes hæreſes pugnans pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Theophilus. Alex. epiſt. ad Epiph. ut integrum corpus conſervetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant, Domin'

ſingulis

ſinguli's temporibus eandem Eccleſiæ ſuæ gratiam largitur. &c. Falluntur ergo Diſſidentes qui dicunt aſſiſtentiam Spiritûs S. ne erret, conditionaliter juxta illud Joan. 8. 31. Si in ſermone meo manſeritis, verè diſcipuli mei eritis. Falluntur inquam, quia vel priùs Eccleſia errabit quám Chriſtus illam deſerat, vel poſteriús. Non poteſt priùs, quia habet aſſiſtentiam Spiritûs S. cum quo errare non poteſt: non poſteriùs, quia Chriſtus illi auferendo Spiritum S. in ſuo promiſſo falleret. Loco autem citato non alloquitur totam Eccleſiam, ut ibid. expreſſè ponitur, ſed eos ſolos qui crediderant ex Judæis, quibus non promiſerat infallibilitatem.

82. *In Eccleſia primitiva fuit una doctrina.* Symb. Conſtantinop. Credimus in unam Sanctam & Apoſtolicam Eccleſiam. Juſtin. M. quæſt. 4. ad orthod. Iren. l. 4. cap. 18. Athan. in decr. Nicænæ Synodi. Eſt veræ diſciplinæ ac Magiſterij argumentum ubi eadem confitentur, nec à ſe invicem, nec á Majoribus diſſident. Et Orat. in illud. *Omnia mihi tradita ſunt.* Hæc eſt vera doctrina, hoc eſt verum ſignum argumētumq; ? quòd ita inter ſe conſentiunt, nec diſſident vel inter Patres. Hinc Gnoiticis Hæreticis inſultat Iren. lib. 4. cap. 18. Non jam unum ſentiunt ſed alia de his ipſis reſpondent. Si quis enim experimentum eorum volens accipere ſeparatim interroget de aliquo eos, inveniet alium alia dicentem. Simili modo inconſtantiam doctrinæ, & libertatem forn andi fidem pro libitu ridet in Marcioniſtis & Valentinianis Tertull. de præſcript. cap. 42. Iren. l. 1. c. 3. Neq; hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter tradunt, neq; hæ quæ in Hibernia ſunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quæ in Ægypto, neq; hæ quæ in Lybia &c.

83. *Vera Eccleſia vocabatur Catholica.* Aug. de vera Religio. cap. 7. Catholica nominatur non ſolúm á ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis, velint enim nolint ipſi quoq; hæretici & Schiſmatum Alumni quando non cum ſuis ſed cum Extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quám Catholicam dicunt, non eam poſſent intelligi niſi hoc nomine eam diſcernant

ſcernant

ſcernant quo ab univerſo orbe nuncupatur. Similia habet lib. de Utilit. credendi cap. 7.

84. *Corpus Christi credebatur eſſe in Euchariſtia etiam extra uſum.* Clem. Rom. lib. 8. conſtit. cap. 13. Iren. epiſt. ad Victor. apud Euſeb. lib. 5. Ambr. Orat. de Satyro.

85. *Sacerdotes non ab alio quàm ab Epiſcopo ordinabantur, etſi à laicis aliquando ad hoc proponebantur.* Clem. conſtit. 2. Apoſt. Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur & Diaconus & reliqui Clerici. & Ibid. lib. 3. cap. 2. Jubemus ut Presbyter, Diaconus, & reliqui Clerici ab uno Epiſcopo ordinentur, & ut neq; Presbiter neq; Diaconus reliquos Clericos ex laicis ordinet. Dion. Areop. c. 5. Ignat. epiſt. ad Smyrnen.

86. *Prohibebatur ne Laici eligerent ad Sacerdotium.* Ita prohibet Conc. Laodicen. can. 13. & Conc. à Martino Papa congregatum c 1. can. 1. & Conſtantinop. can. 28.

87. *Presbyteri fuerunt ſubjecti Epiſcopis.* Quia Epiſcopi judicabant Presbyteros, ut patet ex 1. Tim. 5. Adverſus Presbyteros accuſationem noli recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ignat. epiſt. ad Smyrnen. & Trallen. Presbyteri ſubjecti eſtote Epiſcopis.

88. *Sacerdotes vitam agebant cælibem.* Clem. Rom. conſtit. Apoſt. 25. Calixtus apud Gratianum diſt. 27. Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis matrimonium contrahere penitùs interdicimus, contracta quoq; Matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere juxta Sacrorum Canonum definitionem judicamus. Orig. in Levit. hom. 4. Conc. Rom. can. 8. Amb. ad cap. 3. primæ Tim. Hieron. adv. Vigil. cap 1.

89. *Juſtificatio tribuebatur non ſoli fidei.* Cl. Rom. lib. 1. Recognit. Ignat. M. epiſt. ad Epheſ. Orig. in Cantic. hom. 1. ubi ait. Dupliciter conſtat ſalus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem. & tract. 30. in Matth. & hom. 1. in Ezech. Quare ægrè fers, niti, laborare, & contendere & per bona opera teipſum cauſam ſalutis tuæ fieri? Cypr. de opere & eleemoſyna. Neq; his obſtat Gal. 2. 16. Non juſtifi-

ſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Chriſti. Nã *niſi* ſignificat *ſed* ut ex Hebræo textu & Græco conſtat, & ita etiam ipſe Beza accipit. Sed licet *niſi* ſeipſum ſignificaret, nihil obeſſet, quia non juſtificamur per opera legis, quatenus illa complectitur reliquas virtutes.

89. *Credebatur poſſe ab homine cum adjutorio gratiæ ſervari legem DEI.* Clem. Alexandr. l. 4. ſtrom. c. 8. Cypr. ſerm. de baptiſmo Chriſti, ubi ſic Deum alloquitur: Nulli ad harum rerum perſecutionem deeſt ſcientia aut potentia. Quodſi impoſſibilia eſſent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas ſic abdita ut non poſſet intelligi, quid à nobis expeteret tua Altitudo? licet invitus nemo peccet, poſſet tamen ex multis excuſare debitum, niſi ſimul ſe complecterentur poſſibilitas & facilitas, ſcientia & poteſtas. Præcipis Domine ut diligam te, hoc & poſſum & debeo. Conc. Arauſic. cap. 25. Hoc autem ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati Chriſto auxiliante & cooperante quæ ad ſalutem pertinent poſſint & debeant, ſi fideliter laboràre voluerint, adimplere.

90. *Credebant antiqui Chriſtiani bona opera mereri.* Cl. Rom epiſt. 4. Clem. Alex. lib. 4. Strom. Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cùm juſta ſit diſpenſatio & Oeconomia. Et in Parænetico. Ne pigeat vos laboràſſe, licet vobis, ſi velitis pretioſisſimam ſalutem emere proprio theſauro charitate & fide. Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 6. & in Scorpiaco cap. 6. Quomodo multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? Cypr. de virt. Eccleſ. Juſtitiæ opus eſt ut promereri quis poſſit Deum Judicem: præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem.

91. *De caſtitate ſervabant conſilium Chriſti.* Orig. ad cap. 15 Rom. Ea quæ ſupra debitum facimus, non facimus ex præcepto, v. c. Virginitas non ex debito ſolvitur, neque enim per præceptum expetitur, ſed ſupra debitum offertur. Cypr.

de habitu Virgin. Nec hoc jubet Dominus ſed hortatur, nec jugum neceſſitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum, ſed cùm habitationes multas apud Patrem eſſe dicat, melioris habitaculi hoſpitia eſſe demonſtrat. Habitacula iſta meliora vos petitis carnis deſideria caſtrantes, majoris gratiæ præmium in cœleſtibus obtinentes. Ambroſius ſerm. 5. in Pſal. 118. ſupra illud: Amputa opprobrium meū. Neq; his obſtat 1. Joan. 5. Qui credit in Filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe; quia non eſt hic ſermo, quaſi homo habeat teſtimonium, quòd ſit in gratia, ſed quòd habet teſtimonium de Divinitate Chriſti.

93. *Jejunia obſervabant.* Clem. conſtit. Apoſt. l 5. cap. 17. S. Hieron. epiſt. ad Marcellam. Nos unam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anni tempore nobis congruo reſervamus. S. Leo ſerm. 6. de Quadrageſima. Quòd ergo dilectisſimi, omni tempore unumquemq; convenit facere Chriſtianum, id nunc ſollicitiùs & devotiùs exequendum, ut Apoſtolica traditio quadraginta dierum jejunijs exolvatur. & ſerm. 9. A S. Apoſtolis per doctrinam S. Spiritûs majora ſunt inſtituta jejunia, ut per commune conſortium Crucis Chriſti, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gesſit ageremus.

94. *Caſtitatem præferebant ſtatui Conjugali.* Theophil. Antiochenus l. 2. allegoriarum in Marcum. vixit circa ann. 70. Hi ſunt qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum DEI, & ij faciunt fructum triceſimum, quod ad cōjuges pertinet: aliud ſeptuageſimum, quod ad viduas reſpiciens dixit, aliud centeſimum, Virginibus fructus iſte convenit.

95. *Septem Sacramenta agnoſcebant.* De Baptiſmo & Eucharistia neq; Disſidentibus eſt dubium. Pro *Confirmatione* teſtatur Clem. Rom. epiſt. 4 & conſtit. lib. 3. cap. 13. Tertull. de reſurrect. carnis. Urbanus I. ad univerſos. Pro *Pœnitentia* S. Dionyſ. epiſt. ad Demophil. Clem. Rom. conſt lib 2. c. 13. & alij. Pro *Extrema unctione* Concil. Nicænum can. 69. Ara

bico

bico. Ambr. in Miſſali ubi formulam adminiſtrandi hoc Sacramentum præſcribit Hieron. in vita Hilarion. *pro Ordine* Dion. Eccleſ. Hierar. c. 6. Cypr. de Cardinal. Chriſti operibus. Leo epiſt. 81. ad Dioſc. c. 1. Aug. l. 2. contra Parmenianum. Ipſi explicent quomodo Sacramentum baptiſmi non poſſit amitti, & Sacramentum Ordinis poſſit amitti. Si enim utrumq; Sacramentũ eſt, quod nemo dubitat, cur illud amittitur & illud non amittitur? Pro Matrimonio Tertull. cõtr. Valentinianos c. 30. & de Anima cap. 21. Lactantius inſtit. divin. in exord. cap. 6.

96. *Confitebantur peccata in particulari.* Clem. Rom. epiſt. 1. Si fortè alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat qui animæ ſuæ curam gerit confiteri hæc huic qui præeſt. Orig. hom. 3. in Levit. Hieron. ad cap. 16. Matth. Sacerdos pro officio cum peccatorum audivit varietates, ſcit quis ſit ligandus vel ſolvendus. Aug. lib. 2. de viſit. infirm. c. 5. Quæ mentem graviùs exercebant facinora Sacerdoti manifeſta, nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus involvens, nullis circumitionibus quod verum eſt operiens, deſignanda etiam ſunt in quibus peccâſti loca, ſi recordaris & tempora. Patet hoc ipſum ex Conc. Laodic. can. 2. Synodo VI. can. 102. Cartag. III. can. 31. Cartag. I. &c.

97. *Peccata non omnia æqualia eſſe judicabant.* Clem. Rom. conſtit. Apoſt. lib. 2. c. 48. Orig. in Levit. hom. 14.

98. *Per bona opera ſatisfaciebant pro reatu temporali.* Cl. conſtit. Apoſt. lib. 2. c. 16. Orig. in Exod. hom. 6. Aug. hom. ult. ex L. Non ſufficit mores in meliùs commutare & á factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum cooperantibus eleemoſynis.

99. *Aliqua peccata puniri temporaliter poſt mortem.* Liturgia S. Petri, Jacobi, Matthæi, Marci. Clem. conſtit. Apoſt. l. 5. cap. 4. Oremus pro Fratribus noſtris qui in Chriſto requieverunt, ut Deus qui animam defuncti ſuſcepit, remittat &

 pec-

peccatum. Dion. Hier. Eccleſ. cap. 7. Tertull. de teſtimonio animæ adv. Gentes. c. 4. Aug. l. 2. de Geneſi c. 20. Qui agrũ non coluerit, habebit poſt hanc vitam vel ignem Purgatorij, vel pœnam æternam. Greg. l. 4. Dialog. c. 39. ad illud Matth. 12. 32. Qui peccaverit in Spiritum S. &c. In hac ſententia datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam veró in futuro poſſe relaxari.

100. *Oratio fiebat ad Sanctos.* Juſtin. in Apol. Iren. lib. 2. cap. 19. Orig. in Lament. Incipiam me genibus proſternere, & deprecari univerſos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum, ſuccurrant. Cypr. de ſtella & Magis. Athanaſ. ad B. Virginem. Inclina aurem tuam ad preces noſtras, & ne obliviſcaris populi tui &c. Baſil. hom. 20. in XL. MM. Hieron. epiſt. 27. Chryſoſt. hom. 26. in 2. Cor.

101. *Reliquias Sacras magni faciebant.* Cl. conſt. Apoſt. lib. 6. cap. 29. Eccleſia Smyrnen. epiſt. ad Ponti Eccleſias. Nos D. Policarpi oſſa potiora lapillis pretioſis. Athanaſ. in vita Antonij. Ambr. lib. 9 epiſt. 85. & exhort. ad Virgines. Martyris clavos, munera ſalutis accipite. & de SS. Nazario Celſo Epiph. in vita Ezech.

102. *Feſta Sanctorum inſtituebantur.* Cl. conſtit. Apoſt. l. 8. c. 33. denuntiat quædam feſta. Eccleſia Smyrn. l. c. Cypr. epiſt. 34. S. Celerini & aliorum MM. feſta indicit.

103. *Imaginum SS. fuit uſus.* Athanaſ. interrog. & Reſp. ad Antioch. Baſil. contra Julianum. Aug. lib. 3. de Trinit. c. 10. Chryſoſt. in Liturg.

CAPUT III.
DE SANCTORUM PATRUM CONSENSU.

NE teſtes de Veritate ſuſpecti advocentur, eos præcipué Paſtores & Doctores hic numerabimus qui illam rexerunt, aut in illa prædicârunt Eccleſia, quæ Diſſidentium judicio nondum defecerat, & quos ex ipſis meliùs ſentientes tanquam veros Eccleſiæ Doctores venerantur, & Sanctos fuiſſe putant. Et certè cùm ſine vera fide ſit impoſſibile placere

cere Deo, ut ait Paulus Hebr. 11. 6. (imó in idololatria fuissent quoad quædam judicio Diſſidentium, á qua nullo modo excuſarentur) ſi Doctores hi quos Sanctos fuiſſe putāt, ſine dubio rectâ fide prædíti fuerunt, atq; ei conformem doctrinam, ac proinde neceſſarió ut veram admittendam prædicaverunt. Hi autem Doctores ſunt qui ſaltem primis 500. aut 600. annis poſt in Chriſtum in Eccleſia floruerunt. His enim ſæculis adhuc duráſſe Chriſti Eccleſiam Catholicā fide verâ imbutam fatetur Luther. lib. de captiv. Babil. & in ſupputatione annorum mundi. Melanc. in locis commun. primó editis. Smidelin. in reſponſ. ad Apolog. Calvin. in epiſt. ad Sadolet. & lib. 4. inſtit. cap. 2. § 3. ubi ait. Nihil á principio Eccleſiæ Chriſti uſq; ad illam ætatem in qua vivebant SS. Doctores, de quibus loquimur, mutatum fuiſſe in doctrina. & lib. eod cap. 7. § 3. Ad Gregorij Papæ tempora duráſſe Eccleſiæ veram & puram faciem. & cap. 9. § 13. Vocat Athanaſium, Baſilium, Cyrillum, & ſimiles, veræ doctrinæ vindices, â Domino excitatos. & cap. 14. § 26. vocat Auguſtinum optimum ex tota antiquitate, & fideliſſimum teſtem, ideóq; à ſe ait ſæpè citari. & lib. 3. inſtit. cap. 3. § 10. ſvadet Lectoribus ex illo ſumere, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi velint. & in cap. 23. Matth. v. 29. ait cupere ſe ut ea doctrina recipiatur ac vigeat, quam ſuo ſangvine obſignârunt Apoſtoli & Martyres. Idem fatetur Witakerus quæſt. 5. de Eccleſia cap. 2. 4. & 5. & communiter alij. Addimus tamen illis alios etſi aliquantó poſteriores, ſanctitate tamen ſuppares, & qui etiam apud multos Diſſidentium ſuam poterunt retinere authoritatem. Et ut aliquid præmittamus de nonnullorum dignitate.

S. Clemens fuit Romanus Pontifex & Martyr, auditor Petri & Pauli Apoſtolorum, ut teſtis eſt S. Ignatius M. in epiſt. 4. & S. Iren. lib. 3. cap. 3. ſcribit eum contuliſſe cum Apoſtolis. & Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 6. ait eum cum Apoſtolis de fide communicáſſe, & eorum prædicationem recenti tenuiſſe memoriâ, eorumq; traditiones propè in conſpectu & ante

oculos positas habuisse & S. Hieron. lib. de scriptor. Ecles. & lib. *1*. adu. Jovinianum, dicit eum fuisse, cujus meminit Apostolus Philip. 4. 3. Libros nonnullos S. Clementis tanquã doctrinam veram continentes citat S. Epiph. hær. 45. quo loco recenset locum de Ecclesia, qui est apud S. Cl. l. 1. Const. c. 1. & hær. 80. de barba curiosè non radenda. qui extat apud Clē. lib. 1. cap. 31 Item S. Cyrill. Ierosol. cathech. 8. citat S. Clem. de Phænice, qui locus est lib. 5. Constit. cap. *6*. Et Synodus I. Nicæna in fragmento quod extat ejus Actorum citat Constitutionem Apostolorum de jejunio quadragesimæ, quæ habetur apud Clem. lib. 2. c 57. & Ecclesiæ Orientis in festo S. Clementis legunt ejus vitam, in qua dicitur, eum Apostolorum Constitutiones conscripsisse. Etiam plures epistolas scripsisse S. Clementem testatur Iren. lib. 3. cap. *3*. S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. easq; epistolas omnibus Ecclesijs communes fuisse, & in eis legi solitas, idem Epiph. scribit. Ideó Hæretici Veteres cùm scirent libros Clementis maximæ esse in Ecclesia authoritatis eos citabant contra Catholicos, etsi perversé ut & scripturam. Quia tamen videbant in ejus libris quædam loca sibi contraria, eos corruperunt, ut dicitur in Synodo Trullana can. *2*. Nunc tamen scripta Clementis & manifestè contraria hæresi Arrianorum & Audianorum qui ea citabant. Sicut ergo Bibliorum libri quos modo habemus non sunt suspecti, quamvis eos citârint, imò & corrupuerint Veteres Hæretici, ut testantur Patres antiqui: qui tamen non potuerunt corrumpere omnia exemplaria, ita scriptorum Clementis exemplaria suspecta esse non debent, quia non potuerunt omnia corrumpi, ut apparet ex Constitutionibus Apostolicis & epistolis ab eo editis, quæ directé pugnant contra Arrianos. Quare meritó Conc. I. Vasanse celebratum anno 442. can. 6. citans quædam ex S. Clementis epistola, ait ea esse cum omni reverenta ab omnibus fidelibus recipienda. & S. Epiph. hæresi 70. ait libros Clementis á nullo esse improbatos, etsi hoc aliqui conarentur efficere, quin imó omnem regularem in ijs ordinem haberi,

&

& nihil adulteratum eos continere. Inter hæc autem scripta S. Clementis non comprehendo illas Recognitiones quæ sub ejus nomine circumferuntur, quas & adversarij & prudentiores Catholici meritò rejiciunt, quippe ab aliquo Arriano corruptas. Nec obstat quód quasdam epistolas Clementis legamus esse ab eo scriptas ad S. Jacobum Fratrem Domini, qui multò ante, ut colligitur ex historia Ecclesiastica, fuit mortuus, quia eæ scribi á Clemente potuerunt. 1. Quia facilè ejus nomen loco alicujus errore librariorum scribi poterat sicut videmus in Evangelio Matthæi unum Prophetam citari & nominari loco alterius. 2. Quia potuit S. Clemens has epistolas scribere more Dialogorum, in quibus conscribendis, ut facit Plato, & alij solent interdum fingi personæ quæ non fuerunt, & commemorari absentes tanquam præsentes, & mortui tanquam vivi. Atq; ita solvenda est Dissidentium objectio quâ potissimùm impugnant veritatem Apostolicarum Constitutionum, in quibus interdum narrat S. Jacobum aliquid ordinantem certo tempore, quo certum erat eum è vivis excessisse: per modum enim Dialogorum, ut vir ingeniosus, illas scripsit, quarum veritati non obest etsi recenseantur simul personæ quæ eodem simul non vixerunt tempore.

S. Dionysius. Areopagita cujus fit mentio Act. 17. 34. quãtæ sit authoritatis hinc apparet. Fuit enim discipulus Apostolorum, maximè Pauli, extat ejus epistola ultima ad S. Joannem Evangelistam. Citat ejus scripta Origenes hom. 2. de diversis Evangelij locis. Athanas. q. 8. Agatho Papa epist. ad sextam Synodum Constantinop. quam citationem etiam Patres Concilij, & ipsi contrariæ partis propugnatores Macarius & Stephanus acceptárunt, ut patet ex sess. 8. & in Conc. Generali Lateranen. sub Martino I. Pontif. & M. consult. 1. citantur. & in Conc. Nicæno 2. can. 2. S. Damascenus quoq; lib. 2. de fide cap. 2. vocat eum Sanctissimum & Sacerrimum, & librum ejus de cœlesti Hierarch. citat lib. 1. cap. 12. S. Gregorius quoq; Papa eundem citat hom. 34. [illegible]

[illegible]

& antiquum ac Venerabilem Patrem vocat. & Niceph. lib. 2. hist. cap. 20. ejus scripta distinctè recensens, vocat ea sublimi rerum divinarum contemplatione admiranda prorsus & excellentia. Nicolaus Papa I. in epist. ad Michaëlem Imper. citat epistolam S. Dionysij ad Demophobum Monachum. S. Maximus quoq; scripsit annotationem in Dionysium. & Stephanus Patriarcha Jerosol. citat ejus opera in perorat. act. *11.* sextæ Synodi. & alij posteriores. Fuisse autem eum factum á Paulo Apostolo Archiepiscopum Atheniensium colligitur ex Euseb. lib. *3.* cap. 4. & scribit Dionysius Corynthius apud Niceph. lib. 4. cap. 8. & Michaël Singelus Jerosolim. in encomijs Dionys. Areopag. & Beda in Martyrol. Quamvis autem Diffidentium aliqui negent esse opera Dionysij quæ sub ejus nomine circumferuntur, & proximus illis Erasmus & Valla in cap. 17. Act. ideó potissimè, quia nunquam citantur ab Aug. Chrysost. Hieron. Ambr. Nihil obstat, tum propter dicta testimonia gravissimorum & antiquissimorum authorum. Tum quia causa, cur ab ijs citatus non fuerit, est, quia ut ait Anastasius, qui eum antiquissimum vocat, suppressus fuit ab Hæreticis, & tandem Romæ repertus circa Gregorij Papæ tempora, á quo vocatur antiquissimus Patrum. Quin & Valla scribit plurimos viros doctissimos putare, hæc opera non esse quidem Dionysij Areopagitæ, sed tamen authoris ferè æquè antiqui, scilicet, vel Apollonij Hierapolitæ, vel ut alij volunt Dionysij Corynthij, qui uterque floruit anno 174. teste Euseb. in Chronico. Sed quidquid sit constat esse authoris antiquissimi recepti á Concilijs & viris gravissimis. Hic itaq; Dionysius lib. de Hierarch. describit traditiones Apostolicas particulares tanquam divinitùs traditas, & doctrinam modernam Catholicorum.

S. Irenæum M. certum est fuisse proximum temporibus Apostolorum, tum quia id testantur: S. Epiph. hæresi 24. Euseb. lib. 5. hist. cap. 19. S. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 29. S. Aug. tom. *7.* lib. *1.* contra Julianum Pelag. c. 2. Tum quia ipse l. 3. c. 3. vidisse S. Polycarpum Apostolorum discipulum.

INDEX

INDEX CONTROVERSISTICUS SS. PATRUM.

SAnctus Basilius M. vixit anno 350. Arianorũ fuit hostis acerrimus, & multa ab illis perpessus. *Quòd Spiritus S. procedat à Filio*, docet libro 3. contra Eunomium Macedonij discipulum, ubi dicit, quòd Spirisus S. accipiat essentiam à Filio. *In Eucharistia veritatem Corporis Christi* serm. 3. de Baptis. cap. 3. *Quòd Eucharistia sit Sacrificium* in sua Liturgia de cæremonijs Missæ ibid. *Quòd communio sub una specie dari possit*, quia & ipse dabat, & sumpsit infirmus, teste Amphilochio in ejus vita. *De Confessione auriculari*, in reg. brevioribus quæst. 288. ibid. quæst. 229. *De Voto castitatis* lib. de Virginitate, & in reg. fusiùs explic. quæst. 14. *De invocatione Sanctorum* hom. in 40. Martyres. *Quòd Sancti sciant de nobis in cælo* lib. de Virginitate. *De cultu SS. imaginum* epist. ad Julianum, quam adducit Concil. 7. Nicæn. Act. 2. *De traditionibus admittendis* lib. de Spiritu S. cap. 27. *Primatum Ecclesiæ Romanæ agnoscit.* epist. 52. ad Athanasium. *Quòd Scriptura S. sit difficilis, nec à quovis exponenda* docuit teste Ruffino lib. 2. Eccles. Hist. cap. 9.

S. Hilarius vixit. an. Christi 360. defendit *Filium consubstantialem Patri* libris totis 12. de Trinit. *Quod Spiritus S. & à Filiò procedat.* lib. 2. & 8. de Trinit. *Quòd in Eucharistia sit verè corpus Christi.* lib. 8. de Trinit. *De Primatu Petri.* in Matth. can. 16. & in Ps. 131. *De potestate Petri* in Ps. 131. *De intercessione Sanctorum pro nobis.* in Ps. 124. *Quòd liberum habeamus arbitriũ* in Ps. 2. *Quòd vetus explicatio Scripturæ sit retinenda* in Psal. 137. *Quòd non quisq; debeat Scripturam interpretari* lib. 2. de Trinit. *Quòd hæretici pro se allegent Scripturas malè intellectas* lib. 2. ad Constant. August.

S. Joannes Chrysostomus. vixit an. 487. docuit *Christum esse verum Deum.* lib. contra Gentes quòd Christus sit Deus. *Quòd Spiritus S. & à Filio procedat* in Joan. *Quòd verè corpus Christi sit in Eucharistia* hom. 60. ad pop. & in Matth. 83. & hom. 2. ad pop. & in Liturg. *Quòd Missa sit Sacrificium* in Liturg. & serm. admonitorio de Eucharistia in Eecenijs. *Quòd parvuli*

Fidelium sint baptizandi hom. de Adam & Eva. *De Confessione auriculari* hom. 30 in Genes. *De dignitate Sacerdotij* lib. 3. de Sacerdotio. *De jejunio & delectu ciborum.* homil. 1. in Genes. *De invocatione Sanctorum* in Liturgia, & hom. 2 in Ps. 50. *De reliquijs Sanctorum* hom. 66. ad pop. *De cultu Sanctarum imaginum* ipso facto ostendit quid sentiret; teste enim Metaphraste in ejus vita semper ante se habuit imaginem S. Pauli; & pro hoc cultu ejus testimonium adducit Conc. 2. Nicæn. Act. 6. ex orat. funebri ad Meletium Episc. Antioch. in serm. qui inscribitur: Quód Veteris & novi testamenti unus sit legislator. *De Signo S. Crucis adhibendo* hom. 50. in Matth. *De Unitate Ecclesiæ* hom. in 1. ad Cor. *Quòd Ecclesia sit visibilis.* hom. 4. de verbis Isaiæ; Vidi Dominum. *Quòd hæresis & Schisma sit grave peccatum.* hom. 11. in epist. ad Ephes. *Quòd Majores in Ecclesia repræsentent Ecclesiam* hom. 71. in Matth. *De Primatu Petri & ejus successorum* lib. 2. de Sacerdotio. *Quòd Romæ Petrus & Paulus mortui* hom. in epist. ad Rom. *De Traditionibus retinendis* in cap. 2. epist. 2. ad Thessal. hom. 4. *Quòd cælibatus melior conjugio* lib. de Virginitate, cap. 10. *De Statu Monastico* scripsit libros tres contra vituperatores vitæ Monasticæ. *Quòd votum castitatis servandum sit* ad Theodorū lapsum ep. 6.

S. Ignatius Martyr vixit an. 110. docuit quód verum sit corpus Christi in Eucharistia epist. ad Smyrnenses quam citat Theodoret. in dial. 3. Evanisti seu Polynorphi. *Quòd in Missa sit sacrificium* Ibid. *De dignitate sacerdotali*, ibid. *De signo S Crucis* epist. ad Philipp. *Qùod Romæ fuerint sancti Petrus & Paulus.* epist. ad Romanos. *De secunda Virginitate* epist. ad Ephesios, & ad Antiochenos.

S. Ephrem vixit A. C. 368. docuit. *Quod Christus sit verè Filius Dei.* hom. de transfiguratione Domini & in sermone de laude SS. Matris. *Quòd verè sit corpus Christi in Eucharistia* lib. de ijs qui naturam Filij Dei scrutari volunt c. 4. & 5. *Quòd Sancti sint in cælo, & invocandi* serm. de laude SS. MM. *Quòd una sit Ecclesia* lib. de vera pœnitentia c. 3. *Quòd supra Petram ædificata sit Ecclesia* serm. de transfiguratione Domin. *Quòd signum*

gnum S. Crucis sit adhibendum l. de vera Pœnitent. c. 3. *Quòd Virginitas sit laudabilis* serm. de Virginit. *Quòd in Baptismo abrenũtiatio facienda Sathanæ, & operibus ejus* lib. de extremo judicio. c. 5. *Quòd hæresis sit execranda* l. de vera pœnit.

S. Gregorius Magnus vixit an. 590. *Quòd Spiritus S. procedat & à Filio* epist. Synodica ad Patriarchas lib. 2. ep. 24. *Quòd verè corpus Christi sit in Eucharistia* hom. 22. in Evang. *Quòd Missa sit Sacrificium* hom. 37. in Evang. *Quòd sit Purgatorium* 4. Dial. c. 39. *Quòd Sancti statim post mortem sint in cælo* l. 4. Moral. c. 39. *Quòd ex cælo sciant nostra desideria* l. dial. c. 4. *De reliquijs* l. 3. ep. 30. *Quòd una sit Ecclesia, extra quam non est salus* l. 35. Moral. cap. 6. *De Primatu Ecclesiæ Romanæ* l. 4. epist. 9. *De votis Castitatis & Monasticis* lib. 1. ep. 33. ad Venantium. *De confessione coram Sacerdote facienda* hom. 26. in Evang. *De cælibatu Sacerdotum* l. 3. ep. 34.

S. Cyrillus Jerosolimitanus vixit an. 355. docuit *Consubstantialitatem Filij Dei cum Patre* cathechesi illuminatorum 16 *De veritate corporis Christi in Eucharistia* ibid. cathech. 4. *De Missæ Sacrificio* ibid. cath. 5. *Quòd fides absq; operibus non prosit* ibid. 15. *De cultu SS. Imaginum* verba ejus citat ex cath. illum. 12. S. Damascenus lib. 3. Apologetico pro veneratione SS. imaginum. *De Virginitate* cathech. illum. 18. &c.

S. Leo Magnus vixit An. 442. *De consubstantialitate Filij cum Patre* epist. 10. ad Flavianum *De Baptismo parvulorum* epist. 37 ad Leonem Ravennatem. *De Veritate Corporis Christi in Eucharistia*] sermone 6. de jejunio septimi mensis. *De Missa* epist. 81. ad Dioscorum Alexandr. Episc. *De confessione auriculari* epist. 80. ad Episcopos per Campaniam. *De cælibatu Sacerdotũ* epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem. & epist. 92. ad Rusticum Narbonensem *Quòd fides sine operibus sit inutilis* serm 5 de Collectis. *Quòd pro bonis operibus cælum detur* serm. 1. de Pentecoste. *Quòd fides sine charitate esse possit* serm. 4. de collectis & eleëmosyna. *De intercessione Sanctorum* serm. 18. de jejunio decimi mensis. *De jejunijs* serm. 6. de Quadragesima. *De primatu Petri inter Episcopos* serm. 2. in Anniversario die assumptio-

assumptionis ad Pontificatum. *Quòd Ecclesia Romana nunquam infecta fuit hæresi* serm contra hæresim Eutichetis. *De primatu Ecclesiæ Romanæ* locis plurimis docet.

S. Anselmus vixit 1076. *Quòd Christus sit Deus* lib. de Incarnatione. *Quòd Spiritus S. procedat & à Filio* libro speciali contra Græcos. *De baptismo parvulorum* lib de peccato originali cap. 27. 28. *De veritate Corporis Christi in Eucharistia* in epist. 1. ad Corinth. cap. 11. & libro de Sacramento corporis Christi *De Missæ Sacrificio* in epist. 1. ad Corinthios cap. 11. *Quòd Eucharistia in Azymis administretur.* ad Valerianum Nuverburgensem. *De auriculari confessione* Enarratione in Evangelia in Luc. 17. *De libertate arbitrij nostri.* libro de libero arbitrio. *De purgatorio*, in Matth. 12. *Invocat* B. Virginem. lib. de excellentia B. Virginis cap. 12. *De Primatu Petri* in *Matth.* 12. *De primatu Ecclesiæ Romanæ* in epist. ad Roman. cap. 11. *Quòd hæresis sit peccatum* in epist ad Tit. cap. 3. *De votis Deo servandis* lib. de similitudinibus. cap. 82.

S. Justinus Philosophus Martyr vixit 200. *Quòd Filius Dei sit verè Deus.* in Expositione Fidei de recta Confessione, sive de Sancta & conessentiali Trinitate *De Veritate Corporis Christi in Eucharistia* Apologia 2. ad Antoninum Imp. *De cæremonijs circa Eucharistiam* ibid. *De Virginitate* ibid.

S. *Athanasius Alexandrinus* vixit 340. totus est contra Arianos. *Quòd Spiritus S. procedat & à Filio* lib. de Unitate Dei ad Theopa. & in Oratione de Concil. Nicæno. *De Missæ Sacrificio.* Verba ejus adducit Damascenus in serm. Quòd qui in fide hinc migrârunt sacris operationibus & vivorum beneficijs multùm juventur. *De signo S. Crucis* in vita S. Antonij. *B. Virginem invocat* in Evangelio de S. nostra Deipara. *De SS. Reliquijs* verba ejus adducuntur in septima Synodo act. 3. *De cultu SS. imaginum* serm. 4. contra Arianos. *De jejunio* libro de Virginitate, sive de Meditatione. *De potestate Romani Pontificis.* in epist. Orientalium ad Felicem Papam, habetur Conciliorum tomo I. *De Hæreticis* Orat. 2. contra Arianos. *Quòd sæcularis Magistratus non debeat ingredi res Ecclesiæ* epistolâ ad solitariam vitam agentes.

S. Grego-

S. Gregorius Nazianzenus vixit An. C. 360. *Damnat Arianos negantes consubstantialem Filium Patri* lib. de Theologia lib. 2. & 4. & 5. *De Veritate Corporis Christi in Eucharistia* Oratione funebri sororis suæ Gorgoniæ. *De sacrificio Eucharistiæ* Orat. 1. in Julianum Imp. & orat. 2. in eundem. *De signo S. Crucis.* orat. 1. contra eundem. *Invocat B. Virginem* in Tragædia Christi patientis. *Invocat S. Cyprianum* Orat. in S. Cyprianum. *Invocat S. Athanasium.* Orat. funebri in S. Athanasium. *invocat S. Basilium* orat. funebri in laudem Basilij. *De cultu SS. Imaginum* verba ejus adducit Synodus septima in fine actionis quartæ. *De Virginitate.* Orat. in dictum Evangelij, quæ incipit. Jesus qui piscatores elegit.

S. Joannes Damascenus vixit an. 740. *De præsentia reali corporis Christi in Eucharista* lib. 4. de Orthod. fide c. 14. *De Sacrificio Missæ* ibid. *De Oratione pro mortuis* serm. quód hi qui in fide migrârunt. *De SS. cultu & invocatione* l. 4. ibid. *De SS. reliquijs* ibid. &c.

S. Epiphanius vixit an. 380. docet *Quòd Spiritus S. procedat & à Filio* libro Ancoratus. *De præsentia corporis Christi* in Ancorato. *De Eucharistia in azymis apud Orientales administrari solita* hæresi 30. Ebionios. *De oratione pro mortuis* hæresi 75. *De diversitate Episcopi & Presbyteri* hær. 75. contra Aërium. *Quòd S. Petrus docuerit Romæ præsens* hær. 42. *De potestate Romani Pontificis* hær. 78. &c.

S. *Augustinus* vixit an. 430. docuit *æqualitatem Filij Dei cùm Deo Patre* in Joan. tract. 36. tom. 9. & alibi. *Quòd Ecclesia sit una Catholica* lib. de utilitate credendi. *Quòd in Ecclesia sint boni & mali* tract. 6. in Joan. *Extra Ecclesiam Catholicam neminem salvari* serm. 181. de tempore. & de Symbolo lib. 4 cap. 10. *Quòd Ecclesia attestetur quæ est vera scriptura* Contra epistolam Manichæi cap. 6. & contra Faustum lib. 13. cap. 5. *De Traditionibus.* lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 27. *De primatu Petri* Quæst. ex novo testamento 75. & de Sanctis serm. 15. 16. & 26. *Quòd Petrus Romanus fuerit Pontifex.* contra literas Patiliani lib. 2. cap. 51. *De successione Pontificum quòd illa sit veræ*

Ecclesiæ signum. epist. 165. ad literas cujusdam Donatistæ. *De primatu Ecclesiæ Romanæ* epist. 162. & contra duas epistolas Pelagij lib. 1. cap. 1. *Quòd Hæretici possint à sæculari Magistratu puniri, & compelli ad Ecclesiam* Epistola 50. ad Bonifacium Comitem. & epist. 18. ad Vincentium.

De libero nostro arbitrio. libro de libero arbitrio cap. 1. & 3. *Fidem sine operibus non justificare.* de verbis Apostoli serm. 16. *De signo S. Crucis.* serm. 181. de tempore. *Quòd in Baptismo fiat insufflatio ex traditione Apostolica.* De Dogmatibus Ecclesiast. cap. 31. *Quòd in Baptismo adhibendum Chrisma.* de Vita Christi cap. 1. *Quòd infantes baptizandi juxta traditionem Apostolicam.* de verbis Apostoli serm. 10. & de peccatorum merito & remissione lib. 3. cap. 1. *De Confirmatione & ejus cæremonijs.* contra literas Petiliani lib. 2. cap. 4. *De veritate corporis Christi in Eucharistia.* conta adversantes legi & Prophetis lib. 2. cap. 9. *De Sacrificio Missæ* serm. 11. de Sanctis. & & de Fide ad Petrum cap. 16. *De Sacrificio pro mortuis* lib. 9. Confess. cap. 3. *De Confessione auriculari.* libro de vera & falsa pœnitentia cap. 14. *De Extrema Unctione.* libro de Rectitudine Catholicæ conversationis, & lib. 8. de visitatione Infirmorum. *De Consecratione Clericorum* lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 2. *De Matrimonij Sacramento* lib. de Bonè conjugali cap. 7. & contra Julianum Pelagianum lib. 5. cap. 9. *Quòd jure meritò inter consanguineos prohibeatur Matrimonium.* lib. 15. de Civitate cap. 56. *De Purgatorio.* lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 17. & 18. *De Oratione pro mortuis* lib. de cura gerenda pro mortuis cap. 1. & 4. *De invocatione Sanctorum, & quòd pro nobis orent* lib. Meditationum cap. 40. & serm. 18. de Sanctis. *De jejunijs* epist. 86. ad Phesulanum. & de moribus Ecclesiæ Cathol. lib. 1. cap. 33. *De Virginitate* lib. de bono viduitatis cap. 15. & de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 68. *De Voto Castitatis* epist. 45. *De cælibatu Sacerdotum ejus tempore* lib. 3. Confessionum cap. 3. & lib. de honestate mulierum cap. 4. *Laudat Monachatum & ipse se Monachum profitetur* contra literas Petiliani lib. 3. cap. 40.

S. Cyprianus An. Ch. 260. *Quòd Ecclesia sit una* tractatu de

de ſimplicitate Prælatorum. *Quòd hæc unitas Eccleſiæ fundetur in Petro* epiſt. 5 ad Cornelium. *Non ſunt in Eccleſia qui non ſequuntur ſucceſſorem Petri* epiſt. 69. ad Florentium ſive Puppianum *Quòd qui non eſt Eccleſiæ unitus non ſit Cariſtianus* epiſt. 52. ad Antonianum. *Quòd extra unionem cum Eccleſia nemo ſalvari poſſit.* de ſimplicitate Prælatorum. *De primatu Romanæ Eccleſiæ* epiſtolâ ad Cornelium 55. *De Traditionibus.* ſerm. de ablutione pedum. *De ſucceſſione Epiſcoporum in locum Apoſtolorum* epiſt. 69. ad Florent. Puppianum. *De excommunicatione* epiſt. 6. ad Pomponium. *De Baptiſmo parvulorum* epiſt. 59. ad Fidū. *De cæremoniis Baptiſmi* epiſt. 70. ad Januarium. *De Confirmatione* Ad Jubajnum epiſt. de Hæret. baptis. & de Unctione Chriſmatis in Cæna Domini. *De Veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia* ſerm. de lapſis. *De Sacrificio Miſſæ* ſerm de Cæna Domini. *De Miſſa pro mortuis* epiſt. 66 ad Clerum & plebem Furnitanorum. *De Confeſſione auriculari* ſerm. de lapſis. Quòd Deus bona opera *remuneretur.* De ſimplici Prælatorum. & ſerm. de opere & eleëmoſyna *De jejunio* ſerm. de jejunio & orationibus Chriſti. *Quòd ſit laudabilis ſtatus Monachorum & Monialium.* lib. de diſciplina & habitu Virginum. & de diſciplina & bono pudicitiæ.

S. Hieronymus vixit ann. 388. docuit, *Quòd ſit una Eccleſia* ad Gerontium de Monogamia. *Quòd Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor* epiſt. 57. *De cæremoniis Baptiſmi & Confirmationis* dialogo adverſùs Luciferianos. *De Confeſſione auriculari* in cap. 10. Eccleſ. *De Pænitentia & ſatisfactione* in Epitaphio Paulæ. *De Regulis Monachorum* epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginit. *De horis Canonicis* in cap 6. Danielis. *De Paupertate voluntaria.* epiſt. 1. ad Heliodorum. *Quòd Sancti pro nobis orent* contra Vigilantium.

V. Beda vixit an. 735. docuit *quòd Confirmatio ſit Sacramentum* in Pſ. 26. *De Confeſſione & Abſolutione* hom. in die SS. Petri & Pauli. *De veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia* in libro Boëtij de Trinitate. *De Communione ſub una ſpecie* in Martyrol. 15. *De Principatu Romanæ Eccleſiæ* in natali S. Benedicti.

S. Clemens

S. Clemens Romanus an. 92. docuit *de Baptiſmo parvulorũ*. lib. 6. conſtitut. Apoſtolic. c. 15. *De Sacramento Confirmationis*, ep. 2. ad diſcipulos ſuos Julium & Julianum. *De Sacrificio Miſſæ*. lib. 5. conſtit. Apoſtol. c. 20. *De Confeſſione auriculari* epiſt. 1. ad Fratrem Domini. *De Quadrageſima* l. 5. conſt. Apoſt. c. 13.

S. Irenæus vixit an. 160. docuit *Quòd Filius Deo Patri conſubſtantialis* l. 1. de Trinit. c. 2. *Quòd Chriſtus verè ad inferos deſcenderit* lib. 5. c. ult. *De Sacrificio Miſſæ* l. 4. c. 32. *De veritate corporis Chriſti in Euchariſtia* l. 4. c. 24. *De unitate Eccleſiæ* lib. 1. c. 3. *Quòd Eccleſia aſſiſtentiam Spiritûs S. habeat* lib. 3. c. 40. *De ſuccesſione Epiſcoporum* l. 4. c. 43. *Quòd Antichriſtus ex tribu Dan in fine mundi venturus* lib. 3. c. 30.

S. Ambroſius vixit an. 374. propugnavit contra Arianos *Cõſubſtantialitatem Filij Dei cum Patre*. item *Quòd Spiritus S. etiam à Filio procedat* docuit libro de Spiritu S. *De cæremonijs Baptiſmi* lib. 1. de Sacramentis c. 5. *De Confirmatione* lib. 3. de Sacram. c. 2. *De veritate corporis Chriſti in Euchariſtia* lib. 4. de Sacram. *De adoratione Euchariſtiæ* lib. de Spiritu S. c. 12. *Quòd ſub una ſpecie poſſit dari Communio* orat. funebri de exceſſu Fratris Satyri. *De dignitate Sacerdotali* lib. de Sacerdotali dignitate cap. 2. *De poteſtate Sacerdotum ad dimittenda peccata* lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. *De ſatisfactione pro peccatis* ibid. cap. 5. *De Sacramento Ordinis* in 12. caput 1. Cor. *Sacerdotium non amitti per peccata* De his qui myſterijs initiantur cap. 5. *Quòd caſtitas potior conjugio* epiſt. 81. ad Eccleſiam Vercellenſem. *De voluntaria paupertate*. Jam verò *de voto caſtitatis ſervando* libr. ad Virginem lapſam. *De Cælibatu Sacerdotum* lib. 1. officiorum cap. 50. *De invocatione Sanctorum* lib. de Viduis. & epiſt. 85. ad Sororem. *Quòd Sancti poſt mortem ſint in cælo* in cap. 6. Lucæ. *De Oratione pro mortuis* Oratione de morte Theodoſij. & orat. funeb. de Fratre Satyro. *De jejunio* libro de Elia & jejunio cap. 2. *De primatu Eccleſiæ Romanæ* lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Quòd hæretici fide careant* orat. funebri de obitu Satyri. *Quòd bona opera deleant peccata* lib. de Elia & jejunio cap. 20.

FINIS

